
1
7
356







1
7
356

XX

NICQVET

Physiogn.

B

R. P. HONORATI
NICQVETII
E SOCIETATE IESV
Sacerdotis, Theologi

PHYSIOGNOMIA HVMANA
LIBRIS IV. DISTINCTA.

EDITIO PRIMA.



LVGDVNI,

Sumptib. HÆRED. PETRI PROST, PHILIPPI BORDE,
& LAVRENTII ARNAVD.

M. DC. XLVIII

CVM PERMISSV SVPERIORVM.

Illuſtriſſ. & Ampliſſ. Viro

D. D. IOAN. BAPTISTÆ BALTHAZAR, REGI CHRISTIANISSIMO AB

Sanctioribus, & Status Conſiliis libellorum Supplicum Magiſtro, &c.

VRGEBAR pridem (VIR ILLVSTRISSIME) quà publicis, noſtræ Societatis, quà priuatis meis apud te nominibus, ad aliquod obſeruantiæ in te meæ monumentum, cum materiam nactus ſum dignam amœnitate, grauitatéque ingenij tui; multi paſſim notas latentis animi, & futurorum ſucceſſuum à natura corporibus impreſſas obiter delibarunt, & quoſdam diuinandi veluti Canones, Phyſiognomiæ nomine ſparſerant; pauci admodum totam hanc, ſiue artem, ſeu ſcientiam via & ratione pertractarant; nec verò plus mihi, quam illis, arrogo, ſed ab aliis, quod primæ laudis eſt, prima manu tentata, deſignata, diſſipatáque membra in vnum, quaſi ſtatuæ corpus, collegi, atque, vt potui, abſolui; haud quidem, vt eſſet τῦ ἡλίυ ἀνάθημα, quod de Bibliothecæ ſuæ Hermathena olim orator geſtiebat, verum vt ſit interpres, eáque diſerta perpetuæ tuæ erga Societatem noſtram, atque me, voluntatis, & noſtri viciſſim erga te propenſiſſimi ob-

ſequij ; hanc ergo tua in Bibliotheca tam prono ſtudio dedico, quàm certum mihi eſt caſtigatam illam iudicij tui eruditionem conceſſuram aliquid beneuolentiæ in ſe meæ, & ſicubi non vſque adeo *callida per læue ſeueros effundat iunctura vngues*, excuſaturam eos næuos, nouitate argumenti, doctiori quandóque manui eius perficiendi anſam præbitura ; ac ſcio tuam te tibi ſummam prudentiam, fidem, diligentiam, comitatem, perſpicuitatem, totum propemodum eripere, ac Regis Chriſtianiſſimi publicis curis mancipare, in quibus tanta illius, & Prouinciarum approbatione iam pridem verſaris, verùm inter illas fortaſſis non pigebit in has aliquando lucubratiunculas noſtras deſcendere, & capax in plura diuidi, fatigatúmque ſeriis & perplexis, ingenium harum interdum aſpectu recreare ; in quo magnæ mihi mercedis loco futurum eſt, vel tuæ virtuti ac ſapientiæ placuiſſe, vel certè placere voluiſſe ;

Vir Illuſtriſſime

Romæ in Collegio noſtro
Kalendis Iunij, 1648.

Addictiſſimus tuus HONORATVS
NICQVETVS, Societatis IESV.

AD LECTOREM.

ANTE annos triginta, & eo amplius, cùm in Henricæi Flexiensis Collegij Lycæo versarer, quod à publico docendi munere supererat otij, in Physiognomica Aristotelis examinanda contuli, totámque hanc nobilem facultatem, quæ vna est ex illustribus philosophiæ partibus, quattuor in libros digessi ex eiusdem Aristotelis, Galeni, aliorúmque omne genus, probatissimorum authorum doctrina; cui nec eam lucem deesse paßus sum, quam ab exemplis ex antiquitatis memoria petitis ducere poterat; ab illo deinde tempore studiis aliis, aliisque distentus occupationibus penè omnem Physiognomiæ cogitationem abieceram, nedum de vulganda cogitabam, cum, nescio quo casu post tot annos hîc Romæ ab erudito sanè viro animatus, operis hoc, quantulumcumque est, studiosè relegi alius fermè iam, pro temporis interuallo, ab Authore Censor, Castigatórque, prodit igitur in lucem nouum simul & antiquum opus, ad corrigendas vanitates eorum qui in hac arte curiosa delirant; atque, vti spero, minus peritis ita facem præferet: vt eos in aliquam ducat arcanorum naturæ cognitionem. Ita velit Deus ad Maiorem sui Gloriam. Instituti verò mei rationem statim in ipso limine aperio.

VINCENTIVS CARRAFA *Societatis* IESV *Præpositus Generalis.*

CVm opus, cui titulus *Physiognomia humana*, in quatuor libros distributum P. HONORATI NICQVET nostræ Societatis Sacerdotis, tres eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus vt typis mandetur, si ita iis, ad quos spectat, videbitur. In cuius rei fidem has literas manu nostra subscriptas sigillóque nostro munitas dedimus Romæ 5. Maij, 1646.

VINCENTIVS CARRAFA Societ. IESV
Præpositus Generalis.

LICENTIA.

IMprimatur si Reuerendissimo P. Sacri Palatij Apostolici Magistro videbitur.

ALPHONSVS SACRATVS Episc.
Comacl. Vices-gerens.

IMPRIMATVR.

FR. HYACINTHVS PANDOLPHVS
Magister & Socius R. P. FR. VINCENTII
CANDIDI Sacri Palatij Apostolici Magistri
Ordinis Prædicatorum.

APPROBATIONES.

NOs infra scripti Doctores Almæ Facultatis Parisiẽsis legimus *Physiognomiam humanam* R. P. HONORATI NICQVETII Societatis IESV quatuor libris comprehensam in qua nihil quod fidem bonosque mores offendere possit vidimus in quorum fidem, hic nostrum manuale chirographum apposuimus secunda die Septembris 1648. Lugduni.

FR. STEPHANVS MOLIN Carmelita.

FR. PAVLVS LOMBARD Carmelita.

Visa

VIsa per nos Authentica approbatione & testimonio RR. PP. præfatorum in alma Theologiæ Facultate Parisiensi Doctorum super *Physiognomia humana* R. P. HONORATI NICQVETII quibus asserunt omnia in illa sacris sanctæ Ecclesiæ documentis consona, in eorum imus sententiam, vt prælo demandetur & publico detur, Lugduni 2. Septembr. 1648.

DE VILLE Prouic. Gen.

CONSENSVS.

EGo Procurator Regius in Præfectura Lugdunensi consentio, vt liber inscriptus in Approbatione præmissa, ab HÆR. PETRI PROST, PHILIPPO BORDE, & LAVRENTIO ARNAVD, Bibliopolis Lugdunensibus excudatur, peculiari licentia ad id ipsis concessa. Datum Lugduni die 3. Sept. 1648.

LORIN.

PERMISSIO.

VIso Procuratoris Regis consensu, fiat vt petitur, & ne quis vltra concessam facultatem denuò excudat hunc librum prohibemus. Datum Lugd. die 3. Septembr. 1648.

DV SAVZEY.

AVTHORES

AVTHORES PRÆCIPVI QVI IN HOC OPERE DE PHYSIOGNOMIA CITANTVR,

Vltra Scripturam ſacram, quæ, vt ait Origenes, ſcientiarum eſt vniuerſitas.

A

ALBERTVS Durerus.
Albertus Magnus.
Alexander ab Alexandro.
Alexander de Angelis.
Aloyſius Nouarinus.
S. Ambroſius.
Andreas Laurentius Medi.
Andreas Tiraquellus.
Andreas Valeſius Med.
Antonius de Balinguen.
Apuleius.
Ariſtophanes.
Ariſtoteles.
Athenæus.
Auerroës.
S. Auguſtinus.
Auicenna.
Aulus Gellius.

B

S. BAſilius.
Benedictus Pererius.
Bertinus Medicus.

C

CAmillus Baldus.
Cardanus.
Celſus.
Cicero.
Claudius Campenſis.
Cœlius Rodiginus.
Conimbricenſes.
Conciliator.
Contarenus Cardin.

D

DIonyſius Areopagita.
Dio Caſſius.

E

ELpidius Berretarius.
Euſtathius,

F

FErdinandus Caſtenneda.
Feſtus Pompeius.
Flauius Vegetius.
Franc. Aluareſius.
Franc. Loryotus.
Franc. Mendoça.

G

GAbriel Vaſquez.
Galenus.

Georgius

Georgius Valla.
Georgius Bertinus Medicus.
S. Gregorius Magnus.
S. Gregorius Nazianzenus.
S. Gregorius Nyſſenus.

H

HAli.
S Hieronymus.
Hieronymus Dandinus.
Hippocrates.
Honoratus Seruius.

I

IAcobus Fontanus Med.
Ioannes Tardinus Med.
Ioannes Grammaticus.
Ioannes Vierus Med.
Ioannes Ingignerus Epiſc.
Ioannes Climacus.
Ioannes Rodericus à Veiga.
Ioſeph Horologgius.
Iouius.
Iulius Scaliger.
Iulius Capitolinus.
Iſidorus.
Iuuenalis.

L

LAërtius.
Lælius Biſciola.
Laurentius Valla.
Leuinus Lemnius.
Leo Allatius.
Lucanus.
Lucianus.
Ludou. Creſolius.
Ludouicus Dolcius.

M

MAcrobius.
Marcus Antonius vltimus Medic.
Martialis.
Martianus Capella.
Martinus Delrio.
Martinus Panſa Med.
Matthiolus
Meletius Philoſophus.
Michel Scotus.

N

NEantes.
Nigetas.
Nicolaus Nancelius Medicus.
Nicolaus de Gentium Moribus.

O

OLaus Magnus.
Origenes.
Orus Appollo.

P

PAulus Ægineta.
Paulus Diaconus.
Petronius.
Petrus Holtzemus.
S. Petrus Damiani.
Philoſtratus.
Philemon Phauorinus Philoſ.
Picus Mirandula.
Picolomineus.
Plato.
Plinius.
Plotinus.
Plutarchus.

INDEX

INDEX CAPITVM ET ARTICVLORVM TOTIVS OPERIS.

LIBRI PRIMI

CAP.

LIBRI SECVNDI

ART.

LIBRI TERTII

2. *Reluuntur*

LIBRI QVARTI

PHYSIO

PHYSIOGNOMIA HVMANA.

LIBER PRIMVS.

Totius operis Synopsis.

CAPVT PRIMVM.

1. *Aristoteles summus Physiognomicæ scientiæ magister.*

ARISTOTELES, vt in Organo Logicus subtilissimus, in Physicis intimus naturæ Genius, in animalium historia solers Physiologus, sūmus in metaphysicis Theologus; in OEconomicis prouidus pater-familias, in Politicis Iuriscōsultorum princeps, aut Principum Iurisconsultus, & æquissimus Legislator, in Mechanicis nobilis opifex; in Ethicis prudentiæ Dictator, in Rhetoricis absolutus dicendi magister; ita in Physiognomicis sagacissimus Coniectator, & vt omnia paucis complectar, naturæ interpres, & in omni scientiarum genere insignis effusa est sæculorum omnium commemoratione prædicandus.

Atque in omnibus iis Philosophiæ partibus, quas doctissimis ingenij sui monimentis illustrauit, & fœlici castigauit ingenio, permultos habuit philosophos eiusdem laudis æmulos, qui in eadem palæstra desudarunt, suásque commentationes, ad eius scriptos eodem argumento libros, adiunxerunt. Nescio tamen quo casu factum fuit, vt quamquam Physiognomorum non exigua possit turba numerari, hactenus tamen, non adeò multi Philosophicæ professionis genere illustres, huic se facultati adiunxerint, quasi tota Medicinæ videatur addicta, atque inter ampla eius latifundia comprehensa, cùm vix, ac ne omnino quidem, Medicinæ præceptiones tradi possint sine Physiognomicarum coniecturarum præfloratione.

2. *Physiognomia Philosophiæ pars.*

Verùm, si quis omnia diligentiùs animo collustret, despiciatque sedulò, profectò plus in Philosophiam, quàm in Medicinam, hanc nobilem facultatem, immersam aduertet, aut saltem tùm Philosophiæ, tùm Medicinæ collimitium. Rectè olim Zeno, vt testatur Laërtius, Philosophiam, (provt Logicam, Physicam, & Ethicam complectitur, ipsa autem Physica Mathematicas, Metaphysicam, & eam quæ

ſpeciali nomine Phyſica vocatur) ouo, animali, & agro frugifero cōparabat, ita vt Logica idem ſit in Philoſophia quod in ouo, teſta; in animali, nerui & oſſa; in agro, murus vel ſepimentum: Phyſica verò, quod in ouo vitellus; in animali, anima; in agro ſolum ſeu terra; Ethica denique, quod in agro, fructus; in ouo, albus humor, in animali caro. Rectè, inquam, Ethicam fructui, albo humori, carni aſſimilabat, propterea quod in Phyſica ea traduntur, ex quibus moralia pronunciata deriuantur, vt ſeges ex occato ſubactóque ſolo ſuccreſcit; atque vt caro, iam ſolidatum oſſibus compactúmque neruorum vi corpus, circumueſtit. Quòd ſi albus humor vitello perfecto aduenit, Ethica quoque non niſi perfectis Logicæ & Phyſicæ accidit. At non perperam mihi facturus videor, ſi Phyſiognomiam totius Phyſiologiæ, Ethicæque vniuerſæ fructum aſſeruerim. Cognitas enim & perſpectas ei oportet eſſe animorum noſtrorum paſſiones, earum naturam, affectiones, coniugia, & mutuas aliarum cum aliis congermaneſcentias, totius Phyſices œconomiam, primarum quatuor qualitatum, quibus tota, quaſi cardinibus ſuis, natura circumuoluitur, pragmatiam, Anatomię ſecreta, animalium hiſtoriam; temperaturarum, quibus corpora fermentantur, perplexas rationes, penitus exploratas habere debet, qui Phyſiognomiam pro dignitate profitetur. Quod apertum futurum arbitror ei, qui, quæ à me toto hoc opere dicentur, æqua lance penſitarit; non quòd is ego ſim, qui hæc omnia comprehenderim, nedum huc coniecerim, ſed quod ex iis tantillulis, quæ, pro ingenij noſtri tenuitate, hîc proferemus, facilè, quis doctrinæ apparatus neceſſarius foret, coniici poterit.

3. Inſtitutū huius operis & ordo.

Sed vt ab exordio, totum huius operis inſtitutum breuiculo ſummario complectar, & vno luminum arbitrio recognoſcendum proponam, Ariſtotelē Philoſophiæ patrem, ducem ſequar, monet ille, cùm primùm cuiuſque rei nomenclatura nota eſt, quæſtiones cognitioneſque de ipſamet re eſſe debere, An ſit, Quid ſit, Qualis ſit, Propter quid ſit; (has quæſtiones Hermagoras vocat logicas, Auguſtinus rationales.) Duæ priores ſimplices ſunt; quia vno conſtant termino; poſteriores duæ, coniunctæ, vel compoſitæ vocantur, quia geminum terminum complectuntur. Nemini autem obſcurum eſt, Phyſiognomiam (alij malunt Phyſiognomoniam) eſſe naturæ regulam, ſeu ex oris, vultus ingenio, totius corporis filo atque habitu, aliiſque conſimilibus, de natura iudicandi comparatam eſſe peritiam. At quoniam, quod olim Philoſophiæ contigit vniuerſæ, vt eius dignitas deflореſceret, propter imperitorum Sophiſtarum multitudinem, vilia gloriæ mancipia, Philoſophorum nomen ſibi vſurpantia, immò temerantia; Idem etiam Phyſiognomiæ obtigit, vt, propter neſcio quos Phyſiognomos, varias coniecturas in libros ſuos temerè ac ſine delectu congerentes, nihil autem ratione affirmantes, nobilis hæc facultas audiret, vt vana, vt omnis probabilitatis expers, inópſque rationis.

4. De libris ſingulis.

At libro primo, tum Scripturæ ſacræ, tum grauiſſimorum virorum authoritate, & rationibus hanc iniquam exiſtimationem refellam. Deinde ad huius facultatis definitionem

nem me accingam, tum vtilitatem, necessitatémque examinabo; Physiognomicorum vaticiniorum amplum seminarium proferam, ex quo rationes non infirmas secernere licebit ad huius scientiæ constabilimentum; vt quâ ratione, quâ authoritate à nobis confirmata, minimè à quopiam conuellatur. Quarta quæstio ex trium superiorum pertractatione satis illustrabitur. Addam disputationem de quatuor primis qualitatibus, quarum cognitio planè necessaria est Physiognomiæ professori; tum de coloribus in vniuersum disputabo, quoniam & illi in hac facultate locum obtinent suum, vt videbitur.

Secundo libro corporis partes tum generatim, tum singulatim percurram; quo, quænam de animorum moribus constitutione, atque inclinatione sumi possint coniecturæ, aperiam.

Tertio libro Chiromantiam aggrediar, nobilem Physiognomiæ partem, quam, ex medio secundi libri complexu abstractam, & auulsam, eò remittere, ad quæstionum, quæ de ea celebrantur, inuolucra faciliùs, atque diffusiùs explicanda, visum fuit; Atque Astrologicâ Chiromantiâ explosâ, Physica confirmabitur & enucleabitur. Quoniam verò hæc eadem Astrologica cum Genethliacis vaticiniis, & obseruationibus maximè complicata est, doctrinæ, aut potiùs vanitatis fœdere, contra Genethliacos stylus acuetur.

Quarto libro absoluta partium corporis consideratione, de nonnullis eiusdem corporis affectionibus, cuiusmodi sunt vox, somnus, risus, aliáque complura instituetur disputatio. Denique variorum affectuum & temperamentorum figura, coronidis loco attexentur.

Subit verò in mentem hîc, in primo huius operis ingressu, aureum illud monitum piissimi iuxtà, ac doctissimi Philosophi Meletij, de natura hominis, immò de Physiognomia disputaturi: *Dei verò*, inquit, *in his item nobis est auxilium implorandum, quo proposito nostro in hoc conatu opituletur, ne scilicet sapientiæ eius opus deprehendere conantes, ab inscitiâ nos plus nimio imprudentiáque irretiri patiatur; si quidem, qui supra vires quippiam moliuntur, in modicis etiam frustrari solent. Verum enimuerò, in hoc conatu minimè quidem segnitiæ vacandum, desperandúmque videtur: nam ipse est, qui ait, qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.*

5. Meletij aureum dictum.

An detur Physiognomia.

CAPVT II.

Dvplici calle ad scientias ingredimur, authoritate, & ratione. Ratio, authoritati præstat; hæc, rationi prostat: Illa, doctioribus germanior; hæc, rudioribus accommodatior. Quando hîc Physiognomiam authoritate stabilire decreuimus, adhibebimus tum diuinam, quæ quasi in via certus cippus inconcussus, index in horario, iusta in librili lingula est; tum humanam, quæ, quamquam sæpè verum falsúmque alternat, tamen vbi multorum, eorúmque sapientum iudicio exaggeratior est, portento foret simile, si fortè à veritatis orbita deerraret. Rationum quoque præsidia minimè hîc desiderabuntur.

1. Dari sciẽtiam Physiognomicam probatur ex sacra Scriptura.

Igitur diuinis non paucis illuxit oraculis, ex notis signísque in corpore humano sensibus subiectis, æstimari posse atque considerari, quæ in imis delitescunt animorum illatebrata recessibus. *Agnitio vultus eorum respondet eis.* Isaiæ 30. *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat.* Prouerb. 6. *In facie prudentis lucet sapientia, oculi stultorum in finibus terræ; quo modo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Prouerb. 17. *Melior est pauper qui ambulat in simplicitate sua, quàm diues torquens labia sua, & insipiens.* Prouerb. 19. *Qui attonitis oculis cogitat praua, mordens labia sua, perficiet malum, sapientia hominis lucet in vultu eius, & potentissimus faciem illius commutabit.* Ecclesiastæ 8. pro vltimis his verbis habent LXX. *& imprudens vultu suo odietur*, vt refert Hieronymus, nec improbat; loco verò primorum verborum, *Sapientia hominis lucet in vultu eius*, in veteri translatione ex eodem Hieronymo in Esaiam, & Zachariam, legitur, *Sapientia hominis illuminat vultum eius*, quod tamen eodem recidit, ac nostra vulgata editio. *Cor hominis immutat faciem illius, siue in bona siue in mala: vestigium cordis boni, & faciem bonam difficile inuenies, & cum labore.* Ecclesiastici 13. *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus; amictus corporis, & dentium risus, & incessus hominis enunciant de illo.* ibidem 19. Quod attinet amictum vestium, vt hoc obiter moneam, cõsentit tritum illud; discincta vestis, discinctus animus scilicet dissolutus, mollis, luxuriosus, intemperans; & illud Persij satyr. 3.

Non pudet ad morem discincti
viuere Nattæ.

Contrà apud veteres idẽ est altecinctus, quod vir fortis, ac generosus. Seneca l. 4. Epist. 4. vbi de Mecœnate, *Altecinctum putes dixisse, habuit enim ingenium, & grande & virile, nisi illud discinxisset.* Attexo hæc pauca. *Fatuus in risu exaltat vocem suam, vir autem sapiens vix tacitè ridebit.* Ecclesiastici 21. *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius cognoscetur* ibid. 26.

2. *Ex varijs scriptoribus.*

Diuinis oraculis subiiciam magnos viros haud labefactatæ, nec dilutæ authoritatis, qui in eiusdem veritatis iudicium eandémque sententiam conueniunt. Scripserunt de Physiognomia Hippocrates, Aristoteles, Galenus, Trismegistus, Zopyrus, Trogus, Albertus, Ioannes Baptist. à Porta insignis Medicus, sedulus naturæ mirabilium scrutator, Conradus VVimpinc, Ioannes Ingignerus Episcopus Italus, Iacobus Fontanus Medicus Gallus, Camillus Baldus professor philosophiæ in Archigymnasio Bononiensi, qui duo postremi Physiognomiam Aristotelis doctis commentariis illustrarunt. Neque est inter Medicos scriptores quisquam, qui sæpius, ita exigente argumẽto, Physiognomicas indicaturas suis non inserat monimentis. Meletij præstantissimi philosophi liber de natura, structuráque hominis, ex parte Physiognomicus est, sicut & doctissima disquisitio de pilis Ioannis Tardini Turnonensis Medici. Petri Motij liber de multiplici temperamento & cognoscendis hominibus, valde laudatur à Michaële Medina lib. 2. Parænesis Christianæ cap. 2.

Nolui

Nolui consultò dum illustriũ Physiognomorum catalogum recensui, nonnullos alios inferioris notæ commemorare, qui temerè coniecturas coacervant, & illotis pedibus, Minerua pinguiore, nobile opus suis nugamentis contaminant, ne eorum, qui merito laudandi sunt dignitas horum accessione deflorescere. Quid? an tanti scriptores, viri ad vnguem facti (vt poetæ verbis vtar) tantopere scribendo collaborassent, nisi bene & honorificè de Physiognomia existimassent?

3. *Vsus Physiognomiæ apud magnos viros.*

An fortè prouocamur ad exercitationem Physiognomicam, quæ apud illustris nominis viros floruit? Equidem vadimonium præstabo. Pythagoras, eorum, qui se ad dicendum offerebant, è vultus orisque effigie mores sciscitabatur, & pro æstimatione captus & solertia, sumpta è corporis signis, aliud aliis tacendi audiendique tempus præscribebat. Vnde & ἀκουστικοὶ supercognominabantur, vt refert Gell. l. 1. cap. 9. Gymnosophistæ cum tantum ad summum regni supercilium subrogabant, qui eximia oris dignitate cæteris antestaret, vt pote, quem, ad excellentium virtutum dotes, natum arbitrarentur. Persæ homines adunco naso (quos Gryppos vocant) honorabant eo quod Cyrum illustrissimum suum principem adunco naso honorabilem fuisse, à maioribus acceperant. Æthiopes regni successionem sororum filiis relinquunt; si nullus sit, pulcherrimum ex omnibus & pugnacissimum creant Regem, ex corporis habitudine rectum animi statum vaticinantes. vt refert Nicolaus de Gentium moribus. In hanc rem aurea sunt Curtij verba l. 6. *Plurimis Gentibus in corporis maiestate venerationem esse magnorúmque operum non alios capaces existimari, quàm quos eximia specie donare natura dignata est.* Latinus Pacatus in Panegyrico quo Theodosium laudat; *virtus tua meruit imperium, sed Virtuti addidit forma suffragium, illa præstitit, vt oporteret te principem fieri, hæc vt deceret.* Isidorus Hispalensis Episcopus cum Mahumetum intuitus fuisset, ex ipsa Physiognomia prædicauit pessimos animi mores, vt refert D. Antoninus. Zeno Citticus videns adolescentem, Animi, inquit, tui vestigia mihi satis explorata sunt. Laërt. lib. 1. cap. 1. Chalcidensis quidam, qui cum Orobazo Parthorum legato descenderat, Syllæ vultu sæpius inspecto, motibúsque corporis ad artis suæ iustam lancem reuocatis, prædicasse fertur; necesse est hunc in magnum virum euadere, mirari verò se magnopere, quomodo iam summus non euasisset. Plutarch. in Sylla. Scitum est quod postea referemus, quàm rectè Zopyrus inspecto Socrate, totáque corporis habitudine, naturáque considerata, in animo latentes fuerit propensiones auguratus.

4. *Vsus est Gregorius Nazianzenus, & alij magni viri.*

Nazianzenus splẽdidissima Græciæ fax, propter admirabilem Theologiæ facultatem Theologus supercognominatus, Physiognomia vsus est, nimirùm cum Iulianum Apostatam, antequam imperio potiretur, Athenis vidisset, exclamauit, *Deus bone! quantum malum Romanum fouet imperium:* nam, vt ipse ait oratione 4. contra ipsummet Iulianum, *non boni ominis indicia videbantur esse, ceruix non consistens, humeri quos subinde iactaret, oculi errabundi & vagi, furibundum quid minitantes, pedes instabiles & genibus nutantes, nasus contumeliam & con-*

temptum ſpirans, vultus deridiculus, & ridiculus, riſus immoderatus, & corpus cachinno concutiens, nutus ſiue annuens ſiue renuens ratione carens, ſermo confectus, & reſpiratione conciſus, interrogationes incompoſitæ, & reſponſiones illis nihilo meliores. Atque ex iis notis crudelitatem ominatus eſt, quæ deinde ferociit contra Chriſtianam Religionem, & licet citato loco, ſe dicat Nazianzenus huius artis Phyſiognomicæ minimè peritum, tamen peritus fuiſſe exiſtimandus eſt, cum tam bene futuram peſſimi viri indolem prænouerit, & quod ſe minimè peritum dicat, hoc eius demiſſioni adſcribo, vt adſcribit Nicetas eius commentator. Democritus Abderita, vel Mileſius, vt ſcribit Suidas, Diagoram Mileſium ſeruum emit, optimo eum eſſe ingenio è Phyſiognomia præiudicans; neque fefellit eum ſua coniectatio & expectatio, ſicuti nec Theodorum Gadaræum Tiberij Cæſaris in arte Rhetorica præceptorem, qui ſæpè iratus, eum, inter obiurgandum, vocare ſolebat, *lutum ſanguine maceratum*, luto tarditatem, ſanguine crudelitatem innuens, vt tradit Suetonius. Quid Iulius Cæſar? num dicere ſolebat ſibi non metuendos eſſe craſſos illos & comatos viros. Marc. Antonium, & Dolabellam; ſed pallidos & macilentos, Brutum & Caſſium, à quibus poſtea confoſſus eſt multis pugionibus, vt narrat Plutarchus in Cæſare.

5. *Commendat Ambroſius & alij.*

His omnibus ſubiiciam meritò Ambroſium, cuius l. 6. Hexaëmeron cap. 4. ſunt eæ præclaræ voces: *Imago quædam animi loquitur in vultu.* Quid Tertullianus? *Rector animus,* inquit lib. de patient. c. 13. *facilè communicat ſpiritus inuecta, cum habitaculo ſuo*, hoc eſt, (vt explicat Creſolius noſter in ſuo myſtagogo lib. 2. cap. 8. ſect. 1.) ea quæ à ſpiritu in animum importantur, anima inuehit foras, communicat cum corpore, quod animæ habitaculum eſt, & per geſtus, atque actiones corporis in hominum lucem emittit: Id fieri propè neceſſariò, libro de cultu fœminarum cap. 13. idem Tertullianus dicit in hunc modum; *Tanta debet eſſe Chriſtianæ pudicitiæ plenitudo, vt emanet ab animo in habitum, & eructet à conſcientia in ſuperficiem, vt & foris inſpiciat quaſi ſupellectilem ſuam.* At quid Origenes? fretus ille authoritate veterum, Hippocratis, Galeni, Pythagoræ, aliorúmque magnorum virorum, non dubitauit dicere lib. 1. contra Celſum, omnes animas habere corpora ſibi congrua, & accommodata. Hinc Dion Chryſoſtomus externa indicia ſiue, vt ipſe appellat, σύμβολα, oratione colligit bene multa, quæ, inquit, mores intimos animique ſtatum indicant, qualia ſunt vox, vultus, habitus, item oculos commutare, collum inflectere. Fruſtra igitur, ſubdit Creſolius, de natura Momus querebatur, quod non ad pectus feneſtellam adhibuiſſet, qua liceret ad intimum animum penetrare, & videre quid in mentis penetrali ageretur, cum tot viæ patefactæ ſint, tot apertæ ianuæ, quibus animi motus & affectiones, vt operta Bonæ Deæ, cognoſci poſſint. Quis neſcit in Iudiciis hunc eſſe vſum, Iuriſconſultorum communiore calculo approbatum, vt cum plures eiuſdem criminis rei aguntur, prior, qui facie deformior eſt, quæſtioni ſubiiciatur, quaſi animo quoque nequior, ſceleriqúe vicinior habendus

dus sit? Nec silendus hîc Salustius, qui Catilinam, hominem scilicet audacem, subdolum, varium, cuiuslibet rei simulatorem, ac dissimulatorem, alieni appetentem, ardentem in cupiditatibus, immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupientem, ex Physiognomica peritia ita describit: *Color exanguis, fœdi oculi, citus modò, modo tardus ingressus, prorsus in facie vultúque vecordia inerat:* Immò cum de eodem mortuo agit, hæc subdit, *ferociam animi quam habuerat viuus, in vultu retinebat.* Quid veteres Philosophi? nónne vt author est Cælius lib. 3. cap. 26. physicas membrorum formas secundas stellas vocabant? quæ tamen nullam necessitatem, sed procliuitatem tantum nobis ingenerent.

6. *Patrocinatur ratio.*

Denique multiplex est rationis patrocinium: animi constitutionem ex totius corporis temperatura, è diuersis cæli locis, diuerso sexu, ætate, statu, ex varia cum animalibus similitudine, conformatione corporis, passiones, moresque indagari; ex aliis passionibus, virtutibus, vitiis, alias passiones, virtutes, vitia coniectari: ex conuictu, ex maioribus, ex nutricibus posse propensionem & affectus inuestigari, apud peritos quosque in confesso est; nos verò hic planum faceremus, nisi paulo post maior nobis hoc cumulatiùs præstandi occurreret opportunitas, dum singula singulis capitibus pertractabimus.

* * *

Quid sit Physiognomia.

CAPVT III.

ARISTOTELES 4. Phys. sibi à definitione loci auspicandum affirmat, quo, difficultates omnes, quæ de loco suboriri possint, enubilet. Eius insistam vestigiis, & Physiognomiæ naturam hinc statim aperiam essentiali definitione, quæ clara esse debet, quo obscuram definiti naturam aperiat; breuis, ne verborum sylua tenebras offundat: Denique reciprocè cum definito dici, nihil enim vernaculum magis & proprium quàm definitio esse potest; Igitur

1. *A definitione ducendũ initium.*

Physiognomia est facultas speculatiua, qua ex signis fixis in corpore apparentibus, aut similibus notis, passiones naturales propensionésque hominum coniectat. Facultas est; & quidem sæpè scientia, cùm per effectus, atque per causas cognoscat, in quo Logici scientiæ naturam sitam docent. Cognoscit Physiognomus ex amplitudine narium, & pinnarum rotunda circinatione copiosum cordis calorem, magnam ad iram naturæ propensionem; ex pilorum abundantia toto corpore respersa vberem humorem, caloris non immunem, atque hinc ingenitam ad libidinem efferuescentiam interpretatur; ex carnis glabritie & mollitie frigus considerat; tum ex frigore, ingenij tarditatem, certò coniectat. Cæterum nolui affirmare Physiognomiam perpetuo scientiam esse; nam interdum infirmis coniecturis, causas, inclinationes, morúmque affectiones indagat, & plerum

2. *Definitio Physiognomiæ.*

plerumque, vt mox aperiemus, probabilitate connititur, omni excussa certitudine; Eapropter opinio erit in nonnullis, non scientia, quod etiam Ethicæ, ac multis aliis facultatibus contingere apud omnes cōpertum est; licet enim apodictice conficiant, non in paucis tamen opinatiuæ sunt. (*Speculatiua*) quippe quæ nullum nobis actionis præstandæ modulum præscribat, sed in pura cognitione acquiescat, sola autem hæc cognitio mentis practica censetur, quæ ei, in quo est, agendum aliquid præscribit. (*Ex signis fixis.*) vt excludam fugacia, & ascititia signa, vt est pallor subitus. Præsentaneus rubor quæ duo indicia sunt, non natiuæ timiditatis, & hilaritatis, sed tantum timoris præsentis & subiti gaudij, aut pudoris. (*In corpore apparentibus*) vt excludam coniecturas omnes, quæ sumi possunt ex constellationibus, sub quibus nasci nos contingit; hæc enim physica nullo modo sunt, & quam vana sint, ad finem libri tertij discutiemus. (*Aut similibus*) has voces ex destinato addidi, vt innuerem multos in Physiognomia fontes, ex quibus quæ in animis latent, in lucem cognitionis euocamus, v. c. ætatem, sunt quippe sui cuique ætati vernaculi mores; patriam; patitur quæque regio suos manes, suum Genium, suas ad virtutem, vitiáque propensiones, atque congenitam indolem; sexum; aliæ enim virorum, aliæ mulierum dotes, inclinationes, temperies, alia complura, his germana suo loco prosequemur. (*Propensiones naturales, affectionésque*) quibus ingenij, memoriæ præstantiam, tenuitatémque, corporum firmam aut imbecillem compaginem, longitudinem, breuitatémque vitæ, valetudinis conditionem, ad certos animi affectus innatas procliuitates concludo, excludo verò quæ studio & exercitatione comparantur, vt Medicinæ, & Philosophiæ, virtutum, vitiorúmque habitus, qui à natura nobis minimè congeniti, disciplina & studio comparantur, præterea res diuinas, vt Charitatis & Prophetiæ dotes, tum quæ forinsecus contingunt, mortem, vulnus ex casu tegulæ: hæc enim & similia cum casui adscribenda sint, cognitione præuideri nullo modo possunt: Denique facta ipsa excludo, quamquam enim ex oris filo hominis genium ad meditandas fraudes natum certò diiudicare possis, non eum tamen reapse in præsenti fraudes meditari affirmare quisquam debet. Verum negari non potest quin sæpè nonnulli præsentes & fugaces mentis affectus ex præsentibus & fugacibus mentis affectionibus, vt etiam ex vno vitio, virtutéque, alia virtus vitiúmque aliud coniectari possint, vt nos sæpè indicabimus. Sed hæc ad Physiognomum non adeò pertinent, qui potius propensiones temperiemque attendit. Denique dictum est (*hominum*) quia Physiognomiæ subiectum, in cuius contemplatione acquiescit, est homo: quamquam enim & brutorum affectus, ex certis notis in corpore sitis, possumus coniectare, non tamen in Physiognomicæ considerationis materiam concludendum arbitror, quemadmodum nec Medicinæ quidquam aliud, quàm homo, assignatur, licèt medicamentorum facultatibus etiam bruta ab ægritudine vindicari possint.

Iterum autem hîc repeto probabilem plerumque esse Physiognomiã; nam

Interdum tantum probabilis.

nam pleræque tenues sunt, & minime solidæ, ex signis non adeo certis, ductæ coniecturæ, quæ quidem, ne adeo facilis sit lapsus in errorem, inquirenda sunt plurima, conferendaque, tum exploranda, quæ consentiant, quæ dissentiant, quæ idem arguant, quæ diuersa declarent; si eidem plura signa suffragentur, certius pronũciari potest, si vnius duorúmue monitis cætera refragentur, cohibenda assertio. At quomodo probabilis tantum Physiognomia, si scientiarum numero sit aggreganda? Iam dixi, sæpe fieri, vt per causas cognoscat, ac proinde certo & euidenter, atque vt exemplum ponam, hominem, ex amplitudine narium ad iracundiam, ex corporis pilositate ad libidinem natura propensum esse auguratur, quia tamen disciplinâ insiti à natura næui corrigi, retundique possunt; & naturæ propensiones superant, elidunt, penitúsque abradunt, vsus, consuetudo, (quæ aduentitia natura est ex Meletio Philosopho) educatio, studium, & si quæ forinsecus corpori impressa sunt lineamenta non conterantur, cæteræque eius notæ non deleantur. Ideo hominem amplis naribus circinatísque pinnulis præditum, vbi quis animaduerterit, probabiliter tantum dicere poterit ad iracundiam cum actu & reapse procliuem esse, cùm probabile sit eum naturæ sua genio obtemperare, neque eius prauis cupiditatibus reluctari; quãquam certum sit alioqui, & ex causæ cognitione euidens, vt suprà insinuauimus, qui eiusmodi est, cum natura ad fellis excandescentiam propensum esse; Cui toti rei lucem afferret non modicam, quod in Socrate contigisse tritum est & peruulgatum; Zopyrus cùm eius corporis habitum inspexisset: mulierosum pronunciauit, quòd iugula concaua non haberet, in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse, cum in eo nullum libidinis vestigiũ fuisset obseruatum; Socrates Zopyri existimationem iudiciúmque defendit, ita talem se quidem à natura fictum & conformatum affirmans, vt in voluptates vehementius efferretur, ratione tamen naturæ vitia, studióque emendasse, indolémque disciplina seueriore castigasse; scilicet recte Ambrosius l. 1. Hexaëmeron c. 80. *In nobis est moderari studia, cohibere iracundiam, coërcere cupiditates, quid naturam accusas ô homo?* & l. 10. officiorum c. 20. *vsus cito inflectit naturam*; ac Cicero Tusculana 2. *Præsto est omnium domina ac regina ratio, quæ parti molliori animi imperare debet, velut seruo Dominus, velut imperator militi, velut parens filio.* Quòd si affectiones quas Physiognomus coniicere potest, mutari aut aboleri non possunt, vt est ingenij ratio; (si quis enim stupidus à natura est, vix, ac ne vix quidem ingenium acuet, poliet, limabitque, etiam improba exercitatione) tunc non adeo vacillabit vaticinium, sed ad certitudinem paulo propius accedet, immò attinget.

4. In quo perfectio. Physiognomia.

Perfectionem autem Physiognomiæ ille fuerit consecutus, qui licèt interdum verum non assequitur, ex his tamen signis, quæ obuia sunt, vt ratio postulat, coniecturas sumet, quemadmodum in Rhetorica & Musica contingit, de quo Aristoteles 1. Topic. c. 2. *Habebimus autem*, inquit, *perfectè methodum Dialecticæ, quando perinde habebimus, ac in Rhetorica & Medicina, & huiusmodi facultatibus; hoc autem*

est ex iis, quæ possibilia sunt, efficere, quæ præeligimus, nam neque Rhetor omni ex modo persuadebit, neque Medicus sanabit; sed si ex iis, quæ adhiberi possunt, nihil omiserit, sufficienter eum habere disciplinam dicemus. Matthias Coruinus Hungariæ Rex tam solerter ex primo aspectu lineamentorum faciei de moribus hominum iudicabat, vt Magiæ speciem æmulis præbuerit, ita Zoachimus Cureus in Annalibus Silesianis.

Nobilitas, vtilitas Physiognomiæ.

CAPVT IV.

1. *Quàm nobilis Physiognomia.*

MANTICEN multas in species vulgo partiuntur authores, quas inter, (vt reliquas taceam) insigniter nobilis est Metereologica, quæ ex ignita nube in aëre apparente, ex putealibus aquis sulphureo odore infectis, ac similibus, terræ motus, aliáque iis germana auguratur; At in dubium est, quin inter omnes manticas facultates Physiognomia nobilissime præfulgeat, quippe quæ in homine diiudicando tota versatur, & res nobilissimas, nimirum corporis abstrusas passiones crasesque pandat, atque illatebratas animorum procliuitates naturáque varias adlubescentias diiudicet. Quod si quis aureum Apollinis dictum (nosce teipsum) authorum commemoratione celebratum, sibi quoque laudandum putat, Physiognomiam, qua recto calle ad nostri notitiam incedimus, commendatione dignam arbitretur necesse est.

2. *Quàm vtilis Medico.*

Quàm porrò vtilis Medico, consulēdus diuinus Senex, Medicorum summus, Hippocrates 1. Progn. *Si Medicus*, inquit, *dixerit coram ægroto præterita, & præsentia; morbi sui naturam Medico notam esse sibi persuadebit facile, fidemque in omnibus accommodabit.* Quid si ex oris filo, totóque vultu, atque membrorum aspectu, Medicus ægroto Idiocratiam detexerit, num ille valetudinis spem maximam in Medici facultate collocabit: sanè, nec iniuria; nam Medico tantùm necessaria sunt morbi, medicamentorum, & temperamenti eius qui curandus est, cognitio? qui vero temperamentum nouit ægroti, vix morbi naturam ignorabit; cui vero hæc duo explorata sunt, medicamentorum facultatem facile ante fuerit assecutus: Quapropter iure magnam concipit spem breui redintegrandæ valetudinis, qui Medicum hac scientia præditum nactus fuerit. Alibi Hippocrates, *Ægri admirātur Medicum, admirantes parent, parentes citius sanantur.* At hanc admirationem potissimum Physiognomia conciliabit. Differentia 135. memorat Conciliator sanatos à se multos, qui ante ab aliis sanari non potuerant, & quidem per remedia nihilo meliora, sed de quibus æger melius speraret ob curantis existimationem.

Viuere spe vidi, qui moriturus erat.

3. *Vtilis iuuentutis educatoribus.*

Proficua in primis est iuuentutis educatoribus, vt malos mores sub vulpe latentes, vbi ex corporis habitu deprehenderint, seueriores disciplinæ fibula constringant, eáque accommodent præcepta, quæ naturæ ardentioris igniculos extinguant, vitiorum radices extirpent, &

&

& seminaria dissipent. Sic Seneca, cùm ad iram præcipitem Cæsaris animum solertissime coniecisset, aureum de ira librum conscripsit; sic, vt supra commemini, Pythagoras pro æstimatione captus & solertia sumpta ex oris corporísque habitudine, audiendi tempus suis auditoribus, ex quo primum accedebant erudiendi, præscribebat; atque, cum pro varia memoriæ, iudicij, & imaginationis præstantia, alij aliis se disciplinis applicare debeant, si tamen ad summum laudis apicem contendunt (vt clarum erit ex iis quæ infra c. 11. art. 9. dicentur) è re sane auditorum erit, cum si doctorem nacti fuerint, qui, ad quas disciplinas cum laude capessendas apti sunt, ex naturæ totius habitudine potuerit præiudicare. Socrates, vt est in literis proditum, qui liberali essent specie, commodáque corporis conformatione, ad Philosophiam pelliciebat.

4. *Vtilis in communi conuictu.*

Verum enimuero non tam breuibus cancellis huiusce facultatis vtilitas sese continet; cùm enim nullum homine sociabilius animal sit, mutuáque semper vtamur alij aliorum consuetudine, quid commodius nobis ad vitæ rationes instituendas esse potest, quàm si Physiognomiæ præsidiis instructi, delitescentes in aliorum animis, & à natura insitas inclinationes, apertas nobis, perspicuasque faciamus, quo rebus nostris, optimo consilio, prospectum esse velimus. Si quid est, vt sapienter prouinciauit primi nominis Physiognomus Polemó, quod homines iuuare possit, hoc præstat Physiognomia, nec enim depositum quisquam, aut thesaurum facile credere aut vicinum exoptare debet, quem petulantiæ, infidelitatis, aut alicuius demum improbitatis notas, in corpore expressas præ se ferre animaduerterit; quid autem huic rei non absimile fecerit Ambrosius, ipsemet audiendus l. 1. offic. c. 18. *Meministis, filij, quemdam amicum cum sedulis se videretur commendare officiis, hoc solo tamen in Clerum à me non receptum, quod gestus eius plurimum dedeceret: alterum quoque cùm in Clero reperissem, iussisse me, ne vnquam præiret mihi, quia, velut quodam insolentis incessus verbere, oculos feriret meos; idque dixi, cùm redderetur, post offensam, muneri; hoc solum excepi, nec fefellit sententia, vterque enim ab Ecclesia recessit, vt, qualis incessu prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur, namque alter, Arrianæ infestationis tempore, fidem deseruit; alter pecuniæ studio, ne iudicium subiret, sacerdotem se nostrum negauit; lucebat in illorum incessu imago leuitatis, species quædam scurrarum percursantium.* De Iulio Cæsare iam diximus, quomodo, à quibus sibi iure metuendum erat, longe ante præuiderit. Meletius verò, postquam nonnulla signa internarum affectionum ex variis corporis partibus ducta, recensuit, sic concludit: *Itaque clementissimi Dei benignitas arcana ipsa humanorum affectuum, moresque reconditos, talibus, quæ expressimus, signis, in propatulo constituit, quo propriæ saluti quilibet consulendo, fidelibus probisque moribus insignitis inhærere, prauosque ac scelestos vsque declinare queat. Idem sapientiæ præceptor nos etiam docet, cum ait: cum homine iracundo non cohabites, neque cum inuido comedas, nec abeas in consilium impiorum, atque vanitatis; nec in cathedra pestilentiæ sedeas, si vocauerint te, veni nobiscum, cum ipsis* ne

ne proficiscaris; Hac de causa Deus nobis in ipsa facie huiusmodi homines deprehendendi facultatem dedit, quo eorum consuetudinem declinare valeamus; nonnulla alia in hanc sententiam prosequitur, sed hæc satis.

5. *Vtilis ad sui aliorumque moderationem.*

Cæterum potest quisque non modico emolumento ad morum suorum disciplinam vti Physiognomia; quare non miror hanc Mantices facultatem tãto studio à Socrate, moralis Philosophiæ principe, cultam & perpolitam, ad consequentes Philosophos dimanasse. Quid?nonne ad specialem tractandorum animorum pragmatiam multũ confert? Naturæ penè famulatur Gratia, eique mirum in modum, vt scriptura membrana, inquit Macarius, se accommodat, atque ex corporis notis, ex quibus, qualis natura sit, qualisque animi Genius dignoscitur, in promptu erit, qualis quisque futurus sit, cum virtuti aut vitiis sese addicet longè antè coniicere.

Soluuntur nonnullæ obiectiones quæ fiunt contra Physiognomiam.

CAPVT V.

1. *Opponitur non posse esse scientiam.*

QVONIAM ex Aristotelis doctrina prorepsit, percepta definitione facile omnes difficultates euolui, & obiectas relui sententias, locus hic postulare videtur, vt iis quæ contra Physiognomiam opponuntur, satisfaciamus.

Opponitur 1. Physiognomiam non posse esse scientiam, quia permulta habet rationis incompertæ, quibus sola suffragatur experiẽtia, vt obtusioris esse ingenij, prauæque indolis, qui supercilia habent ad nasum diuulsa, & ad tempora extensa, quemadmodum sui contingit; Præterea multa esse tantum similia vero & topica. Respondeo si in Physiognomia nihil esset Apodicticum, è scientiarum numero fore illam porrò expungendam: At cùm demonstrationibus abundet, nihil esse, cur scientia non censeatur, cum maiorem aut nobiliorem partem consequatur semper, vt tritum est, appellatio. Nihil vero obest scientiæ quod nonnulla, sola experientia, aut opinione noscantur, quam ad rem Aristoteles in Ethicis lib. 1. c. 3. ait se, id quod verum est, in tota morum ratione, pingui minerua, atque adumbrata figuratione ostensurum, *esséque eruditi eatenus exactiorem in vnoquoque genere explicationem requirere, quatenus pati potest vniuscuiusque natura, cum & Mathematicis suasionibus vtentem approbare, & ab oratore demonstrationes exigere, consimile vitium videatur.* Porrò quam multa habet Physicus, quorum causas ignorat, solam tenet experientiam, aut similem vero rationem, præterea nihil? testatum hoc faciunt Aristotelis problemata; cur magnes ferrum trahit? atque alia sexcenta. Quis porro horum omnium veram & apodicticam rationem, è naturæ visceribus emedullauit & prodidit? Sane ad hæc non est respondendum, vt respondet Mesuë 1. de Appropriatis, Deum quamlibet rem duplici virtute dotasse, cœlesti & elementari, & hos mirabiles effectus cœlesti esse adscribendos;

bendos; sed respondendum est ex Alberto Magno 1. de mirabilibus mundi, quædam manifesta esse sensibus, rationi verò obscura, quædam rationi obuia, & aperta, sensibus obscura, in 1. genere nulli credendum nisi experientiæ, nec expectandam rationem; in 2. non esse expectādum sensum, acquiescendum rationi; Atque Aristoteles lib. 3. de Generatione animal. cap. 10. cum multa de generatione Apum disputasset, subiungit; *Ita se habere videtur apum generatio, at nondum satis explorata; quod si quando satis cognita habebitur, tunc sensui magis erit, quàm rationi credendum: rationi etiam fides adhibenda est, si quæ demonstrantur conueniant cum iis rebus quæ sensu percipiuntur.*

2. *Opponitur 2. videri prohibitā Physiognomiam lege diuina.*

Opponitur secundò Christianæ legis præscripto, prauum omne de alio iudicium coërcetur: *Nolite iudicare, non iudicabimini.* Matth. 7. *Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum.* 1. Corinth. 4. *Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem, tu autem quis es qui iudicas proximum?* Iacobi 4. Imò tria cum hominibus communicare noluit Deus, Gloriam, iudicium, & vindictæ repetitionem: cum ergo Physiognomus tum prauas, tum ingenuas, at prauas multò sæpiùs, hominū procliuitates diiudicet, Christiano instituto ex Antica, vt videtur, linea opponitur. Respondeo prohiberi iudicium temerarium, seu quod prudentia vacat, nam iudicium cum prudentia coniunctum nō potest non esse licitum; At indicaturæ Physiognomicæ, cùm à ratione pendeant, prudentię calculum adiectum habent; alioquin cur oraculo certissimo responsum illuxit diuinum? *Sapientia hominis lucet in vultu eius,* & cætera quæ commemorauimus supra cap. 2. Præterea, quod ad rem propositam accedit propius, de inclinationibus naturalibus iudicium ferre fas cuique semper fuit, de factis ipsis, nefas; nisi sufficientia suppetant ipsorum argumenta. At Physiognomia propriè ex se inclinationes solas naturales coniecturis auguratur.

3. *Opponitur 3. parum vtilem videri.*

Opponitur tertiò, cùm Physiognomia tacitas procliuitates affectionésque diiudicet, exiguæ eam esse vtilitatis, nam facilè doctrina, vsu, atque exercitatione virtutis, naturalia quæ sunt vitia, corriguntur. E diuerso paruulos, quos dedit natura igniculos, vt ait Tullius 3. Tuscul. moribus, opinionibúsque deprauatis, sic extinguere possumus, vt nusquam naturæ lumen appareat; atque ita sæpè variis erroribus imbuimur, vt vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura cedat, penitúsque naturæ indolem exuisse videamur. Respondeo, propensionibus obsequendo, nobis ipsi vitia virtutésque facimus, & quidem plerique omnes repugnare cupiditatibus nescij, plerumque his vitiis laboramus, ad quæ natura incitamur. Non rarò etiam fit, vt innata nobis virtutum semina adolescere patiamur; quare non procul à verò interdum aberrabit, qui hominem imbutum vitiis, præditúmque virtutibus coniiciat, ad quæ naturæ igniculis incitatum agnoscet. Verum vitia, virtutésque non præiudicet Physiognomus, vt sanè non facit, nisi fortè ex aliis vitiis virtutibúsque certis exploratisque? Quid tum? modò obiectum suum præcipuum attingat, nimirum innatas animo-

rum affectiones, quæ sunt virtutum vitiorúmque feracissimum seminarium, num satis est?

4. *Opponitur 4. quod videatur sẽper certò praiudicare.*

Opponitur quartò in contrarium omnino, quod naturale est, immutari non potest assuetudine, *nihil enim*, vt ait Philosophus 2. Ethic. cap. 10. *eorum quæ sunt à natura, aliter assuescit, vt lapis, cui quidem natura competit ferri deorsum, nunquam assuescit ferri sursum; neque similiter ipsum assuefaciendi causa quispiam sursum proiiciet: simili modo nec ignis ferri deorsum, nec aliud quicquam, aliter quam sibi competat, assuescet*; Cùm ergo inclinationes naturales sint; nunquam deponi poterunt; quare certo & non tantum verisimiliter Physiognomus etiam de præsenti animi statu pronunciabit, adeò vt si quis ad iracundiam natura propendeat, nihil sit cur omni dubio seposito, non affirmet iracundum. Respondeo naturale duobus modis dici, 1. quod est de rei essentia, hoc verò immutabile est. 2. Id quod naturali rei perfectioni conuenit, aut ex natura rei sequitur, qua in classe reponenda est Inclinatio. Verum ex Philosopho 5. Ethic. cap. 7. nonnulla naturalia immutabilia sunt, vt ignem vrere, vrit enim eodem modo apud Græcos, & Persas: nonnulla mutabilia, vt dexteram validiorem esse sinistra, possunt enim omnes homines euadere in ambidextros, quandoquidem quod vni contingit, omnibus, pari sorte, contingere potest: Porrò videndum est, quænam naturalia mutabilia; haud dubium, quæ contrariæ actionis non adimunt facultatem, ea autem immutabilia, quæ adimunt, v. c. licèt naturâ manus dextra validior sit, non tamen ea sinistram manum agendi facultate spoliauit. Assuetudine igitur earumdem virium paritatem tum vnâ, tum alterâ manu nobis comparabimus, at lapis, quia natura sua grauitat, & non leuitat; nunquam se sursum feret.

Instabis; Mouebitur ab alio. Hoc nihil est; nam assuetudo habitus, non producitur nisi in eo subiecto, in quo eodémque est facultas productrix actus, qui habitum procreat. His prælibatis, in promptu est solutio obiectionis. Inclinationes nostræ naturales mutabiles sunt, quia in contrarium agendi facultatem nõ adimunt, cum illibata semper iura liberi seruentur arbitrij, nostérque sub nobis sit appetitus.

Quænam signa & coniecturæ Physiognomicæ sint præferendæ; & inuentio Physiognomiæ qualis.

CAPVT VI.

1. *Habendus signorum delectus.*

HABENDVS est signorum delectus, ne in vado res hæreat, ex figura, ex coloribus, ex ipsius faciei accidentibus voce, carne, sudoribus, patria, cælo, parentibus, nutricibus, latentes animi mores inuestigare licet; quæ porrò signa adeò constantia sunt, vt nullis occursantium casuum intestinorúmque morborum iniuriis labefactentur, primas obtinent.

2. *Quæ signa aliis anteponenda.*

Prætereà cum ad vaticinandum totam corporis conformationẽ adhibemus, quæ membra aliis anteponenda sint, impendio præuidendum est; nonnulla membra abs natura contri

contributa sunt ad necessitatem vitæ, vt cor, iecur, caput; nonnulla ad vsum, vt manus; alia denique ad ornatum, vt barba, capilli, neque is à veritatis orbita deerrabit, qui prima, secundis; & secunda, tertiis anteferenda censebit. Verum, vt dubitationem omnem excutiamus, lubet connumerare humani corporis, ex nonnullorum Ægyptiorum placitis, diuisionem; in caput, thoracem, aluum, vlnas, & crura; Etvero, vt sentit Aristoteles, euidentior sumitur coniectura ex illis signis, quæ in eminentissimis locis sunt collocata: eminentissimus autē locus est caput, secundas thorax, tertias crura atque vlnarum obtinet regio: Quæ vero ad ventrem spectant, partes, ad coniecturam sumendam, haud multum conferunt, cuius rei causam reddere in promptu est: nam in capite, velut in arce, omnium sensuum ministeria constituta sunt, vnde motus & sensus functionum conceptaculum est; consequitur pectus domicilium cordis, quod prima vitæ radix est, caloris innati fons, ac veluti microcosmi Rex. Tertio loco crura & pedes quæ motus sunt instrumenta; vltimo loco aluus numeratur, in quam naturæ retrimenta secernuntur, quæ hominem omnium minime attingunt. Hæc ex Aristotelis sententia, quam primi nominis sequuntur, adduntque potissima ea esse signa, quæ ex iis mēbris petuntur, per quæ passio, quam indagamus, exercetur; At quoniam caput rationis regia est, & thesaurus, ingenij, memoriæque sedes, ex eo ingenij memoriæque esse ducenda vaticinia, ex humeris, brachiis, manibus, quibus corporis robur constat, roboris argumenta petenda; ex pectore, quod iræ, timorisque subiectum est, iræ, timorisque indicaturas esse sumendas pronunciant.

3. *Non vni signo credendum.*

Semper verò Physiognomo ob oculos versari debet Aristotelis cautio, vni signorum credere fatuum esse, sed plura circa vnum pensitanda, & ad vnum accommodanda, quo ex iis tuto iudicium pronuncietur; adstipulatur Rhasis, *Cum ad iudicandum*, inquit, *te accinges, non vnam attendas intentionem, sed quoad eius fieri potest, aggregationem*, at si quando signorum acciderit contrarietas, eorum testimonia, & vires ad lanceam reuocanda.

4. *Inuentio Physiognomia.*

Porro modum, quo primum Physiognomia inuenta est, patet esse potissimum inductionem: quæ est à singularibus ad vniuersalia accessus: *Est autem aptior ad persuadendum, & clarior, & secundum sensum notior & pluribus conuenit, cùm syllogismus sit valentior, & contra dicentes efficacior.* 1. Topic. cap. 20. habet vero locum penè in omnibus disciplinis, quod pronunciauit Seneca lib. 6. Naturalium quæstionum. *Longe semper à perfecto fuere principia. Circa verum adhuc errabatur. Noua erant omnia primo tentantibus, post eadem illa limitata sunt.*

Mutua

Mutua corporis, animæque conspiratio & consecutio; Primum Physiognomiæ principium.

CAPVT VII.

1. *Principij quanta vis.*

IAM instituti officij ratio postulat, vt Physiognomiæ principia accuratissime discutiamus; quantum enim in scientia momentum habeat perfecta principiorum cognitio, nemo ignorat. Nec male Hesiodus ἐν ἔργοις, vt refert Aristoles 1. Eth. c. 8. principium plus esse ait, quàm dimidiam totius partem: qua in re Horatius conspirauit, qui principium dimidiæ parti comparauit. Caius quoque Iurisconsultus lib. 1. de origine iuris, affirmat esse potissimam rei partem; Aristoteles vero Elenc. cap. vlt. maximam totius partem vocat. Illustrissimum sane est, quod ait cap. 7. lib. 5. de gen. animalium, dum disputat, quare execta vocem mutent: *Parua mutationes, inquit, causam adferunt magnarum mutationum, non sui ratione, sed cum euenit, vt principium vnà cum iis ipsis mutetur: principia enim, quamuis magnitudine parua sint, tamen facultate sunt magna, hoc est enim principium esse, vt ipsum quidem sit causa multorum, sed ipsius nulla sit superior causa.*

2. *Patitur anima à corpore.*

Accedamus igitur ad maximum & illustrissimum totius Physiognomiæ principium. Affirmat Aristoteles in 1. Physiognomiæ suæ limine, adeo amico pacis fœdere, consociata esse corpus & animam, vt alterum alterius affectiones consequatur, quod vbi rationibus euicit, tum artem aliquam Physiognomiæ dari concludit; & Cassius Medicus, (vt reliquos authores c. 2. laudatos sileam, quorum omnium plane idē sensus est,) cùm quæsiisset problemate 50. cur prodigiosæ formæ homines, vt plurimum emotâ sint mente, respondet, quia corpori consentit anima, vt animæ corpus. Hoc ipsum vero nobis iam ad examen reuocandum est. Primum igitur, non est à corporis motibus & affectionibus impassibilis animus; argumento sunt, qui mania laborant (quæ est mentis alienatio sine febri, in quo à phrenesi distinguitur) possunt enim medicamentis curari, & sola temperiei mutatione ad sanam mentem reduci, quod eleganter docet Horatius.

———Fuit haud ignobilis Argis,
Qui se credebat miros audire Tragœdos:
In vacuo lætus sessor, plausorque theatro;
Hic vbi cognatorum opibus curisque refectus,
Expulit helleboro bilem, morbumque meraco,
Et redit ad se.

Phrenesis etiam, quæ animi quoque morbus est, oritur ex praua dispositione organorū, quam vbi sustuleris, medicamentorum facultate, ipsa quoque euanescit. Prætereà temulenti, donec vinosi vapores consederint, refrixerit caput, cerebrumque purgatum fuerit, nunquam rationis munia sunt obituri. Accedit pituitosos & melancholicos tarde irasci, biliosos, & sanguineos celeriter, non aliam ob causam, quàm quod illorum temperies frigida sit,

horum

horum calida: Iræ autem motus calore solo exacuuntur. Thersites fatuus & stolidus acuminato capite describitur ab Homero. Simia omnium belluarum ingeniosissima, cui humanæ rationis particula videtur indita, corporis humani conformationem æmulatur; faciem, aures, dentes, tum primores, tum maxillares, cilium in vtraque palpebra (quod nulli quadrupedum præterea conuenit ex Aristotele cap. 8. lib. 2. de hist.) manus, digitos, pedes, vngues, hominis more habens. Recte Marcus Tullius Tusculana prima, *Similitudo magis apparet in bestiis, quarum animi sunt rationis expertes; hominum autem similitudo in corporum figura magis extat, & ipsi animi magni refert in quo corpore locati sint, multa enim à corpore existunt, quæ acuant mentem, multa quæ obtundant; Aristoteles quidem ait omnes melancholicos ingeniosos esse, vt ego me tardiorem esse non moleste feram.*

3. *Ratio huius conspirationis.*

Ratio huius conspirationis & proportionis harmonicæ, vt loquitur Firmicus, qua congruit anima cum corpore, hæc est; Causa patitur à suo instrumento, Scriba enim, vel peritissimus Characteres elegantes non depinget vnquam, si calamo male aptato vtatur; si oculus noxio humore perfundatur, caligabit visus; si senex haberet oculum iuuenis, videret vt iuuenis, 2. de anima textu 4. Cæterum præcipua corporis affectio, à qua patitur animus est temperies, & membrorum interna externaque conformatio. Temperiei indicia sunt læuitas, durities, asperitas, mollities. Conformatio externa, satis ex se illustris & conspicua est: Internæ conformationis notæ sunt, figura externa, magnitudo, paruitas, aliáque illiusmodi. Nam cùm præcipuæ partes efformatæ sunt, cor, iecur, cerebrum, circundantur caueæ & domicilia, cordi & iecori thorax, cerebro, caput: illisque pro magnitudine, figura & quantitate adaptantur, compinguntúrque. Quod si vis formatrix vigeat, caueas has, & cōceptacula exquisitè conformat, confingit, temperat; colore florido pingit, venustatque partes exteriores, eisque magnitudinem congruam, collocationem decoram tribuit. Quod si in interioribus efformandis, compingendisque errat, non est quin in exterioribus multò grauius delinquat, & vt vt sit, externa dispositio internæ character est.

4. *Patitur corpus ab anima.*

Alterum caput hîc statuendum est, corpus animi perturbationibus, quasi procellis fluctuare, quòd in promptu est; In ira cor palpitat, corpus tremit, lingua præpeditur, facies ignescit, oculi exasperantur, dentes acuuntur, labia mordentur. *Vt vestem tinea, vt lignum vredo; ita cor viri, tristitia lædit, multósque occidit tristitia*, inquit Sapiens. Sic qui gliscentis inuidiæ felle flagrat, pœnali lurore, & miserrima macie deformatur.

> *Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,*
> *Nec fruitur somno vigilantibus excita curis.*

5. *Huius conspirationis ratio.*

Demum subiicio rationem huius mirabilis consensionis. Anima forma est, corpus materia: & motus animæ habent rationem formæ, motus corporis, materiæ, vt ait D. Thomas sæpe infra citandus cap. 13. de passionibus: Quare sicut forma mouet materiam, ita motui animæ semper similis in cor-

pore motas respondet, quod eodem capite fuse disputabimus. Ac quidem in vniuerso, superiora imperant inferioribus, inferiora parent; & inter naturales facultates aliæ ministrant, & seruiunt, nimirum attractrix, retentrix, concoctrix, expultrix: aliæ imperant, ministranturque, vt nutritiua, & generatiua, ad quarum arbitrium agũt vel otiantur aliæ: Idem in animalibus facultatibus obseruari potest: quare ab anima sæpius corpus alteratur. Et è contra quia anima ad agendum corpore indiget, vt instrumento; actiones hæ, pro varietate & dispositione instrumenti, variæ sunt: ac, sicut dixit Basilius lib. de Virginitate, corporis virginitatem virginitatis animæ ancillam esse, ita quoque recte dici potest, varias corporis affectiones, animæ dispositionibus ancillari: Augustini effatum est lib. 1. Retractationum cap. 1. *cum corpus è terra, spiritum possideamus è cælo, ipsi terra & cælum sumus.* At hoc mirum in nobis est, quod cælum à terra patiatur, vt & terra à cælo, quemadmodum iam confecimus.

Similitudo cum animantibus. Secundum principium.

CAPVT VIII.

1. Ex diuersitate formarum diuersitas corporum.

QVÆ sunt in cõposito physico partes, quas magni & parui, patris & matris appellatione Platonici designarunt, vna est materia, altera forma, ac solerti naturæ genio comparatum est, vt forma de potentia materiæ non educatur, aut in ea non producatur per creationẽ, nisi prius propria dispositio formæ, organáque (si modo de formis organicis, cuiusmodi sunt animæ, sermo sit) quasi anteambulæ & cretanæ designatrices antecesserint; Idque eò fit, ne forma, quæ omnium proprietatum fons, & operationum principium est, in eo subiecto vnquam sit, in quo agere nequeat, cum ad actionem certus dispositionum & organorum desideretur apparatus. Et verò nunquam introducetur forma ignis nisi in materiam siccitate & calore iam affectam, nunquam procreabitur animal, quin embryo fuerit consummatus, & organorum varietate distinctus, qualitatum temperie affectus, quæ formæ producendæ congermanescant. Cur rapacibus auibus vngues adunci? Cur crudelibus feris cornua & vngulæ concessa? Cur oui mansuetissimo animali hæc negata? Nisi quod singulis animantibus, quæ maxime apta forent, par erat concedi? Rectè commentator 1. de Anima, *Diuersitas animarum facit corporum diuersitatem.* Cum propter animam corpus formatum sit, nec vnquam visum animal, quod vnius corpus, alterius formam haberet.

2. Ex similitudine cum animalibus licet mores coniectare.

Quamobrem Physiognomus recte ex similitudine hominis cum variis animantibus, parilique corporis conformatione, similes quoque mores & affectiones animæ augurabitur, adeò vt si quis corporis compositione, orísque filo leonem, generosum animal referat, generosum quoque ipsum pronuntiet; Si asinum capitis crassitie, eum stupidum affirmet. Quibuscumque, inbuit Aristoteles, collum grossum, &

& carnosum, iracundi, referuntur ad iracundos tauros: quibus est longum, subtile, timidi; referuntur ad ceruos: quibus autem valdè breue, dolosi, insidiatores, referuntur ad lupos: qui nasum in extremitate grossum habent, insensibiles sunt; referuntur ad sues: qui faciem habent carnosam, timidi: referuntur ad facies asino & ceruo similes: qui valdè paruam, pusillanimi: referuntur ad catum. Hæc in præsentiarum ex Aristotele retulisse sufficiat, reliqua lib. 2.

Scilicet quale est instrumentum, talis est operatio, & potentia & potentiæ affectus, atque propensio: Præterea probabile est similia instrumenta similes habere potentias, potentiarum dispositiones, moresque, atque adeò ipsas operationes, vt rectè post Aristotelem philosophatur Camillus Baldus.

Cæterùm huic ratiocinandi generi patrocinatur Scriptura 1. Paralip. cap. 12. vbi fortissimi viri dicuntur habere faciem leonis: *Viri robustissimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum, & hastam, facies eorum quasi facies leonum, & veloces quasi capreæ in montibus.* Et ibid. cap. 11. dicitur Banaias, vir fortissimus percussisse duos, Ariel, Moab, id est, duos Moabitas, fortissimos vt Leones, qui 3. Regum 23. vocantur absolutè Leones, & Chaldæus vertit, Magnates.

3. *Propria affectiones variorum animaliũ.*

Verùm vt omnis fraudi præcludatur aditus, attentè considerandum est, quæ cuiusque animantis proprietas sit, quæ vernacula affectio & procliuitas, corporisque propria confirmatio certò dignoscenda; quo in quocumque tandem homine illiusmodi corporis conformationem nacti fuerimus, velut ex certo fixoque animæ signo, affectionem præiudicemus. Quod si pluribus animalibus eadem signa communia sint, videndum sedulò, quænam illis passiones communes sint. Communibus enim signis communes respondebunt passiones: vt extrema corporis impendio magna, communia sunt Tauro & Leoni; communis autem passio vtrique non potest esse nisi robur & fortitudo, & quæ his affinia sunt: Quare rectè Physiognomus argumentabitur, qui extrema corporis magna habebit, eum fortem esse & robustum, similiter qui pilum habent durum, fortes sunt: nam animalia fortia pilum talem habent, vt Aper, Leo: contra animalia timida, vt ouis, lepus, ceruus, pilum habent mollem.

Eapropter hoc mihi iam negotij incumbere arbitror, vt proprias variorum animaliũ industrias, propensiones, affectionésque commemorem, quæ Aristoteles lib. 8. de Historia Anim. vocat vestigia morum humanorum. Atque in hoc argumento pronum esset & lubricum redundare, liberóque nimis fluxu effundi, nisi Physiognomicum nos cohiberet institutum.

[Celebratur Aper ira præceps, Leo nobilis, generosus, fortis, liberalis, Lepus & Ceruus formidolosus: Equus superbus: Formica prouida: Pauo inuidus. Vulpes callida: Serpens callidus, imò & cupediosus: Asinus stolidus, piger: Ouis mitis, stolida: Porcus stupidus, salax. Taurus ferox, non secus ac Crocodilus: Ciconia pia: Simia malitiosa, inuida, scurrilis ad aliorum facta imitatione effingenda: Psittacus, Pica, Elephanti dociles: Lupus vorax. Tygris crudelis: Turtur casta: Passer luxuriosus: Hircus

ignauus, immundus: Canis fidelis, assentator, & impudens.]

4. *Explicantur in particulari.*

Aper.

Aper ira præceps est, quod oritur ex calida igneáque natura, qua fit vt sanguis eius nigricet; Præceps ruit in inuadẽtes, quo tempore fundit lacrymam, eámque dulcem: nam raptim fundit se ad oculos plurimus humor bene decoctus, propter summum temperaturæ calorẽ, humidum autem bene decoctum dulcescit, vt patet in melle, & mãna.

Leo.

Leo nobilis, generosus, fortis, & liberalis est: *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum.* Prouerb. 30. atque ab Hebræis fortis vocatur propria nomenclatura: Aristoteles verò lib. 9. de Histor. cap. 44. eius excelsum animum ita commendat: *Nullius suspiciosus est Leo, festiuus, ludibundus, beneuolus admodũ cum suis subditis, & familiaribus est; in venatu dum cernitur, nunquam fugit, aut metuit, scilicet etiamsi venãtium multitudine cedere cogitur, sensim discedit, crebrò subsistens, atque respectãs; nactus verò opaca, fuga, qua maximè potest, veloci, se subtrahit, donec in aperta deueniat, tũ rursus lentè incedit: percussorem agnoscit, si quis eum non percusserit, sed infestet, hunc non vnguibus lacerat, nec vlla iniuria afficit, sed quatit solùm, & vbi perterruit, dimittit; tantùm, cum famet, ferox est; fame vacans, nihil eo facilius.* ita Aristoteles; At Ouidius 3. tristium eleg. 5. idem expressit.

Quo quisque est maior, magis est placabilis ira,
Et faciles motus mẽs generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni,
Pugna suum finem, cùm cadit hostis, habet.
At lupus, & turpes instant morientibus vrsi,
Et quæcumque minor nobilitate fera est.

Leonum animi index cauda, sicut & equorum aures, ait Plinius lib. 8. cap. 16. dicuntur vulgò eius ossa omninò solida ac sine medulla, ad summi roboris indicium: sed vt notat Aristoteles lib. 2. de part. Animal. cap. 5. dicuntur nullam habere, quia exiguam habent; et verò necesse est vt aliquam habeam, quia vbi concoctio est (est autem vbi nutritio est) oportet vt sit aliquod excrementum, quod in osse maximè proprium est medulla.

Lepus.

Lepus formidolosus propter frigiditatem. Quare velocitatem ei concessit natura, scilicet pedum multitudo Insectis tributa est, vt quoniam robore carent præsidium in fuga collocatum habeant, & quò Insectum quodque frigidius seu timidius est, eò, numero pedum excedit: atque vt Tauris cornua ad pugnam; exerti dentes Suibus agrestibus; vngues Aquilæ; Leoni dentes; atramentum sepiæ; ita celeritas pedum nonnullis animantibus ad effugia data est. Quod verò leporis celeritatem maximè auget, est, quod pedes anteriores posterioribus pene triplo breuiores habet, quod mirum in modum ad celeritatem confert; Hinc rotæ quadrigarum anteriores multò minores fiunt posterioribus, vt motu posteriorum ocyus impellantur. Ex timiditate oritur etiam quod Græci πθῶκας lepores vocent, à pauore; notum est illud adagiale Sidonij Apollinaris lib. 5. ep. 7. *In prætoriis leones, in castris lepores:* dormiunt semper oculis apertis, clausis interdum vigilant.

Ceruus.

De Ceruo quàm timidus sit, nihil opus est dicere: solent Græci & Hebræi de hoc animali agentes fœminino

minino potius; quàm masculino vti, de quo videndus Delrio in Psalm. 17. vers. 34. Notat verò Aristoteles 3 de partibus cap. 4. ceruum, leporem, sicut & hyænam, asinum, panthæram, mustellam proportione corporis magnum habere cor, ac propterea timida esse, affectus enim qui accidit ex metu, iam in iis præest, quoniam calorem proportione corporis non habent; vnde & sanguis frigidior est, cum calor in magno conceptaculo exolescat; & notum est tantumdem ignis in magno & paruo conceptaculo non æquè calefacere, sed minus in magno, sic in his calor non pariter agit ac propter contrariam rationem audentiora sunt & fidentiora, quibus cor paruum est aut mediocre.

Equus. Superbus est equus & generosus, quare vt olim superbiam Platonis notaret Antisthenes, in equum hinnientem, frementémque aspiciens, tum ad Platonem conuersus ait, *Ne tu præclarus fuisses equus.* Quid, quod, vt legitur Iob 39. *Gloria narium eius, terror; terram vngula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis, contemnit pauorem, nec cedit gladio; super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta, & clypeus, feruens & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem, vbi audierit buccinam, dicit: vah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus?* His omnibus addo quod maximum ei robur inditum est, vt impetu inuadat, calcibus feriat, pedibus proterat, & dentibus arripiat.

Formica. Formica prouida est & prudens vt notum est.

Pauo. Pauo inuidus, ornatus, polituræque studiosus, vt habet Aristoteles lib. 1. de hist. cap. 1. Et verò maximum studium politiarum non potest non sequi inuidia, studium verò hoc oritur ex innata pulchritudine.

Vulpes. Vulpes callida, imò dolis omnibus instructa, adeò vt inde vulpinari verbum sit corriuatum. Horatius satyra 3.

Astuta ingenium vulpes imitata
leonem.

Gloriabatur interdum Pāthera apud Vulpem, vt refert Plutarchus, de varietate pellis suæ, hæc verò respondit, interiorem suam pellem multo magis picturatam, macularúmque varietate distinctam. Lucæ 13. Herodes Tetrarcha Galilææ vocatur à Christo vulpes. *Dicite vulpi illi*, quia veterator erat, dololisque artibus Christum quærebat ad necem, fingebat enim eum se videre velle, quemadmodum & parens eius Herodes Ascalonita, velle adorare; sed vterque vt interficeret.

Serpens. Serpens etiam astutus, imò cupediosus est: Audiendus Aristoteles cap. vlt. lib. 2. de part. *Ad saporum gustatum serpentes longam habent, & bifidam linguam, atque ita longam, vt ex paruo longe protrahi possit; bifida, & ex parte extrema instar capillamenti tenuis est, propter naturæ suæ cupediam; duplex enim voluptas iis capitur, quasi duplicem sensum gustandi habeant.* At lib. 8. de historia Anim. cap. 4. ait esse omnium animalium maximè cupediæ deditos, vini etiam ait esse incontinentes; proinde viperas aliqui vino cum fictilibus ad sepes dispositо venantur; ebriæ enim capiuntur.

Asinus. Stolidus & piger Asinus: ac tam propria est ipsi pigritia, vt propterea nonnullæ locustæ, olim Syris in cibum adhibitæ, quas Lucas, cum de cibo Ioannis Baptistæ ἀκρίδας; Dioscorides oniscos & asiracos, Plinius

Attelabos vocat, vulgo aselli nominentur ob pigritiam, de quo videndus Scaliger Exerc. 192. Sed vt ad rem. Asinus summè frigidus est, vnde frigoris maximè impatiens; ac propterea terra Scythica & Pontica carent asinis ex Aristotele lib. 8. de Historia Animal. cap. 25. Ac circa quinquagesimum ab æquatore gradum, versus vtrumque polum non viuunt. Ex summa frigiditate oritur pigritia & stoliditas, nec malè Poëtæ finxerunt sola asini vngula, vtpote solidissima & durissima, contineri posse aquam Stygis, nam quod terrenum admodum est, vt vngues, vngulæ, rostra parum caloris humorisque adepta, dum refrigerantur, calore cum humore euaporante, duram formam capiunt; calore verò soluuntur: ita Aristoteles lib. 2. de gen. animalium cap. 4.

Mulus. Asino accedit mulus & mula, quę propter frigiditatem summam, si simul coëant, sterilia sunt. Cæterum lib. 4. cap. 2. aliud optimum indicium frigiditatis asininæ afferemus, scilicet summam munditiem omnium, quæ ex sordibus oriuntur, animalium, expertem.

Ouis. Ouis mitis & stolida, ita loquitur Aristoteles cap. 3. lib. 9. Hist. *Iam enim*, inquit, *genus ouile amens, & moribus, vt dici solet, stultissimis est, quippè quod omnium quadrepedum ineptissimum sit, repit in deserta sine causa, hyeme obstante ipsum sæpè egreditur è stabulo: occupatum à niue, nisi pastor compulerit, abire non vult, sed perit consistens, nisi mares à pastore minentur, ita enim reliquus grex consequitur.* Huius mansuetudinis & stoliditatis ouinæ rationem habuisse mihi videntur Romani, cùm in minori illa pompa, qua Imperatores parta victoria in vrbem deducebantur, & ait Plutarchus in Marcello, oues, vnde ouationis nomen ductum est, sacrificati voluerunt; hic enim honor, qui triumpho longè inferior erat, decernebatur, cum hostium deuictorum nomen humile & instrenuum erat, & nulla bellica gloria illustre; quare cum sugillaretur Aurelianus Imperator quòd de Zenobia triumphare, quàm ouare maluisset, ita elusit, *nihil me pudet de fœmina triumphasse, quæ virtute plusquam virili sit prædita.* Fabius ille cunctator, ouicula, dictus est ex Plutarcho in eius vita ob morum clementiam, & quod nihil illo esset placidius.

Po. Porcus salax, quod oritur ex summa eius ingluuie quam parit crassissimum & amplissimum iecur; semine abundat, quod patet ex eo quod contra naturam bisulcorum animalium multos parit, cap. 6. lib. 4. de gen. Animalium.

Tau. Taurus stupidus, ignauusque est, iracundus & ferox, sanè in eius sanguine multæ visuntur fibræ, terrestris exuberantiæ indices, caloris retentissimæ, & velut prunæ inardescentes; hæc ferocitatis origo. *Quorum sanguis fibris admodum multis crassisque refertus est*, inquit Aristoteles lib. 2. de partib. Animal. cap. 4. hæc *terrena amplius constant natura & animosa, iracunda, proindéque furibunda sunt: ira enim calorifica est, solida autem firmioráque omnia concalefacta, vehementius quàm humida calefaciunt: fibræ verò solidæ terrenæque sunt. Itaque quasi formatæ in sanguine efficiuntur, feruorémque per iram accendunt, ex quo fit vt Tauri, & Apri animosi furibundíque sint, sanguis enim eorum fibris refertus est.*

Ciconia. Ciconia pia; quòd rectè expressit Ambro

Ambrosius lib. 5. Hexaëmeron. c. 16. *Quàm verò rationabilium excedat huius auis clementia, considerandum, quam nec post exemplum quidem, rationabilium quisquam nostrorum imitari poterit: nam depositi patris artus per longæuum senectutis, plumarum tegmine, alarúmque remigio nudatos, circumstans soboles pennis propriis; & quid dicam? collatitio cibo pascit, quando etiam ipsa reparat naturæ dispendia, vt hinc atque illinc subleuantes senem fulcro alarum suarum ad volandum exerceant, & in pristinos vsus desueta iam reuocent pij patris membra: quis nostrûm leuare ægrum non fastidiat patrem? quis fessum senem suis humeris imponit, quod in ipsa historia vix credibile habetur? quis, vt pius sit, non hoc seruulis mandat obsequium? At verò auibus non est graue, quod pietatis est plenum, non est onerosum, quod soluitur naturæ debito. Non recusant aues pascere patrem, quod etiam, præscripta necessitate, sub terrore pœnarum, plerique recusarunt: Aues non scripta sed nata lex stringit. Aues ad hoc munus nullo præcepto conueniunt, sed gratiæ naturalis officio. Aues non erubescunt reuerendi senis membra portare: Est enim vectura pietatis, quod eo vsque frequenti testificatione percrebuit, vt congruæ mercedem remunerationis inuenerit. Nam Romanorum vsu Pia Auis vocatur: & quòd vix vni imperatori consulto Senatus delatum dicitur, hoc istæ aues in commune meruerunt. Habent ergo aues istæ decreta patrum ad propriæ insigne clementiæ, pios enim filios patrum prius oportuit iudicio prædicari; habent etiam vniuersorum suffragia; nam retributio beneficiorum Antipelargosis nominatur; pelargos enim ciconia dicitur. Virtus itaque ab his nomen accepit, cùm relatio gratiarum Ciconico nomine nuncupetur.* His omnibus addere possumus quòd pelargicæ leges apud Græcos dicuntur eæ, quibus aliqua pietatis munia præcipiuntur, atque, inter cæteras, illæ maxime, quibus liberi parentes suos senio confectos, alere iubentur. De Ciconiarum pietate videri potest Solinus c. 43. Olaus Magnus, Archiepiscopus lib. 19. c. 14. Ælianus & alij.

Simia. Simia malitiosa, scurrilis, ficta videtur à natura ad aliorum facta imitatione effingenda: forma ambigua est inter bipedes & quadrupedes. Caret natibus, vt quadrupes; cauda, vt bipes; quo versatilis sit, & partes omnes corporis contrectare possit, ac facilius aliorum facta effingat: A Galeno vocatur ridiculosa hominis imitatio, & iusta videtur fuisse natura, quæ ridiculam animã ridiculo circumuestiuit corpore. Centuria prima prouerbiorum Arabicorum istud me legere memini, *secretum tuum ne aperias simiis*, per simias derisores intelliguntur, qui, vt pote auidi laudis quam ex salibus, aliorúmque imitatione venantur, commissum ipsorum fidei secretum seruare non possunt. Empedocles, Parmenides, Democritus, Porphyrius, Plutarchus, Galenus animalia existimarũt non modò valere solertia, quæ rationem imitatur, vt notum est; verùm etiam ratione pollere, quod tamen falsum est, cùm nullum animal, præter hominem, per electionem agat, cuius signum est quod in eadem specie omnia eodem modò agant: Deinde sequeretur veræ virtutis atque adeò meriti esse capacia, quis autem hoc concedat? verùm, si cui animali aliquis rationis vsus competeret, simiæ maxime post homi-

nem conueniret.

Psittacus Pica, Elephantus. Psittacus, Pica, Elephanti dociles sunt. Elephanti funambuli visi sunt. Romæ visus est vnus cum saltationem doceretur, ad lunam saltare, vt motuum suorum concinnitatem aduerteret, cum enim paulo tardior esset, multis plagis onerabatur, quippe qui nihil disceret. Vno verbo de Elephantis merito dici potest, quod de nonnullis aliis animalibus dicit Ambrosius lib. & c. 6. Hexaëmeron, *Naturam suam humana institutione deponunt, obliuiscuntur quod nata sunt, induunt quod iubentur; quid multa? docentur vt paruuli; seruiunt, vt infirmi; verberantur, vt timidi; corriguntur vt subditi, in mores transeunt nostros, quoniam motus proprios perdiderunt.* Exemplum mirum Picæ quæ didicit imitari tubas, cùm simul multos buccinatores audiuisset, refert Plutarchus tractatu. Quænam animalia prudentiora sint.

Lupus. Lupus vorax, atque adeò vorax, vt sæpe terram esitet; adeò ignei spiritus est, vt pelles, quas attigerit, putrescant sæpissime. Est in mari piscis cui nomen Græcè λάβραξ, Latine Lupus marinus, scilicet à vorandis aliis piscibus nomen hoc comparatum est: Item in fluuiis est lucius (ita primùm vocauit Ausonius (nomē deductum est à λύκος, Lupus, idque vt patet etiam propter voracitatem. Lupo terrestri animali propria voracitas est, propter intestini rectitudinem, quæ, vt ait Aristoteles, 3. de partibus Anim. c. 14. cibi auiditatem accelerat, vt in homine atque aliis animalibus intestinorum amplitudo, eadem cibi auiditatem auget.

Tygris. Tygris crudelis, quod satis notum; hinc illud 4. Æneidos.

———*Hyrcanæque admorunt vbera Tygres:*

Scilicet abundat Tigribus Hircania; à velocitate ducitur nomē, nam Medi Tigrin, sagittam appellant, vnde & fluuium illum celeberrimum, quod sagittæ velocitate decurrat, Tigris appellatione nuncupant. Porro huius animalis tanta est velocitas, vt ad sua vsque tēpora capi nō potuisse scribat Varro lib. 1 de lingua Latina, per Hyperbolem accipiendum quod Tigridem vno cursu octingenta stadia conficere: ait Petrus Damiani lib. 1. epist. 17. *Eo verò formidabilior Tigridis crudelitas, quo maior velocitas.*

Turtur. Turtur casta; mortua scilicet comite viduitatem castissime tuetur, ac riuales alarum ictibus, & rostro constantissime arcere consueuit.

Hircus. Hircus ignauus & immundus, pro impudico semper ab antiquis sumptus; hinc Hirci virus, vel hircum olere dicuntur, qui sunt effreniter intemperantiores: atque hircuitati, à Sexto Pompeio & Censorino, vocantur pueri, cùm libidinosiori accedunt ætati.

Passer. Passer luxuriosus; omnes penè aues salaces, hinc salaces struti appellantur, at inter aues salacissimus passer, vnde natum adagium, Passere salacior.

Canis. Canis fidelis, cuius quidem fidelitatis passim leguntur exempla. Inter cæteros apud Ambrosium lib. Hexa. 6. c. 4. assentatorem quoque esse constat, contumeliosum vocat Aristoteles, quia etiam in eos à quibus non læditur, efferuescit, ringit, & allatrat, propter siccam temperiē, adustósque humores. Olim Dij lares canum pellibus ornabantur, vt ait Plutarchus in problematibus c. 51. quia domus fidi custodes censebantur,

bantur, alienis formidolosi, domesticis blãdi. Quid cætera prosequar? cui notum non est canem impudentiæ emblema? Achilles Agamemnonem propter impudentiam caninum vocat; & habere caninos oculos ad impudentiam improperandã in prouerbialem figuram abiit. Hecuba propter impudentiam in canem dicitur conuersa, & qui supra modum impudentissimus est, composito nomine ex musca & cane κυνόμυια vocatur: Philosophi Cynici, olim impudentiæ thesauri, vt Zozimum nescio quem presbyterum nominauit Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 108.) à cane, propter impudentiam nomen traxerunt.

Coronidem apponere libitum est cum præclaro Regis Alphõsi effato, qui, cùm nonnulli corã ipso bestiarũ causam contra homines defenderẽt, cornicis continentiam, formicæ prouidentiam, apum in regem obseruantiam, canum fidelitatem, columbæ simplicitatem, Delphini amicitiam insigni præconio commendarent, respondisse fertur; Hæc virtutum quamquam pura simulacra, brutis animantibus concessa esse, ad conciliandum improbis hominibus pudorem, qui ne quidem imitatione feras sæpissime assequũtur; atque in hoc institutum sæpissime excurrit Ambrosius toto l. 5. Hexaëmerô aliquid nos insinuauimus cum de Ciconia. Antonius de Balinguen Societatis nostræ librũ scripsit, cui titulus Zoopædia seu Institutio morum à brutis petita. Sed in partes nostras redeamus.

* * *

Mores vtriusque sexus; Tertium principium.

CAPVT IX.

NOTVM est, quòd Aristoteles in Oeconomicis celebrat. Ad summũ prouidentis sapiẽtiæ æquilibriũ, maris & fœminæ naturam fuisse temperatam; Alterum enim robustum est, alterum imbecillius, vt hoc quidem ob timorem cautius, illud verò ob fortitudinem pugnacius esset; & alterum bona parat foris, alterum parta domi conseruat; ad operis verò effectionem, alterum sedulitatem intra limen agit, ad externam verò peruagationem imbecillum; Alterum ad sedulitatem deterius, ad motus autem est valentius; quod prolem attinet, alterius est nutrire, alterius erudire. Ex qua Aristotelis sententia, quantùm marem & fœminam natura dispararit, & variarum, tum in corpore, tum in animo affectionum discerniculis secreuerit, satis dilucet; Neque hæc à Physiognomia quisquam abhorrere iudicet; debet enim omnes illiusmodi affectiones præcognoscere, vt si cui viro muliebris forma, & color, aliàque accidentia conueniant, ab eo muliebris quoque animi mores & pathemata non iudicet aliena; quod si mulier virili forma prædita sit, virilibus quoque moribus affectam auguretur. Quare Aristoteles qui collum habent grossum, fortes sunt secundùm animam; referuntur ad masculinum genus; qui autem subtile, imbecil-

1. Differentia maris & fœminæ.

les sunt, referuntur ad fœminas; qui spinam magnam & bene fortem habent, fortes sunt anima, referuntur ad masculinum genus, qui autem spinam strictam & imbecillam habent, molles, referuntur ad fœmininum genus; verùm de his & similibus toto 2. libro agetur.

2. *Quæ hoc capite præstanda.*

Quare vt pro dignitate hoc vaticinij Physiognomici promptuarium componamus, tria mihi præstanda video. Primùm corporeæ, tum maris & fœminæ affectiones explicandæ; tum animi mores aperiendi; Deinde doctrinæ vberioris gratia, tum masculini, tum fœminini corporis forma ex Aristotelis placito hîc transcribenda.

3. *Quid mas, quid fœmina.*

Sed ante omnia quid marē, quid fœminam dicamus, & quænam vtriusque sit ortus causa, attendamus; marem, illud animal dicimus, quod in alio gignit, fœminam, quod in seipso. Quamobrem in vniuerso quoque Terram quasi matrem statuunt; Cælum autem & Solem, & reliqua generis eiusdem, nomine genitoris patrisque appellant, inquit, Aristoteles lib. 1. de gen. animal. c. 2. & lib. 2. c. 3. fœminam marem læsum vocat, eodémque libro cap. 4. ita philosophatur, fœmina est quod materiam præbet, mas quod vim creandi; Itaque corpus & magnitudinem præberi à fœmina necesse est, à mare nihil tale necessario desideratur, quod si quæ oua subuentanea pariunt, tum pisces, tum aues, ad generationem sunt imperfecta, nisi accedat maris semē, & quamquam pisces nō coëunt, mas & fœmina, tamen posteà debent maris semine aspergi oua fœminæ, alioquin seruari non possent ibid. cap. 4. at cap. 2. lib. 4. notat fœminas non procreari nisi ex defectu caloris & abundantia frigoris, sic prima & senescens ætas, potiùs quàm florens fœminas generat; in altera enim calor nondum perfectus est, in altera deficit; humidiora effœminatiora que corpora & semina humida, magis quàm spissa, fœminas potiùs gignunt; flantibus Austrinis ventis & idem contingit, vt fœminæ procreentur, immò in pecoribus, si dum coëunt spectant ad Austrum; cùm contra si spectent ad Aquilonem, aut flent Aquilonei, mares procreabuntur. Solus mas penè septimo mense oritur, quia calidior atque adeò nobilior est. De his plura apud Aristotelem libro 4. citato c. 2. & multo fusius c. 1.

Hippocrates verò lib. de genitura de vtriusque origine sic philosophatur, *Si ab vtrisque parentibus semen fortius prodierit. Partus erit masculus; si verò debile, fœmina nascetur: vtrum autem multitudine & copia præualuerit, iuxta illud, ipsius partus nascetur, nam si debile semen abundarit, fœmina nascetur, si forte, mas*; Iterum Hippocrates lib. de natura pueri, rationem reddit cur fœmina tardiùs conformetur in vtero matris; communis est enim sententia marem conformari animarique circa quadragesimum diem, fœminam circa octogesimum, quamquā Albertus l. 9. de Animalibus Tract. 2. c. 5. dicat aliquando infundi animam circa vigesimum quintum diē, sed semper quidquid sit, aliquanto tardiùs infunditur in corpus fœminæ quàm maris; Sed iam ad rem; *Genitura fœminea*, inquit, Hippocrates, *debilior est & humidior, quàm mascula, quare tardiùs compingitur opus, sicque etiam purgatio diuturnior est*; hinc sequitur, cur ab iisdem aliquando mares, aliquando

fœminæ

fœminæ nascantur, quia non semper eodem modo, tum in viro, tum in fœmina affectum semen est.

Corporis virilis & fœminini forma & affectiones.

Articvlvs I.

4. *Virilis corporis affectiones.*

VIr magno corpore præditus est, amplo capite, duriori capillo, cultu lato, arcuato supercilio, oculo magno & splendido, vultu viuido & coloratiori, carne duriori atque ficciori, extrema corporis magna, neruosa, articulata, superna membra magna parte crassiora infernis; vox grauis, diuturnior vita, Horum omnium ratio est, quod marem multò vegetior & perfectior formatrix in vtero facultas effingat, ipséque calida & ficca temperatura constet, calorem consequitur ossium, venarum, neruorum, membrorúmque omnium amplitudo firmitásque, atque spirituum vberior copia, cum quibus omnibus vocis grauitas & robur corporis coniuncta sunt: De magnitudine præclarè philosophatur Aristoteles cap. 1. lib. 2. de generatione animalium, *Magnitudo non nisi calore animali fieri potest, quod enim maius est, id à facultate ampliori moueri necesse est, mouere autem calor potest: quam ob rem in vniuersum propriè dixerim maiora, quæ sanguinem habent, quàm ea quæ non habent, & incedentia, quam stabilia:* Ita Aristoteles. Maris motus in dextra plerumque parte, quæ calidior est, percipitur, fœminæ in sinistra: Siccitatis signum est, carnis capillorúmque durities. Porrò superna membra ferè semper crassiora, quia caloris proprium est in superna ferri, quo fit vt cum calor in viro abundet, sursum maior alimenti seu sanguinis copia deferatur. Diuturnioris vitæ est, quia calidior, quia vegeta corporis facultas, & temperaturæ bonitas, facilè ingruentes morbi repellit iniurias, tamen propter aliquas causas, aliunde quàm ex temperie petitas, vt est salacitas, labor & similes, breuioris vitæ esse potest; labor enim, & semen cum prodit, afficcat, vnde acceleratur senectus, atque adeò interitus. In passerum genere, quia mares salacissimi, breuiorem fœminis vitam obtinent.

Huic sententiæ dissentaneum non est, quod inter plantas, mares appellantur, quæ plus habent seminis aut virium, aut spirituum: fœminæ quæ plus humoris. Qua ratione vinum album, marem, quia spirituosius, multóque leuius est, (vnde & rubro superfluitat) rubrum verò fœminam appellare solemus. Magnes verò, cùm alius ater, alius sit ruber; ille quia imbecillior, fœmina; hic, quia efficacior, mas vocatur.

5. *Fœminini corporis affectiones.*

Fœmina quasi ex Antica linea viro opponitur, minor corpore, capitéque quàm vir, molli capillo, facie angusta, longa, collo subtili, mento rotundo, raris superciliis, nihilque, aut parum arcuatis, patulis, compressis, constricto corpore, dorso infirmo, inarticulato, breuibus brachiis, manibus, pedibúsque, toto corpore parum neruoso, venoso, musculoso, imbecilliori, læuiori, molliori, pallidiori, breuioris vitæ est, superna membra ferè habet tenuiora, contra inferna crassiora, tardius formatur in vtero, citiúsque senescit. Horum omnium ratio contraria est, quàm in viro; nam fœmina, vt certissimum est, frigidior

multo humidiórque viro est; quod tamen si quis problematicè disputatum videre velit, consulat tertiam partē septimi libri Analogiæ microcosmi, authore eruditissimo Nicolao Nancelio Medico Leonoræ Borboniæ Abbatissæ Fontis-Ebraldensis; porrò in fœmina ex frigiditate, mēbrorum tenuitas & infirmitas oritur, vocisque gracilitas, vt gracilem emittit sonum angustior fistula, contra grauem quæ latior est. Ex humiditate læuitas, mollities tum carnis tum capillorum emanat. Cur inferna membra crassiora, pete ex sanguine atriore & crassiore, quo abundat propter frigiditatem, quodque pondere suo facilè ad inferna vergit, ac non nisi ægrè surrigitur, vt habet Aristoteles cap. 19. lib. 3. de Hist. *Fœminis*, inquit, *sanguis nigrior, & crassior quàm maribus est, dummodò adsint pariter cætera, quæ vel ab ætate, vel à sanitate, proficiscuntur, & minus sanguis per summa corporis fœminarum est; plus enim parte interiore continetur; paucis item mulieribus è naribus profluit sanguis.* Olichronia seu breuis vitæ est, propter infirmam naturam, quæ morborum non repercutiat iniurias. Verùm hac tota de re prolixior nobis tractatio passim postea incumbet, dum singula corporis membra pertractando percurremus. Quare rationem hanc breuitatis coarctare cancellis necessum est. At sunt hic quæ prætermissa non patior.

6. *Calor, humor, generationis verū principia.*

Primum: Duæ sunt præcipuæ administrandæ generationis facultates, calor, humor, atque adeò ver, humidum & calidum, principium generationum est; cùm ea anni tempestate germina inflent, flores inornent arbores, omnisque auium grex fœtet, & pariat. Et quanquam columba, aliáque perpauca, si locum apricum habeant, omnibus anni temporibus pariant, pullósque educent, proles tamen præstantior verè est, quàm reliquis tempestatibus. Ita Aristoteles cap. 13. lib. 5. Hist. Galenus autem lib. 1. in Aphor. 17. Hippoc. dicit Autumnum assimilari morbis, qui ex corruptione oriuntur, quò fit vt laudem mereantur Astronomi, qui veri Arietem, fœcundissimum animal; Virginem verò, sterilem scilicet, Autumno assignarunt. Et verò cum diuersitas sexus ad generationem seu procreationem fœtus, cuius beneficio natura sempiternitatē æmulatur, comparata sit, par fuit vt quoniam mas calidus est, humida esset fœmina. Quò fortè Thales longè scientissimus Ionicæ Philosophiæ Coriphæus, & Homerus, ingeniorum fons, respexerunt, dum ille aquam, hic verò Thetym rerum omnium parentem asseruerunt: Immò apud Græcos ὕλη materiam significat, apud Syros aquam sonat, (ex quo fortè voces nostræ, vligo & vdum, deductæ sunt) quòd nonnullos mouit vt dicerent à Cadmo Syro in Græciam cum literis voces delatas, inter cæteras hanc, vt ait Scaliger exerc. 39. adeò vt notandum non sit Thaletem aliósque complures materiā quæ mater rerum est, idem esse cum aqua, fuisse arbitratos.

7. *De cremento & senectute maris & fœminæ.*

Secundum est: cur tardius in vtero formetur, citiúsque senescat fœmina quàm mas: quod explicandum mihi video verbis Aristotelis lib. 4. Generationis animalium cap. 6. quibus, & aliam quasi anteambulam soluit quæstionem. *Mares*, inquit, *potius quam fœminæ, oblæsi in genere hominum nascuntur: quia in hominibus, longè mas à fœmina differt calo-*

re

re naturæ: quo fit vt mobiliores sint mares in vtero quàm fœminæ, motu autem ipso franguntur, cum recens quoduis facilè pro sua imbecillitate frangatur. Hæc eadem causa est, ne fœminæ similiter atque mares perficiantur in genere hominum. Quippè cum, & intra parentem fœminæ tempore longiore conficiantur quam mares, & vbi in lucem venerint, celerius fœminæ quàm mares perficiantur: nam & vigor & senectus fœminis prius venit, quàm maribus, sunt enim fœminæ natura sua debiliores frigidioresque, & sexum fœmineum quasi læsionem naturalem, & detrimentum existimandum est. Intus igitur tardè propter suam frigiditatem discernuntur: hæc enim discretio concoctio est; calor autem concoquit, & quod calidius, id concoctu facilius est; sed foris propter suam debilitatem, citò ad ætatis florem senectutémque perueniunt: Etenim omnia minora, vt in artis operibus, sic in naturæ, citiùs ad finem perueniunt.

Animorum affectiones tum maris, tum fœminæ.

ARTICVLVS II.

2. *Affectiones animi virilis.*

VIr constans est, temperatus, generosus, intrepidus, pugnax, audax, iustus, victoriæ cupidus, ad artes disciplinásque capessendas aptus. Fœmina pauida, inuida, insidiosa, fraudulenta, præcipitis iræ, mollis, delicata, misericors, verecunda, auara, conuitiandi cupida, querula, loquax. Ne vero cuiusquam animus fluctuet, & ad libitum conficta videantur huiusmodi viriles, fœmineæque affectiones: præterquam quod experientia frequenti suffulciuntur, aliquid ex plausibili omnium hominum consensu corriuandum est. Inter omnia animalia, homo quippe qui ratione pollet, maximam cerebri habet copiam, habito sui corporis prospectu, & reliqua animalia, quo plus rationi accedunt, vt simia, plus quoque cerebri possident: Inter homines plus mas, quàm fœmina, cum capite ampliori sit, cuius magnitudinem, cerebri consequitur quantitas: Etvero cum supra confectum sit, membra superiora in viro maiora esse quam in fœmina, propter nobilitatem virtutis formatricis, eam æquum est potius collaborare in formanda fabrica principis partis, quæ rationis regia est, & illustre domicilium principalium operationum, cuiusmodi sunt intellectio, memoria, imaginatio; At vbi maior cerebri copia, & exquisitius conformatum organum rationis, ratio quoque præpollet. Vir igitur melioris iudicij est, constantior, & ad virtutes disciplinásque capessendas magis idoneus, quam fœmina; quam ad rem diuine Aristoteles 1. Polit. cap. 8. *Consultandi facultatem is, qui natura seruus est, non habet, mulier imbecillam habet; puer impefectam; quare puer parentibus aut tutoribus, seruus domino, viro mulier subdita est.* Nec dissimiliter Terentius in Hecira, mulieres sunt ferme vt pueri leui sententia & Virgilius 4. Æn.

———*Varium & mutabile semper Fœmina.*————

Etvero diuinis constat oraculis Euam seductam, non autem virum, atque ideo viro mulierem subiectam esse debere, non virum mulieri 1. ad Thimotheum 2. Accedit mulierem debere velari, eiusdem Apo-

ſtoli præſcripto 1. Corinth. 11. quo ſe ſubditam oſtendat, cui prouida conſuluiſſe videtur natura quæ capillorum velum fœminæ conceſſit, non viro, quippe qui velato capite orare non debet, ne ſe ſubditum contra fas & naturæ dignitatem profiteatur. Ac recte Ambroſius lib. 5. Hexaëmeron cap. 7. mulierem alloquens, *Ille* (maritus) *tua mala portat, & leuitatis fœmineæ facilitatem, Tu virum tuum non potes mulier ſuſtinere. Adam per Euam deceptus eſt, non Eua per Adam, quem vocauit ad culpam mulier, iuſtum eſt vt eum gubernatorem aſſumat, ne iterum fœminea facilitate labatur.* Sed aliquando ab excurſu ad ſemitam redeamus: homo ad virtutes diſciplinaſque capeſcendas magis idoneus: Verum quia contraria in eodem nata ſunt fieri, propterea vt vir ad virtutem aptior, ita male educatus vitioſiſſimus euadit, & propter acumen ingenij ad multo maiora ſcelera patranda aptior eſt, quo fit vt ſecundum intenſionis gradum vir improbior ſit; at fœmina ſecundum extenſionem, vt dicitur, & numerum quomodo loquitur Picolomineus gradu 9. cap. vlt.

Intrepidus vero, pugnax, generoſus, victoriæ cupidus eſt propter calorem quo abundat; hinc eſt quod olim milites, quo animi fortitudinem, animique robur tacite teſtarentur, ſcarabæum in annulis ſignatoriis ſculptum ferebant, quia inter ſcarabæos nulla fœmina, ſed omnes mares; quam rationem affert Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride. Hinc fit vt paululum ab homine ad alia digrediar, quod mares in omni animalium genere melius à natura armati viſuntur, vt notauit Ariſtoteles capite vltimo libri quarti de Hiſtoria Animalium, his verbis, *Partes autem quas velut arma animalibus natura dedit, vt dentes cornua, calcaria, & cætera generis eiuſdem: ea certè in nonnullis generibus omninò, vt mares habent, ſic fœminæ non habent, velut generis ceruini, fœmina cornuum inops militiæque eſt, & auium nonnullarum, quibus data ſunt calcaria, fœminæ omnino iis carent; pari modo vt ſues fœminæ dentibus vacant exertis; at in nonnullis generibus ſunt hæc quidem ſexui vtrique, ſed maribus potiora, vt cornua Tauris potiora quam Vaccis*, at lib. 3. hiſtoriæ cap. 10. agit contra nonnullos antiquos Philoſophos, qui apes volebant eſſe fœminas, fucos autem Mares; hanc verò ſententiam inde falſitatis conuincit, quod apes omnes aculeum habent, quo carent fuci; arma autem ad pugnam vireſque exercendas nulli fœminæ à natura tribuuntur, nimirum excluſo mare. Hinc porrò tandem efficitur apes, vt plantam, habere in ſe ſexum maris, & fœminæ, quare ſolæ ſine coïtu pariunt.

9. *Affectiones animi muliebris.*

Quid denique fœmina minus ratione pollet, quo fit vt faciliùs ſuccumbat perturbationibus; à dolore & voluptate facilè ſuperetur, propter non adeò exquiſitam capitis fabricam, minorémque cerebri copiam; hinc fit vt fræno egeat potentiſſimo, quò à ſceleribus, ſiue concipiendis, ſiue tentandis perficiendiſque reuocetur. Accedit, quòd frigida eſt valdéque infirma, quod igitur aperto Marte non poteſt, cuniculis aggreditur, inſidiatur, inuidet: cùm voti vix compos fiat, conuitiatur, queritur, rodit, diſſimulat, immò lepide Propertius.

Sed

Sed vobis facile est verba, & componere fraudes,
Hoc vnum didicit fœmina semper opus.

Ac Ecclesiastici. cap. 25. *Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira, super iram mulieris. Nequitia mulieris immutat faciem eius, & obcœcat vultum suum, tanquam vrsus, & quasi saccum ostendit in medio proximorum eius. Breuis omnis malitia supra malitiam mulieris; mulieris ira, & irreuerentia & confusio magna.*

Crudelis est; Quoniam longo tēporis tractu, & diuturna dissimulatione virus animo contrahit, quod tandem eructat, vbi se dat opportunitas. Porrò hæc crudelitas est intelligenda, cùm semel odium inferbuerit, nam alioquin innata gerit misericordiæ semina, quæ in ea laudabiliter & gloriose efflorescunt; pauida quippe est à debilitate naturæ, hinc autem fit vt eius animus tenerescat; quam ad rem vnum profero ex 4. Regum c. 22. Helcias Sacerdos, & alij iussi à Iosia Rege consulere Dominum, cùm eius ira contra Israël succensa videretur: illi, relictis prophetis, ierunt ad Holdam prophetidem, vxorem Sellum; quærunt verò Hebræi, cur ad fœminam iuerint; respondent, vt refert Nicolaus de Lyra, quia mulieres magis solent esse misericordes quàm viri, Iosias autem quærebat consilium pietatis, & misericordiæ.

Mollis est & delicata; Immò mulier mollitie distat à mari, atque, ex Philosopho in Moralibus l. 7. cap. 7. dicitur mollis, qui inferior est doloribus, quos multi vincunt, cùm contra tolerans dicatur, qui superior est doloribus, à quibus multi vincuntur. Iam verò fœmina, tum propter rationis debilitatem, tum propter corporis teneritudinem, mollitiei tota mancipatur, videturque à mollitie dicta.

Verecunda est, vt pote valde tenera & mollis, multis obnoxia maculis & inhonestamentis qua pudorem conciliant; & quo minùs ratione pollet eo plus ad verecundiam procliuis, quo ab omni turpitudine abstineat. Rectè Dionysius dum explicat illud Pauli 1. Corinth. 14. *Turpe est mulieri loqui in Ecclesia*, duas affert huiusce dicti rationes, quod minùs ratione polleat, & quòd ipsi maxime propria sit verecundia & seruitus. *In fœminis*, inquit Nazianzenus orat. aduersus mulieres, *Vnus color amabilis est, nimirùm rubor ille quem pudor gignit*, & orat. de S. Gorgonia sorore. *Vnus illi rubor placebat, quem gignit pudor; vnus candor, quem parit abstinentia*; Lepidum est prouerbium Arabicum, mulier sine verecundia lampas sine lumine.

Auara. Quia propter virium ingeniique penuriam semper timet ac diffidit. Querula est, & loquax, & conuitiis sæpe velitatur, cum effrænes appetitionum impetus non possit nisi integra, musculaque ratio compescere.

10. *In omnibus deterior fœmina.*

Ex hactenus dictis constat in omnibus mere deteriorem esse fœminā; à qua tamen regula, propter aliquas causas, quarum nonnullas, iam suprà insinuauimus, excipiendum est piscium genus, serpentium, mulorúmque: vt ait Aristoteles lib. 4. de Historia Animalium c. vlt. Et verò olim cum tria essent sacrificia, holocaustum, hostia pro peccato, hostia pacifica; masculus tantùm in holocaustum offerebatur, qua de re consulendus D. Thomas 1. 2. q. 102.

art.

art. 3. ad 8. argumentum; immò Tostatus in cap. 3. Numer. q. 37. probat non modò in holocaustis, sed etiam in omnibus, quæ ex voto fiebant, aut imperio Dei, non fuisse licitum nisi mascula offerre, & si quis vouisset offerre fœminam, debuisse tamen offerre masculum; fœminam autem licitum tantùm fuisse offerre in pacificis, & hostiis, quæ non ex voto, aut imperio Dei, sed ex mero cuiusque arbitrio offerebantur; quid quod apud Ægyptios fœminam hostiam immolare nefas habitum fuit ex Herodoto lib. 2. Barbaris verò, circa montem Caucasum, & apud Derbices Persicam gentem, fœmininum, animal victimam dare sub graui documento vetabatur, vt videre est apud Alexandrum ab Alexandro lib. 3. Genialium Dierum c. 12. post Strabonem lib. 11. quasi hoc victimæ genus, sic enim interpretor, Deos non deceret.

11. *Obseruatio Sancti Hieronymi.*

Porrò Hieronymus in Ecclesiastē c. 2. vult fœminas in Scriptura semper in deteriorem partem accipiendas. *Nullus*, inquit, *Sanctorum nisi perraro fœminas genuisse narratur*; *solusque Salphaath, qui in peccatis mortuus est, omnes filias genuit*; *Iacob inter duodecim patriarchas vnius filiæ pater est, & ob ipsam periclitatur.* Denique Bunduina, Britannorum Regina, apud Dionem Cassium lib. 62. Neronem imperatorem, insigniter vitiis deturpatum, vocat Neronidem, Νερονίδα, quasi indignum, qui masculino nomine, Nero vocaretur.

***

Figura Leonis & pardalis.

ARTICVLVS III.

12. *Figura Leonis.*

VT sub vnum obutum recognoscendam virilis, muliebrisque corporis Ideam subiiciat Aristoteles. Leonis & pardalis figuram in physiognomicis describit; virili, Leonem; muliebri, pardalia assignat; vnde quando ait conformationem aliquam corporis referri ad Leonē, idem est ac si diceret referri ad masculinum genus, idipsum dico de pardali, respectu sexus fœminini; affero vnum & alterum exemplum; Quibuscunque, inquit Philosophus, collum bene magnum, non valde grossum, magnanimi, referuntur ad Leones; qui nasum habent rotundum, & obtusum, magnanimi. Referuntur ad Leones, multa his similia toto lib. 2. examinabuntur.

Cæterùm Ioannes Baptista à porta Aristotelis voces, in his duabus descriptionibus Leonis & pardalis, varie deluxatas, fidei sermonis Græci restituit; nos eum hic sequemur. Igitur ex Aristotele, Leo capite est mediocri, facie magis quadrata, non valde ossea, fronte quadrata, in medio magis caua, eminente ad supercilia, & nasum versus; oculis charopis, & cauis mediocriter; supercilio prægrandi; naso rotundo, & crassiori, potius quam tenuiori; superiori maxilla non prominente, sed inferiori æquali, rictu oris amplo, in quo labia tenuia, ita vt partes superiores inferioribus superiniectæ sint, eadem laxa iuxta angulos, ceruice ex singulis rectisque ossibus rigenti, collo magno quidem, sed mediocriter crasso; pectore

ctore robusto, partibus circa iugulos solutis, magis quam compactis; Metaphrene lato, costis, & dorso valde firmis; circa coxas & femora modica carne, medio ventre gracili, cruribus validis & neruosis, pilis vestitur flauis, neque planis, neque valde crispis; corpore toto articulato, neruoso, nec molliori, nec iusto duriori: Incedit tarde, nec pedibus multum distantibus, humeris ad singulos passus commotis: Ingenio est liberali, magnanimo, victoria cupido, forti, miti, iusto, & pio, amore, cum quibus versatur, afficitur; videri potest Plinius l. 8. c. 16.

13. *Figura pardalis.* Pardalis faciem paruam habet, os magnum, oculos paruos, albicantes concauos, eosque circum vagantes; frontem oblongam versus aurem, rotundam magis quàm planam, collum valde longum, & tenue; pectus paruis costis præditum; dorsum longum, carnosa femora; partes verò circa ilia & ventrem magis planas, id est non protuberantes, nec cauas, colorem varium, corpus totum inarticulatum, & asymmetrum; Iracunda est, insidiosa, fraudulenta, timida simul, & audax.

Varia Temperamenta. Quartum principium Physiognomiæ.

CAPVT X.

1. *Quotuplex Temperies.* Hic vnus maxime proprius, vulgaris, & proximus est fons; ex quo penè omnes Physiognomici coniecturarum riuuli deriuantur. In hunc tandem penè omnes alij confluunt, ipséque per omnes Physiognomiæ partes manat & funditur, vt vel leuiter attendenti tandem perspicuum erit; atque integrum de hoc argumento librum scripsit Galenus, Hippocratis æmulus, hoc titulo, quod mores animi temperamentum corporis sequantur.

Primò statuendũ est, quid, & quotuplex sit temperies. Iampridem explosus è scholis Auicenna, qui voluit temperiem esse quintam quandam, eámque simplicem qualitatem, diuersam à primis, ex earum tamen actione & perpessione ortam. Communis veráque sententia est, eam esse primarum quatuor qualitatum, mutua actione castigatarum symmetriam, & complexionem, vnde & temperies, ab illis inuicem temperatis, appellatur.

Diuisio multiplex est apud Medicos & Philosophos; quod mei instituti est, breuiter expedio; Alia simplex est, alia composita; in simplici vna tantum qualitas vincit, denominátque, reliquæ duæ æqualitatem seruant: vt, si sit calor vt sex cum frigiditate vt duo, humor verò & siccitas sint æquales. Et hæc iterum quadruplex est pro numero quatuor qualitatum, quarum singulæ in singulis speciebus principatum obtinent; in composita, duæ reliquas duas excedunt, & in quatuor species diuiditur; prima est, in qua tum calor tũ siccitas contrarias suas superant, humorem & frigiditatem, vocatur ignea, & in animãtibus cholerica. Secunda, in qua tũ calor tum humiditas abundant, vocatur aërea, in animantibus autem sanguinea. Tertia, in qua frigus & humor dominantur, & est aquea, in animantibus phlegmatica: vltima, in qua fri-

giditas & siccitas, & est terrea, in animantibus melancholica.

2. Fernelij sententia de temperamētis.

Iam in quaque temperie infinitæ sunt varietates, prout magis vel minus ab extremis recesserint: Fernelius cap. vlt. lib. de Temperam. qui est tertius Physiologiæ, non probat has appellationes temperierum, ductas à quatuor humoribus, vultque optime dici posse hominem pituitosum, si pituita abundet; melancholicum si melancholia; sanguineum, si sanguine; biliosum, si bile: non propterea tamen temperamenti pituitosi, melancholici, biliosi, sanguinei, quod potest abundare humor, nec tamen cognomine sequi temperamentum. Verum Fernelio reclamant reliqui omnes, licèt enim fieri possit, vt quis, v. c. adscititia melancholia abundet, neque tamen melancholici temperamenti sit, si tamen innata abundet, haud dubium talis erit temperamenti. Idem de reliquis humoribus proportione dicendum est.

3. Variæ obseruationes de quatuor humoribus.

Verum vt suscepta prouincia rectè perfungamur, multa præstanda sunt, si hæc pauca prius monuero Primum, ex elementis cholera refert ignem, sanguis aërem, aquam pituita, terram melancholia. Ex anni temporibus cholera æstati, sanguis veri, pituita hyemi, melancholia autumno respondet, & singuli in singulis sibi similibus tēporibus abundant; ex ætatibus, & regionibus; sanguis pueritiam, & regionem temperatam, cholera iuuentutem, regionem calidam, pituita ætatem decrepitam, frigidam, & humidam cœli plagam; melancholia senectutem, siccam & frigidam regionem refert. Ex ventis & partibus mundi, cholera Orientali; sanguis Meridionali, pituita Occidentali; melancholia Septentrionali respondet. Sanguis dulcis, pituita insipida, bilis amara, melancholia acerba; sanguis ruber pituita alba, flaua bilis flaua, interdum pallida, melancholia nigra; pituita in sanguinem, sanguis in bilem atram, flaua bilis, & pituita crassa in melancholiam vertitur; vt sanguis tenuior & calidior in bilem, crassior, in atram bilem, pituita frigidior, in acidam; crassior & frigidior, in vitream; magis cocta, in dulcem; salsa in atram bilem; vt & melancholia in atram bilem vertitur, quemadmodum elementa in se inuicem commutantur.

4. Finis humorum à natura intentus.

Secundum, communis omnium humorum finis est, vt ex iis primum corpora constent, & postea nutriantur; ex crassioribus & frigidioribus partibus sanguinis, hoc est sanguine melancholico, ossa; ex frigidioribus & humidioribus, seu ex sanguine pituitoso, caro; & sic de reliquis: at proprius finis sanguinis est, vt calorem foueat, illum à corde deriuando ad reliquas corporis partes, & subtiliores sui partes euaporando, & subministrando materiam spiritui vitali; flaua bilis adiuuat expultricem facultatem, ad expellendum excrementum, vnde à Medicis subrufæ fæces optimæ censentur, vtpote maxime naturales; extenuat sanguinem, vt omnia penetret, conseruat calorem sanguinis, vtpote calidissimus humor. Melancholia pungit ventriculum ad ipsum delata per venas proprias, à liene ductas, tum ad excitandam appetentiam, tum vt os eius constringat ad melius cibum complectendum; pituita sanguinem fluidum reddit, sæpe supplet vices sanguinis in alendo corpore, si sanguis desit.

Signa

Signa temperaturæ cerebri.

ARTICVLVS I.

HÆc quæ de variarum partium temperamentis dicemus, apud Georgium Bertinum libro octauo fuſius diſputata reperies, & quidem ex variis authoribus collecta. Nos paucis eius doctrinam hîc expreſſimus, rationes vero licet in tranſitu attingemus, tamen copioſius tractatæ ſuis quæque locis videri poterunt.

5. *Signa calidi cerebri.*

Igitur calidioris cerebri ſigna ſunt hæc; Vehemens calor, qui ſenſu percipitur in capite, oculorum venæ conſpicuæ, & multum dilatatæ, quod proprium caloris officium eſt: Capillorũ ſtatim in lucem editis pueris celer ortus, quod caloris beneficio cutis cito perforatur, & fuliginoſa excrementa gignuntur; præterea capilli nigri, excrementa pauca, quia à calore abſumuntur; offenſio facilis à calidis internis & externis, quod noxa facilis à ſimilibus ſuæ temperaturæ cauſis inuehitur. Impletur, & aggrauatur facile à calidis cibis, odoribus, & omnibus iis quæ occurſant, nam meatus in calido patentes facile excipiunt flatus, qui à calidis copioſe exhalant.

6. *Frigidioris cerebri ſigna.*

Frigidioris tẽperaturæ ſunt hæc ſigna: Copioſa excrementa: nam caloris inopia non abſumuntur; capilli tenues, quia parua fuligo, tarde poſt ortum ſuccreſcentes ob caloris inopiam atque fuliginum penuriam; caput tactu frigidum; nullæ venæ eminentes; ſubſtantia cerebri craſſa, tarditas intellectus: offenſio facilis à frigidis internis & externis; frequentes diſtillationes & conſtipationes narium.

7. *Siccioris cerebri ſigna.*

Siccioris cerebri notæ ſunt hæ: ſenſus acres, maxime in iuuentute; ætate progrediente celeriter marceſcentes propter nimium humorum defectum, quem ingraueſcens ętas affert; ſpiritus defęcatiores; pauca excrementa ob humoris inopiam; capilli robuſti, criſpi potius quàm recti, quod ſiccitas cutis poros flexuoſos efficit, qui criſpos capillos reddunt; caluities præcox, quia cutis capitis celeriter areſcit; multæ vigiliæ; memoriter diſcendi difficultas, at, vbi quid memoriæ commendatum fuerit, ſumma ipſius fidelitas; ſicco enim non niſi ægrè aliquid imprimitur, impreſſum vix deletur.

8. *Humidioris cerebri ſigna.*

Humidioris cerebri indicia ſunt iſta. Capilli ſimplices, planique ob meatus rectos, & non flexuoſos; excrementa multa, ac propterea ſenſus hebetiores; diſcendi facilitas, obliuio celer, ſomnus profundus, nullum caluitium ob humoris exuperantiam; tuſſes frequentes; pœne enim ex omnibus animantibus vnus homo tuſſit, quod maximum humidiſſimúmque cerebrum habet, tuſſis autem pituita diſtillante fieri ſolet; quare frequentior tuſſis maiorem cerebri humiditatem arguet.

9. *Temperamentorum coniugatorũ ſigna.*

Ex his facile eſt coniugatam temperiem ominari: ſi calidum & ſiccum cerebrum; pauciſſima ſunt excrementa, eáque valde concocta, ſenſus integri, minimus ſomnus, primus capillorum ortus celer; nigri, criſpi capilli ob maximam aduſtionem. Si humidum & calidum fuerit cerebrum, color erit floridus, excrementa copioſiora, mediocriter concocta; nullum caluitium, venæ oculorum magnæ. Si vero frigidum humidum, excrementorum non coctorum magnus erit prouentus, oculi

sæpe lacrymantes, sensus obtusus, somnus profundus, à frigidis & humidis facilis offensio. Optima cerebri temperatura sic depingi potest. Caput globo oblongo vtrimque cõpresso simile, commensuratæ magnitudinis, integri sensus externi, modica excrementa, eáque bene concocta; capilli in infantia subrufi, in pueritia subflaui, in vigore ætatis flaui; difficilis ab externarum causarum actione offensio; capilli subrufi humorem spirituosum bili admixtum, subflaui pituitam decrescentem, flaui bilis copiam & pituitæ penuriam ob calorem influentem aperte denuntiant.

Signa temperaturæ Cordis.

ARTICVLVS II.

PRimum de simplici cordis temperatura, tum de cõiugata agendum est.

10. Simplicis temperaturæ cordis signa.

Calidi cordis signa sunt; respiratio frequens, velox, furibunda audacia, pectus latum, ob dilatantem calorem; iræ magnæ præcipitantia.

Frigidi cordis signa; paruus pulsus, idque propter debilitatem facultatis motricis; deinde frigidum cor angustat vasa, seu arterias, minores autem arteriæ pulsus edunt minores; at cum minores sunt pulsus, frequentiores sunt & velociores, vt sic paruitas motuum compensetur; tarda respiratio, pectus glabrum, paruum, timiditas, ira pauca; quæ omnia à penuria caloris emanant, vnde & paucæ fuligines oriuntur, quare frequenti pulsu & respiratione non est opus.

Sicci sunt hæc; pulsus durus ob cordis & arteriarum siccitatem; Ira fera & diuturna; corpus siccum, nisi hepar humidius obstiterit; nam, quale est cor, talis est calor & spiritus; quales ipsi, tales humores; quales humores, tale corpus, maximè si hepar cum corde consentiat, quæ sunt duæ principes corporis partes.

Humidi cordis indicia; pulsus mollis, ira sedatu facilis, sed prompta; corpus humidum, nisi hepar obsit; pectus glabrum, nam humidum minus torretur, & minus fuliginibus abundat.

11. Coniugatæ temperaturæ signa.

Iam quod attinet coniugatam temperaturam. Calidum humidum cor testantur magnitudo respirationis, pulsus velocitas, frequentia, mollities, pectus latum, firmum, carnosum, non adeo pilosum ac contingit in corde calido sicco; ira præceps, at non fera, sed sedatu facilis; quod enim humidum, deferuescit citius; hîc porro notandum est crebriorem esse systolen diastole in corde calido & humido, quam in sicco & calido, nam systole fit ad expellendas fuligines, quarum maiorem copiam progignit cor humidum, quam siccum. Calidum vero & siccum testantur magnitudo, frequentia respirationis, pulsus durus, frequens, & magnus; pectus firmum, latum, ira ferox, & ægre placabilis; patet, quia magnitudo & paruitas, imbecillitas vel vehementia pulsus vim & facultatem calidam cordis pulsantem, celeritas vel tarditas necessitatem magis vel minus vigentem, mollities vel durities arteriæ conditionem, arteriæ conditio cordis naturam coarguunt, addo his omnibus pectus valde pilosum, ob magnam fuliginum copiam; immo interdũ & cor ipsum pilosum est, vt habuit Rex Leonides vir fortissimus ex Plutarcho

12. Varia indicia multiplicis temperaturæ pulmonis.

in

in parallelis, vt etiam habuit Dux Aristomenes, qui trecentos solus occidit Lacedæmonios ex Plinio lib. 11 cap. 37. habuit quoque Hermogenes vt testatur Cælius lib. 11. cap. 40. Idem narrat Eustachius de Lysandro, & Alexandri cane sicut & Antonius Muretus lib. 12. Variarum Lectionum cap. 10. de nobili latrone, de quo, cum ipse Venetiis ageret publicè sumptum supplicium est.

11. Cor frigidum & humidum.

Frigidum & humidum cor ostendunt pulsus tardus, mollis; pectus ob paucam fuliginem glabrum, ira tarda, anhelitus debilis; pectus hic minus glabrum est quàm in frigido sicco, quia, cum vbique deficiat agens euocans fuligines, in humido est plus materiæ quam in sicco.

Frigidum & siccum indicant pectus glabrum, macrum, pulsatilis venæ tarditas, raritas; aut nulla ira, aut si semel concepta, pertinacior; nam licet, quia frigidum, tarde incalescat, tamen vbi incaluerit, quia siccum, diutius impressionem retinet.

Signa temperaturæ pulmonis.

ARTICVLVS III.

12. *Varia indicia multiplicis temperaturæ pulmonis.*

PVlmonem temperatum testantur, inquit Bertinus lib. 8. nulla ex cœlo iniuria atque offensio, liber anhelitus, nullum sputum, nulla sitis, vox concinna atque temperata, pectus latum.

Qui sunt pulmone calido donati, calida inspiratione facilius læduntur, plus inspirant, longiùs expirant fuligines multas quas emittunt, sitiunt multum; sed ne dicas sitim à calore ventriculi oriri: nam hæc distinctio adhibenda est, sitis, quæ ab arido ventriculo est, non tollitur nisi plurimo potu proluatur, quia potus ad ventriculum pertingit; sitis, quæ est à pulmone, tollitur aëre frigido, flabellatione, mansione in loco subterraneo, nam frigiditas hæc propriè ad pulmones pertingit, excrementorum copia vacant, lato sunt pectore.

Qui frigido sunt pulmone angusti sunt pectoris, frigida inspiratione læduntur, nisi temperetur opertione oris, abundant pituita quam sputis egerunt, & tussi, idque ob frigiditatē cruditatis authorem.

Qui sicci vocem canoram habent, sic etiam sicca tympana tinnitus clarissimos edunt, pauca excrementa, os siccum.

Qui humido, voce sunt rauca ob humorem redundantem, abundant excrementis.

Signa Temperaturæ hepatis.

ARTICVLVS IV.

13. *Signa temperamentorum simplicium hepatis.*

CAlidi, venæ amplæ, hypocondria hirsuta ob materiæ adustionem, bilis flaua ob sanguinis feruorem, quod si calidus sit, copiosa erit atra bilis, cum tamen prima fronte contrarium videatur, nimirum ex aucto calore hepatis non debere augeri humorem frigidum siccum, sed recte respondet Rodericus à Veiga ex magno calore, siue extra accedente, siue interno, augeri in humoribus fæces, nam distillati liquores, vbi insolantur, plus fæcis acervant, & aqua lutulenta, quia fit tenuior ebullitione, amplior secedit in fæcem, sic inter alimenta, plus melancholici succi accedit ex Me-

longena & carduo calidis, quam ex vaccina carne frigida; & apud Galenum lib. de atra bile, & alibi efficiens atræ bilis non est frigus, sed calor immodicus; præterea sequitur facies colorata; totum corpus calidum, nisi obsit cor frigidius, frigidiórque ventriculus qui chymum frigidiorem subministrat, hîc operæ pretium erit notare, corporis totius habitum pendere ex corde & hepate, nam hepar sanguinem, cor spiritus toti corpori subministrat; præterea vrinæ flauæ, oris amaror, bilis vomitus, deiectiones biliosæ, cibi fastidium, sitis magna, calor plantæ pedum & volæ manus calidi hepatis manifesta signa sunt.

At frigidi hepatis, venæ angustæ, venter depilis, cruditas exuperans, corpus frigidum, nisi calidius cor repugnet, phlegma copiosum, vrinæ albæ, excrementa pituitosa, miniméque graueolentia.

Sicci, paucus sanguis, venæ duræ, corpus asperum, macrum, siccum ob pauciorem sanguinem; neque enim siccum hepar bene concoquit chymum, vt sanguinem efficiat, propter defectum humiditatis, venter gracilis.

Humidi, venæ molliores, corpus humidius, sanguis pituitosus.

14. *Signa paruitatis, & magnitudinis hepatis.*

Paruum hepar testantur fæces molles, quia propter paruitatem totum humorem exugere non potest: Magnum vero prolixi digiti, nam vasa ex hepate prodeuntia terminantur ad extremas partes, manus, & pedes, & hæc mutuo coniungunt; fitque vt hepatis calor multo magis appareat in harum calefactione, quam in aliis partibus.

15. Calidi & sicci hepatis signa; venæ latæ, & duræ, venter hirsutus, corpus siccius, sanguis ob humoris penuriam & caloris abundantiam paucus & crassus, atra bilis in flore ætatis, ob firmiorem calorem, copiosa.

Signa temperamentorum cōpositorum.

Calidi & humidi, venæ amplæ ob calorem cui humiditas paret, hirsutus venter, licet non adeo, ac in calido & sicco, propter retusum ab humido calorem. Frigidi & humidi venæ angustæ propter frigus contrahens; venter depilis, multa pituita, cruda excrementa, corpus frigidum, nisi cor repugnet. Frigidi sicci, venæ angustæ, duræ; depilis venter; paucus sanguis; porro qualitas temperiésque iecoris mirum quantum confert ad mores sensúsque animantium; fons est enim & origo, immo artifex sanguinis, qui materia corporis est, cum sit alimentum, immo vltimum alimentum; multum igitur interest si calidus aut frigidus sit, tenuis aut crassus, si nitidus purúsque aut impurus, qua de re nos agemus paulo post cap. 16. artic. 2.

Signa Temperaturæ Ventriculi.

ARTICVLVS V.

16. *Signa temperamenti ventriculi.*

Calidus ventriculus plus concoquit, quam appetit, ob calorem, qui famem minuit, maximéque digerit; crassiores cibos, quam delicatiores, facilius concoquit ob caloris exuperantiam: cibo potúque calido magis gaudet, vtpote sibi simili; capitis dolores ob magnam vaporum copiam calidum ventriculum consequuntur. Frigidus ventriculus ob frigus constringens satis appetit, parum digerit; cibo & potu frigidiore oblectatur: siccus, celeriter

celeriter ſitit, facile exiguo potu ſatiatur, cum paucus humor abſumatur, gaudet ſicciore cibo, vtpote ſibi familiari, adeſt linguæ ſiccitas & aſperitas. Humidus verò ventriculus, quia humore abundat, non facile ſitit, oblectatur humidis, vt aues aquaticæ humidæ & frigidæ frigidis & humidis cibis;& qui habent tunicas ventriculi imbutas vitioſis humoribus ſimiles,hoc eſt vitioſos cibos appetunt; & hic morbus Pica vocatur, quod picæ hoc morbo frequenter laborent, vt ait Paulus Ægineta: ſine moleſtia largiorem potum fert, quia tantus potus facile ſumitur,quantum fuit humor exhauſtus; frequentes ructus, nec ſolus homo inter omnia animalia ad ructus propenſus eſt,niſi quia humido ventriculo eſt cæterà ſicco; poteſt vero interdum oriri à copia ciborum, à flatulentis eſculentis, à vitioſis humoribus abundantibus; ſi ante cibum ructus contingat, ab nimia humiditate ventriculi,ab humoribus, ſi poſt, à cibis, ſi vtroque tempore, & ab humiditate nimia ſtomachi, & ab eius imbecillitate naſcitur. Iam vero calidus ſiccus ventriculus multum ſitit, ac multo plus quam frigidus humidus, aut frigidus ſiccus; non adeo bene concoquit, ac calidus humidus, cum concoctio magis ſimilis ſit elixationi quam aſſationi,elixatio autem eſt à calore humido,aſſatio à calore ſicco, vt dicetur cap.19. huius libri art.4.

***

Signa temperamenti totius corporis.

Articvlvs VI.

17. *Qualitates variarum partium corporis.*

Fateor variis partibus corporis varia conuenire temperamenta, vt quæque expeditius munus ſuum obire poſſit; non propterea tamen, ſi vniuerſi corporis ratio habeatur, ſtatui nequit quænam in ipſo dominetur temperies, atque huius temperiei nos hic generalia ſigna inueſtigamus; prius tamen ſingularum partium propria temperamenta recenſenda nobis videntur.

Calida ſunt cor, ſpiritus (vtrùm calidius controuerſia eſt; cordi primas deferendas cenſeo, quia ab ipſo ſpiritus calorem mutuantur) ſanguis, flaua bilis; ſequitur caro ſimplex, tum iecur, lien, renes, pinguedo & adeps, ſed de his duobus poſtremis lib. 4. cap. 1. Frigida ſunt ſpinalis medulla, cerebrum,neruus, vena, pituita arteria, membranæ, cartilago, tendo, vinculum.

Sicca,pilus, omnium ſicciſſimus; os,cartilago,vinculum,tendo,membrana, arteria, vena, vtraque bilis, neruus motui obſeruiens. Humida, neruus, qui ſenſui obſeruit; cor, renes,iecur,lien,cerebrum,pulmo,ſpinæ medulla, adeps, pituita. Cutis autem temperatiſſima eſt, omnis exceſſus expers, & aliarum corporis partium certiſſima amuſſis & canon, atque ex ea petenda potiſſimum eſt ratio temperiei corporis vniuerſi.

18. *Vis principalium partium in corpore.*

Sunt autem principalia membra, quæ totum corpus ſibi aſſimilant temperie; teſtes, omnium minime, tum cerebrum, deinde hepar, omnium.

nium maxime, cor. Testes non materiam, non spiritum, sed solum qualitatem corpori communicāt, idque cum tenuissima aura, qua carnibus seminalis nidor, sapor, & insuauitas conciliantur. Cerebrum spiritum animalem perpetuo subministrat; hepar vero sanguinem vniuersi corporis alimentū, in quo adhuc multo maior est vis immutandi corporis; cor denique spiritum vitalem potentissimum, & sanguinem arterialem partes alentem in totum corpus diffundit, & calore suo feruentissimo nihil non potest alterare, & assimilare, immo & hoc suo calore multum hepati confert ad elaborandum sanguinem venalem, & hoc vno ex capite multum potest ad immutandum corpus; Ac notandum hic est magnum esse nonnullorum errorem qui, vt Galenus ait, frequentia sumunt pro perpetuis; vnde temperamētum totius corporis ex temperamento vnius partis augurantur; potest quis pectoris esse ampli & hirsuti, ac propterea cordis calidi, qui tamen reliqua membra non habebit calida; ac sæpe excessus temperamenti in vno membro causa est oppositi excessus in aliis; vnde ventriculus frigidus sæpe cum hepate calido est coniunctus, cuius simile contingit in eo, quod, quæ testa teguntur, carne sunt molli, vt testudines; quæ autem cute sunt molli, intus crassa sunt, vt congri; scilicet totum terrenum alimentum abit in vnum membrum, subtilius ad alia; sed iam ad rem hoc articulo propositam.

19. *Signa tēperamenti simplicis in corpore.*

Temperamenti calidi signa sunt hæc, calor tactu conspicuus in cute & carne; macilentum, hirsutum esse, & nigris capillis, quæ tria ob calorem deurentem contingunt, excrementa acuta, pungentia, bene cocta, plurimum tincta; frigidi vero, corpus adiposum, nam sanguis propter frigiditatem facile concrescit; propter penuriam fuliginum ortam ex defectu caloris, depile corpus; si vero nimia est frigiditas liuida & plumbea cutis est, At sicci temperamenti signum est corpus durum, gracile; humidi autem, corpus molle, carnosum ob humoris luxuriantis abundantiam.

20. *Signa tēperamētorum compositorum.*

Iam vero multo exactius, quia & longe maioris est momenti, compositæ temperiei signa indagemus. Calidam & humidam, seu sanguineam temperiem indicant corpus calidius, hirsutum ab calore educente fuligines; molle ob humorem: caro multa & rubra, illud ab humore, hoc à calore: vox firma, grauis anhelitus, manifestus, motus velox, multi sudores, multus somnus, pulsus magnus, fortis & plenus; procliuitas ad risum; dulcedo in ore, velox incrementum, iucunda somnia: si sanguis nimis abundat, pruritus frequentes, maxime in brachiis.

Calidam & siccam seu cholericam temperiē arguunt siccitas, durities, agilitas, gracilitas, cutis nigra, nigrum capillitium, quod fit cum deusto vi caloris vapore, excrementum in perfectam fuliginem mutatur, interdum crispum, retortum: color subniger, subrufus, citrinus, paucus somnus, vrina citrina, pauca saliua, lingua aspera sicca; eloquium velox, gressus celer, exile caput, oculi parui ob defectum humoris, qui in capite oculis abundat; pulsus vehemens, durus, frequens; aluus assidue sicca; morbi biliosi frequentes, rari sudores, somnia belli & furoris plena; magnum robur; quod scilicet

acqui

acquiritur; hinc phrenetici quandiu insaniunt robustissimi, quia tūc siccitas & calor per cerebrum agitur, soluti insania debilitantur & languent, quia nerui molliores redduntur.

Frigidam & humidam seu phlegmaticam temperiem indicant corpus molle, crassum, obesum, saliua multa, rara sitis, os madidum, retrimenta nasi multa, albus color, facies alba, immo sæpe plumbea, deest enim calor qui nitorem coloris afferat: deinde pituitæ proprius color est albedo, venæ & arteriæ exiles, angustæ, paucum quippe sanguinem continent; pigritia, canities præcox, tarda concoctio, ructus acidus, nausea sumpto cibo, pulsus tardus, rarus, mollis, frequentes sudores, somnia de aquis frequentia; vox subtilis, acuta.

Frigidam & siccam seu melancholicam temperiem produnt corpus tenue, glabrum, color fuscus, obscurus, aut nigricans; immo semper quod constat melancholia nigrum est; facies remissa, rugosa; ossa dura, cutis aspera, somnus turbulentus, somnia tristia, pulsus paruus, tardus, rarus, subdurus; appetentia magna, à melancholiæ proritatione, interdum canina fames à materia acida os ventriculi imbuente; erumpens melancholia eiectionibus variis; morbi melancholici frequentes; melancholici nunquam molles, neque candidi, neque obesi; Aristoteles l. de somno & vigilia cap. 2. hæc pauca de illis; *non sunt somnolenti, nam locus interior refrigeratus est, quare in eis euaporatio multa non fit, ob idque edaci auiditate laborant, cum sint aridi: nam eorum corpora ita affecta sunt quasi nulla re fruantur.*

Affectiones animorū ex qualibet temperie procreatæ.

ARTICVLVS VII.

21. *Affectiones propria sanguineorum.*

SAnguinei læti sunt, hilares, ac quoniam, vt ait Gregorius lib. 28. Moralium, *solet lætitia arcana mentis aperire*; non adeo secreti tenaces sunt; præterea grati sunt, amabiles, suaues, benigni, neque diu, neque multum irascuntur, quod enim humidum, cito deferuescit; omnium maxime amant, quia optima temperie constant humida calida, & satis acutum habēt caloris stimulum; vrbani, affabiles, faceti, magna morum facilitate præditi, minime suspiciosi, sunt valde obsequentes; igitur facile amantur, & amant facile.

22. *Cholericorū.*

Cholerici animosi, certaminis cupidiores, ad actionem prompti à sicco caloris stimulo; ingenium acre, & solers natura; acumen à bilioso humore proficiscitur ex Hippocrate l. de natura. Audaces, impatientes, iracundi, adeo vt vix ab ira deferueant; abundant quippe calidissimis spiritibus; præcipites mente, leues, importuni, iactabundi, verbcrones; vix amant, quia præcipites nimium & turbidi; at vbi amant vehementissime amant, quanquam non adeo constanter, quia vbi zelus & contentio, ibi inconstantia, cum enim multus mare ventus exagitat, atque in vortices cogit, non potest non incertis erroribus nauigium conuolui; ita biliosi, cum variis iræ fluctibus agitentur, contrahendis litigiis dissidiisque obnoxij sint, in amando mutationibus obnoxios esse necessarium est. Accedit ægrè

admodum amari biliosos, quia aliorum studiis facile non concedunt, austeri sunt, mordaces, pugnacesque, facile irascũtur, nec amant valde conuictum, qui tamen amorem, vt quod maximè, conciliare potest: amor enim ignis est, cui fomitem præbet rei amatæ cogitatio, ventilatur autem sermonibus mutuis, & reciprocantis studij obsequiis; an verò hæc sine conuictu?

23. *Phlegmaticorum.*

Phlegmatici ingenio sunt hebeti, retuso propter nimium humorem; timidi, nam timor à frigiditate procreatur; minime iracundi, vix amant, quia frigidi & humidi, quæ temperies, quia maxime abest ab ardore, qui est effectus amoris, ab amore quantum aliena sit, credo manifestum est. Adde quòd languidam valde habeant imaginandi facultatem, sed neque amãtur impendio; non sunt vrbani, faceti, affabiles, sed subtristiores, quæ quasi frigidam amoris flammis iniiciunt.

24. *Melãcholicorum.*

Melancholici, tristes, taciturni, secreti, tenaces, morosi, suspicaces; tarde irascuntur propter frigiditatem; semel commoti, vix sedantur propter siccitatem; stabiles mente, vt postea dicetur; in iuuenture plus sapiunt quàm posterioribus annis, quia ingrauescente ætate nimis siccescunt; ad auaritiam procliues, vix amant, quia maximopere frigidi, suntque in eundem ordinem cum pituitosis cooptãdi propter frigiditatem, valde suspiciosi, quia timidi; si tamen amore semel capiuntur, eorum amor cum pertinacia est, quia imaginatio, vbi semel deuicta fuerit, quasi affixa tota rei adhærescit.

25. *Recapitulatio præcedẽtium.*

Verum antequam hunc claudam articulum, paucis omnia retexo. Cuiusque hominis temperatio ex his potissimum signis cõiectari potest; ex tactu, carne, adipe, pilo, colore externo corporis, membrorum figura, eorumque facili aut difficili passione; à variis qualitatibus, appetentia cibi, nam quodque simile sibi appetit; ab operationibus omnibus, tardis, festinis; affectibus animæ; somniis; excrementis, vt sputo, fæcibus, vrina, muco, ac similibus.

Quæ corporis temperatio longæuior.

Articvlvs VIII.

26. *Quæ vitã diuturniorem efficiunt, ac primum de humido & calore in vniuersum.*

Vita, & pro vitali operatione, quæ vita est in actu secundo, & pro anima seu mansione animæ in corpore, quæ vita est in actu primo, sumitur; dispositio quæ necessaria est ad mansionem animæ in corpore est calor & humor primigenius; vnde & omnia viuentia in primo ortu maxime calida videmus & humida; senescentia verò (est porro senectus pronus ad mortem lapsus) frigidiora & sicciora: immo Aristoteles l. de vita & morte, & l. de respiratione vitam definit mansionem animæ in calido; humidum verò est natiui caloris fomentum, vitamque alit & conseruat, vt oleũ in ellychnio flammam; quæ duo vitæ fulcra & fundamenta spiritu perfusa & connexa in vniuersum corpus dimanant ac diffunduntur per arteriarum riuulos, eorumque præsidiis destitutum corpus vel depauperatum collabitur, omnisque facultas, vel in exitialem interitum, vel saltem in deterius præceps fertur, humiditas autem calori associata eundem prompte concipit, nec non

non illius actionibus obsequitur, vt fusè prosequitur Martinus Pansa in aureo libello de prorogãda vita.

Porro natiuus calor duplex est ἔμφυτος seu insitus à prima formatione hærens omnibus corporis partibus, tum siccis, tum humidis; ἐπίρρυτος influens à corde, iste illum iuuat, fouet, & conseruat; humidum quoque radicale duplex est, innatum, quod à prima origine in omnibus partibus reperitur, siue solidis, vt quæ ex semine, siue carnosis, vt quæ ex sanguine producuntur; calorem autem natiuum sustinet, vehit, & alit, & ab eodem vicissim lambitur; alterum est influens seu acquisitum, quod ex alimento partibus agglutinatur, succeditque in locum illius, quod vi caloris absumitur.

27. *De humidi quantitate.*

In humido consideranda primum est quantitas, nam, si multum sit, non facile exsiccabitur; hinc immoderatus Veneris vsus, quo maxime siccantur corpora, vitam breuissimam reddit; Idem efficit fœcunditas in plantis; quæ enim fœcundæ, citissime senescunt & moriuntur; quod dicendum quoque est de animalibus fœcundis; vnde mulus sterilis longæuus magis, quàm asinus, & equus fœcundi. Idem etiam efficit immoderatus labor propter nimiam humectantis spiritus consumptionem; ac in magnis corporibus, plerunque diuturnior vita quàm in paruis, maior est enim humidi copia; ac palma, cupressus, oliua, aliæque similes plantæ diutissime viuunt, quia multum habent humorem, eumque bene tectum & custoditum; huc referri potest Medicorum præceptum tum balneis, tum alimentis humectanda corpora, arcendamque siccitatem ad sanitatis vitæque conseruationem.

28. *De Humidi qualitate.*

Præterea consideranda qualitas humidi est, vt non sit aqueum, sed vt pingue seu aëreum, tenuéque sit; tenue, ne calorem suffocet; pingue & vnctuosum, vt melius calorem foueat; deinde humidum pingue de natura aërea participat, at aër ad ignis naturam accedit, ignis autem non putrescit, & ad rerum conseruationem plurimũ valet, quid oleum? non modo putrefactionem vix patitur, sed etiam succi herbarum, & fructus facile corruptioni obnoxij affuso oleo diu conseruantur; plantæ, quæ humido pingui constant, diutissime viuunt, ac licet diuturnius, vt plurimum, viuant sanguinea quam exanguia, contrarium tamen interdum contingere videmus, vt in apibus, quæ multo plus viuũt quam nonnulla terrestria; nam ad annum vsque sextum, vel septimum, atque etiam interdum vsque ad decimum vitam producunt teste Aristotele lib. de iuuentute & senectute cap. 10. & 5. de historia Animalium cap. 22. scilicet ipsæ nullis putridis insident, nec nisi dulci cibo vtuntur, (ast omne dulce, pingue) nec aquam, nisi synceriſſimam bibunt.

29. *De calore.*

Quod attinet calorem ab eo plurimum immo maxime pendet vita; vnde mas viuidior fœmina; etvero apud veteres recentioréſque scriptores longe plures viri quam fœminę de longitudine vitæ commendantur, vt videre est in Theatro humanæ vitæ volumine 2. lib. 3. vix de fœmina, quod de viro dictum est ab Iuuenale.

Felix nimirum, qui tot per sæcula mortem
Distulit, atque suos iam dextra computat annos.

Ac Democritus apud Aristotelem lib. 1. de Anima volebat animam

esse ignem, atque adeo ex atomis sphæricis, ad motum aptissimis, vt & ignem, componi, animæ enim est mouere; cuius sententia licet falsa sit, vere tamen ipse dicere potuit animam in calore positam, quia cum eius in corpore officium sit alere, & mouere, hæc caloris facultate maxime efficiuntur; anima tamē neque ignis, neque calor est. Etvero Aristoteles lib. 2. de partibus cap. 7. *Animam*, inquit, *esse ignem arbitrari simile est, atque si serram aut asciam fabrum, aut artem fabrilem arbitreris, quia opus nonnisi his instrumentis efficitur*; sed iam ad rem, si multus sit calor, difficile extinguitur, vitámque diutius conseruat, arcetúrque mors, cui adeo proprium est frigus, vt apud Horatium idem sit frigore ferire, ac interimere.

———O puer, vt sis
Vitalis metuo, & maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat;

Cum contra vitæ adeo proprius sit calor, vt apud Græcos ζάω, viuo, dicatur quasi ζέω, ferueo. Nec vero calor humidus causa tantum est vitæ, sed etiam augmenti; cum nimirum vtraque qualitas bene temperata est.

30. *Cur nonnulli deposita senecta ad iuuentutem redierunt.*

Nec propter aliam rationem, vt arbitror, nonnulli deposita senecta ad iuuentam redierunt, quam quia cibis, aut medicamentis eo tempore, eo modo, eáque mensura vsi sunt, quibus conueniebat, ad humidum caloris sedem, ipsúmque calorem, meliorem quam ante, reparandum. Sic Torquemada Dialogo primo Horti floridi refert anno 1531. fuisse Tarenti centenarium senem capularem, qui pilis, vnguibus squallore ætatis decidentibus, de sene iuuenis prodiit, & quinquaginta annos superuixit. Petrus Mapphæus historiæ Indicæ. lib. 11. Ferdinandus Castenneda lib. 8. & alij authores fidei probatissimæ, referunt cuidam Indo nobili spatio annorum, quibus vixit, trecentorum & quadraginta, iuuentutis florem ter exaruisse, térque refloruisse. Nonnulla similia exempla legere est apud Martinum Del Rio disquisitionum Magicarum lib. 2. quæst. 23. Etvero etiam Gabriel Vasquez tomo primo in 3. partem disput. 60. cap. 3. censet primum hominem, per scientiam in statu innocentiæ illi concessam, seipsum incolumem & immortalem in æternum seruare potuisse sumendo de ligno vitæ certis quibusdam temporibus, & in certa quantitate; rationem affert quæ tota pro nobis est, quia aromatibus, & aliis cibis arte præparatis multum restaurantur vires naturales, si eo tempore eáque mensura, qua expedit, sumantur: multo vero magis id credendum est de fructu ligni vitæ, quem Deus ad hunc peculiarem effectum destinarat; quod autem hic dicit Vasquez de ligno vitæ, seu vitarum, vt loquuntur Hebræi, eo magis rationi nostræ fauet, quo nonnulli probatissimi authores, de quibus videri potest Pererius in Genesim, vim totā illius naturalē fuisse contendunt. Notum est iuuentam Aquilæ renouari teste Propheta, *Renouabitur vt Aquilæ iuuentus mea*; Serpentes etiam deposita pelle induunt iuuentutem, dequo Arist. l. 8. de Historia Animalium c. 17. Hoc igitur in homine nō videtur impossibile, nec alia occurrit ratio, quam ea, quam prænotaui. Sed quidquid sit, ad propositæ quæstionis solutionem veniamus, quanquam iam prælibata est.

Melancholica temperies omnium minime

Quæ temperies ad vita diuturnitatē aptior.

minime viuax est, quia vtraque sua qualitate pugnat cum temperie, qua vita sustentatur; quod si frigus siccitate maius est, adhuc erit breuior vita, quia calor ad vitam potior est quam humor, qui tamen est caloris fomes & pabulum; phlegmatica paulo viuacior est, quia humorem habet, alteram vitæ qualitatem: licet fateor humorem hunc non iis esse præditum affectionibus, quæ ad viuacis humoris absolutionem requiruntur, nempe pinguedine, & lentore, aëreo, est tamen sanguinis rudimentum, ipsique familiaris, tum essentiæ ratione, tum conceptaculorum societate; quantum vero ad vitæ diuturnitatem cōferat sanguis, mox videbimus. Iam tota vertitur controuersia de duplici alia temperie, cholerica & sanguinea, vtra viuacior sit; verum sanguinea merito anteponenda est, quia vtroque constat vitæ principio & fulcro, calore & humore, *Calida humiditas*, inquit Aristoteles lib. de longitud. & breuitate vitæ cap. 5. *Vitæ atque incrementi causa est*. Cholerica vero temperies vno tantum vitæ principio constat, nempe calore: ad hoc facit, quod pueri magis viuaces sunt quā decrepiti, senes, & viri, & plantæ verni temporis diuturniores reliquis omnibus: At ex superioribus, initio huius capitis, paulo ante articulum primum, pueritiæ & Veri sanguinea, seu calida & humida temperies respondet. Quid porro est sanguis? Respondet Martinus Pansa in aureo libro iam supra laudato, succorum omnium in corpore contentorum optimus qui homini familiare & domesticum subministrat alimentum, vitæque pabulum iucundissimum: sanguis succorum tēperatissimus; cùm nullus insignis in ipso contrariorum excessus animaduertatur, nec calidum frigido, nec frigidum calido, nec humidum sicco, nec siccum humido superetur; ideóque hoc gaudet natura, & ipsius commercio iucundè fruitur; siquidem temperata naturam seruant, intemperata lædunt ac destruunt; in hoc aërio, dulci, rubicundo, sincero, defæcato, amabilique liquore spirabilis naturæ persistit vigor.

32. Obiectio pro sicca temperie.

Obiici potest primo temperationem siccam minus habere excrementitiæ fæculentiæ, (quæ morborum est seminarium) quam habeat humida, videtur suffragari Hippocrates lib. 3. Aph. 15. *Ex anni constitutionibus in vniuersum siccitates imbribus sunt salubriores*; cuius rationem dum affert Galenus, ait, in siccitatibus superfluas humiditates digeri; per imbres collectas intra corpus putrefieri; quod de temporibus, hoc de constitutionibus corporum dici potest. Respondeo sicca corpora maiori sanitate gaudere, quam humida & calida, at non propterea diuturnioris esse vitæ; nam sanitas consistit in temperie ad functiones naturales perfecte obeundas accommodata, si autem siccum sit corpus, quia durum, multo difficilius ab ea dimouebitur, minus excrementis ægritudinem parientibus abundabit; at cum vita sit permansio animæ in calido humido, vbi copiosius erit vtrumque, ibi diuturnior erit vita, quia anima diutius permanebit, etiamsi morbi frequentiores sint. Quare sapienter inter sanitatem (quæ mediocritas est, sicut morbus excessus aut defectus) & vitam diuturnam distinguendum est; & senes, licet ad vitæ metam iam pœne peruenerint, multo

minus quã iuuenes ægrotãt. Addo, vltimo, in controuersia adhuc positum esse, vtrum sanguinea temperies, quæ constat humido pingui, aëreo, non aqueo, multa mittat excrementa.

33. *Obiectio pro temperie frigida.*

Obiicitur præterea Elephantos, qui frigidi sunt (nam sunt frigoris impatientes; octo dies sine potione ferunt sitim, teste Æliano; & vt ait Rasis, caro eorum frigida est, & ponderosa) obiicitur inquam Elephantos multum viuere, nimirum trecentos annos, ex Plutarcho in opusculo quod bruta animalia ratione vtantur: Non ergo sanguinea temperies, quæ calida est, ad diuturnitatem vitæ opportunissima est. Respondeo Elephantos propter corporis magnitudinem multum continere humidi, quod difficile propterea exsiccatur, ac sic diu viuere, iamque diximus humidam temperiem sanguineæ affinem: deinde hæc animalia in regionibus calidissimis viuunt, vnde frigiditas naturalis temperatur; in his igitur animantibus vitæ longæuitas non ex temperie sola, de qua supra comparationem instituimus, sed ex alio capite petenda est: Moneo autem non adeo certum esse quod assumptum est in obiectione; nam Aristot. l. 8. hist. Anim. c. 9. multo parcius loquitur de Elephantis; *alij annos ducentos*, inquit, *alij trecentos viuere aiunt Elephantem.* Immo adhuc multo parcius l. 9. c. 46. *Viuere Elephantos mares alij annos ducentos aiunt, alij centum & viginti, fœminas etiam fere totidem.*

34. *Obiectio vltima.*

Obiicitur denique, multos Phlegmaticos in multo longius tempus ætatem prorogare, quàm multos sanguineos. Quid tum? hoc enim oriri potest à magis moderato vsu sex illarum rerum, quæ à Medicis non naturales vocantur, ac maxime à moderata victus ratione, maiore sui cura, exercitatione moderata, quæ mirum quantum confert ad salubritatem, & vitam conseruandam; adeo vt Auicenna, summus inter Arabes, dixerit, si quis, exercitationem negligat, is nunquam integra sanitate fruetur Galenus Cõmentat. in 6. Epid. c. 5. *Exercitationes*, inquit, *vacuant plenitudinem, ad concoctionem quidquid pituitosum, crassum & crudum est, perducunt, attenuant insuper, roburque addunt vniuersis corporis partibus*; cuius ratio est quod exercitationibus natiuus calor augetur, extrementa secernuntur, & purgantur, meatus corporis aperiuntur, quibus expiret, & noxij humores expelluntur; alimentum melius distribuitur, atque ideo partes omnes fœlicius nutriuntur; cauitates quidem gracilescunt, quia purgantur fæculentiis, at carnes incrassantur; sed hac de re fusius l. 4. c. 13. Contra, nihil otio & desidia ad valetudinem peius, Galeno teste Comm. 3. in l. 6. Epid. c. 2. *Otium*, inquit, *natura sua minime vacuat abundantiam humorum*; & alibi; *otium eneruat corpora, effœminátque, exercitatio contrà stabilit & roborat.* At nos non loquimur hic cui temperiei diuturnior, aut breuior aliquando vita competat propter externas victus, laboris moderati, & alias consimiles causas, sed cuinam, vt talis est, ex intrinsecis principiis conuenire debeat. Non me latet Aristotelem initio libri de lõgitudine & breuitate vitæ, dicere in regionibus calidis homines plus viuere, quàm in frigidis, hoc vero intelligendum

gendum est cæteris paribus, ac maxime pari corporis temperatura ad vitæ diuturnitatem opportuna;certum est enim & indubitatum apud Philosophum hoc vniuersale principium, calida humiditas vitæ, & incrementi causa est; quare stat conclusio nostra, ratio autem effati Aristotelici est, quòd in regionibus calidis, ab aëre ambiente temperetur senectutis frigiditas; quod si prætere a humidus sit aër, tum optime est senectuti, quæ non modo frigida,sed etiam sicca est, quid mirum igitur si vita diuturnior?

35. *De breuitate vitæ summorũ Pontificũ*

Cæterum prouidentiam diuinam suspicimus,neque rationem inuestigamus(cum hoc ab instituto nostro physiognomico sit, longe alienissimum) cur omnis potentatus vita breuis vt loquitur Ecclesiasticus c. 10. satis mihi erit in transitu hic insinuare septuaginta & vnum Romanos Pontifices, simul omnes, ad octoginta annos in hac summa Ecclesiæ administratione non aspirasse; quatuordecim enim reperiuntur,qui duntaxat aliquot menses supra duos annos;decem & octo,qui nonnullos etiã menses supra vnum annũ expleuerũt;triginta,qui ne quidẽ ad vnius anni terminum peruenerunt; immo vero nouem, qui vnum mensem explere nõ potuerunt. Stephanus enim secundus tres dies; Vrbanus 7. tredecim; Celestinus 4. septemdecim; Theodorus 2. & Sisinnius, vterque viginti; Marcellus 2. vigintiduos; Damasus 2. vigintitres;Leo 11. viginti quinque; Pius 3. viginti septem dies in hoc summo dignitatis Ecclesiasticæ fastigio vixerunt; atque si omnium horum Pontificum anni in summam reducantur,longe octogenario numero minor erit: legi potest Petrus Damiani l. 1. Ep. 17. ad Alexandrum 2. qui ab eo petierat huius arcani, hoc est tantæ breuitatis vitę summorum Pontificum rationem,maxime cum ipsi, vt principes sæculares, hostilibus gladiis non occumbant; quæ res facit, vt mirari desinamus, cur 71. Imperatores, vt in hoc numero hæreamus, sæculum vnum regnando non impleuerint.

Quænam temperies requiratur ad ingenij bonitatem.

ARTICVLVS IX.

36. *Quid ingenium, & vnde ingeniorũ varietas.*

Nihil in terris magnum præter hominem, ait Phauorinus Philosophus, nihil in homine magnum præter mentem; addo ego, nihil quoque in mente magnum præter ingenium, quæ vis quædam est naturalis menti insita, qua facile artes comparantur; facultas inquam est animi; naturam qui vocarunt, non intellexerunt formam substantialem,quæ operationis principium est, definiturque ab Aristotele 2. Physicorum; intellexerunt vero temperaturam, seu concentum quatuor primarum qualitatum certa lege castigatarum, vnde habiles vel inhabiles ad scientias euadimus: quare ingenij nomen non facultati mentis, vt par erat, sed dispositionibus quibus velut instrumento mens vtitur,tribuerũt; atque ex hac varietate temperamentorum oritur ingeniorum varietas, seu operationum mentis in iudicando, discurrendo, inueniendo & in disciplinis fœliciter, aut secus excolendis diuersitas: & sic, recte dici potest eiusdem hominis, pueri vel adolescentis, viri vel senis varium esse ingenium, pro varia ætatum temperie

periei sæpè qui puer viuidior erat, postea senex, stupidus & bardus euadit; interdum qui adolescens obtusiori erat ingenio, vir factus summam animi sagacitatem præsefert: contigit etiam aliquando, vt morbus, vel subitus casus plurimos omni ingenij vsu priuarit; Messala Coruinus post ægritudinem etiam proprij nominis fertur oblitus ex Plinio lib. 7. cap. 24.

37. *Ingenij appellatio conuenit tribus mẽtis facultatibus.*

Porro cum tribus mentis nostræ facultatibus, imaginatione, intellectu, memoria disciplinas nobis comparemus, tribus his, & singulis etiam nonnunquam ingenij appellatio adhæret, quanquam perfectum omnibúsque suis numeris absolutum ingenium omnes eas complectatur *Ingenij nomine*, ait Cicero 5. de finibus, *appellatur docilitas & memoria, easque virtutes qui habent, ingeniosi vocantur.* Cæterum imaginationi propria est inuentio, acumen, sagacitas; intellectui iudicium; memoriæ rerum firma complexio, quæ postea recordatione menti expedite subministrentur: Ad Imaginationem pertinent artes & scientiæ omnes, quæ ad figuras, ad symmetriam & proportionem, ad harmoniam pertinent; hæ sunt Poësis, Eloquentia, Musica practica, Medicina, Mathematica, Astrologia, Administratio Reipublicæ, Artes militaris, pingendi, delineandi, scribendi, legendi, concionandi, machinas excitandi. Intellectu, iudicióque comparatur Dialectica, Naturalis, ac Moralis philosophia, Theologia Scholastica, Theorica Medicinæ. Memoria comparantur Grammatica, Arithmetica, Theologia positiua, Linguæ omnes, Cosmographia. Non est animus, cur hæ scientiæ ad has classes reuocatæ sint, hic fusius disputare, videri potest author libri de examine Ingeniorum cap. 8. & sequentibus. Tantum repeto quod iam monui causam varietatis ingeniorum esse variam organorum temperiem, vnde facultates mentis varie operantur: causam hic intelligo proximam; nam fateor cum Ptolomæo in Centiloquio remotam causam esse cælestes influxus, propinquiorem cum Panætio aëris temperamentum, cum aliis adhuc propinquiorem, magisque internam parentes, quatenus materiam & formam proli tribuunt. Nunc igitur, quænam temperies requiratur, vt quæque harum trium qualitatum munus suum probe exequatur, sedulo dispiciamus.

38. *De Imaginatione.*

Imaginatio calorem deposcit. Sic enim celeres erunt motus sine quibus non constat inuentio, vernacula imaginationis proles. Irati mira comminiscuntur in eos, à quibus iniuria sunt lacessiti, propter subitam caloris commotionem; Maracus ciuis Syracusanus, ex Aristotele sect. 30. problematum, dum mente alienaretur & incalesceret, poëta erat præstantior, at poësis inuentioni adscribenda.

39. *De Memoria; vnde eius præstantia.*

Memoriæ, quæ nihil aliud est quam vis animæ, quæ rerum cognitarum imagines, tanquam depositum, recondit, ac seruat, vt eas, cum opus fuerit, exhibeat, (vnde à M. Tullio rerum omnium thesaurus, à Plutarcho disciplinarum cella penaria vocatur) Memoriæ, inquam, vt bonitas constet, requiritur ex parte organi, tum mollitudo, tum durities ad congruam temperiem sibi mutuo fœderatæ; mollitudo quidem, vt facile imbibat rerum notas, durities, vt simulacra impressa retineat & conseruet. Vbi multitudo

superat,

ſuperat, cito diſcitur, at non diuturna retentio eſt; vbi durities maior, difficile diſcitur, at quod ſemel memoriæ commendatum eſt, diutiſſime retinetur; huc refero eos qui propter nimias vigilias nimium ſicceſcunt; Mane fœliciter memoriæ res committũtur, quod ſomnus humectiores reddiderit, quanquam & addi poteſt nõdum ſpecierum multitudine & collunione fatigatam potentiam, neque affectum organum; ſenes, quia carent humore natiuo, qui occipitis, quod organum memoriæ eſt, mollitudinem glutinoſam efficiat, difficili ſunt memoria; pueri verò adhuc in teneriori ætate conſtituti, quia nimis humidi, parum memoria valent; Iuuenes autem optimo ſunt ad memoriæ præſtantiam temperamento; Melancholici diuturniori ſunt memoria, vbi ſemel apprehenderint, licet lente apprehendant, quia ſicciores ſunt, ac proinde firmius retinent: Accedit quod diutius & attentius cogitant, quo fit, vt multo melius ſpecies memoriæ imprimantur: ac propter eandem rationem difficile eorum, quæ amamus, obliuiſcimur, eorum enim crebra eſt & attenta cogitatio; egregia quoque illis ſuppetit memoria, quorum animi multis motibus non diſtrahuntur; at quorum caput multis vaporibus offunditur, & crebris doloribus quatitur, lubrica, profluа, & hebetior eſt memoria, quia perpetua agitatione raptantur & obſoleſcuut ſpecies; in hac porro facultate hoc ſingulare eſt, quod ei labor & exercitatio magnum conferant adiumentum: hinc feſtiuè ludit in Rhetorem Apollonium Martialis lib.5. Epigram.22.

Quinctum pro Decimo, pro Craſſo, Regule Marcum
Ante ſalutabat Rhetor Apollonius.
Nunc vtrumque ſuo reſalutat nomine, quantum
Cura labórque poteſt; ſcripſit, & edidicit.

40. *Quid diſferant memor. a & reminiſcẽtia.*

Non obiter hîc prætereundum diſcrimen inter memoriam, recordationem, & reminiſcentiam; prior illa tum ſenſitiua, tum intellectiua eſt, poſteriores duæ tantum intellectiuæ; ſemper autem quod intellectiuum eſt, conſequitur id quod eſt ſenſitiuum; qui habent celeres ingenij motus facile reminiſcuntur, vt ait Ariſtot. lib. de memoria & reminiſcentia cap.1. cum enim recordatio ſit repetita cognitio rei, quæ tamen non exciderat, reminiſcentia eſt quidam ſyllogiſmus, ratiocinatio, & inquiſitio, vt loquitur Philoſophus, eſt enim progreſſio, qua facultas memorandi ex vna, aut pluribus cognitionibus in eius rei cognitionem venit, quæ nec exciderat omnino, nec tamen memoriæ occurrebat, vt cum quis filium videns reminiſcitur patris, imperiique ab eo facti, quare diſcurrit, quod hominis proprium eſt, vnde Ariſtoteles lib. 1. de hiſtor. Anim. cap. 1. *Cum memoriæ atque diſciplinæ complures animantes participes eſſe poſſint, nulla tamen, præter hominem, reminiſci poteſt.* Inter homines vero, qui plurimum valent reminiſcentia non tam præſtanti ſunt memoria; reminiſcentia enim celeres animi motus. quod ſiccitati affine eſt, memoria vero notabilem in organo mollitudinem requirit; hæc autem ab humiditate naſcitur; quare contrariæ ſunt vtriuſque diſpoſitiones: plura de memoria Ariſtoteles libro hac de re ſcripto, & Claudius Campenſis libri Commentator.

41. *De intellectu vnde eius præstãtia.*

Intellectus seu iudicium siccitatem postulat, vnde ætate prouectiores prudentia valent & prudentia; ac recte Heraclitus, ex Galeno in libro quod mores animi corporis temperamentũ sequantur, dixit, Animus sapientissimus, splendor siccus; sal etiam, authore Christo, prudentiæ Symbolum est: animalia, quæ hominis iudicium & prudentiam aliquo modo æmulantur, valde sicca sunt vt formicæ, (siccitatis signũ est quod sagacissimæ sint naris,) contra porcus omnium humidissimus, omnium quoque stolidissimus est. Conimbricenses, (quos cum dico, patrem Emmanuelem Goës, doctissimum Societatis nostræ philosophum & Theologum laudo, qui horum operum, quæ collegij Conimbricensis nomine circumferuntur, author est, excepta logica, quæ à P. Sebastiano de Couto scripta vulgatáque est) Conimbricenses, inquam, in 2. de Generat. cap. 8. q. 4. art. 3. assentiuntur iis, qui putant id temperamentum ad ingenij acumen, & mentis perspicaciam accommodatius esse, quod ex bilis & melancholiæ permixtione constat; nam à bile oriuntur facilis apprehensio imaginationis, velox discursus, motus agiles & acres: ob melancholiam vero fit, vt animus ab externis auocetur, diu meditetur, & maturius, de iis quæ inuenit iudicet: Adde quod Melancholiæ beneficium est, vt paucissima sint retrimenta, quæ spiritus specierum vehicula conturbent; immo ex atra bile calente tenuissimi spiritus progignũtur. Consentit Galenus 1. de natura humana commento ad textum 39. his verbis. *Animi acies à bilioso humore, constantia & firmitas à melancholico.* quòd si solus adesset biliosus humor, promptitudo magna foret ad intelligendum & inueniendum, at non firmitas & maturitas ad iudicandum.

42. *De sententia Conimbric. & Aristotelis, differitur.*

Hæc omnia mire conspirant cum nostra sententia supra tradita de propria cuiusque facultatis temperie; solum moneo Conimbricenses, ingenij nomine, tantum iudicium & acumen fuisse complexos, non autem memoriam, ad quam biliosus humor & melancholicus nihil conferunt, nisi ad res, difficulter initio consignatas, firmius retinendas; quod si Aristoteles sect. 30. probl. omnes præstantes viros, qui ante eius memoriam ingenij gloria floruerunt, & in variis artibus & facultatibus excelluerunt, melancholicos fuisse asserat, non propterea negat fuisse biliosos, seu huiusmodi melancholiam multa fuisse bile temperatam: sed quia à potiori parte fit denominatio, & ad ingenij præstantiam requiritur potissimum examen, & sedula attentáque rerum tractatio, quæ duo sunt à melancholia, ideo huiusmodi eximios viros absolute melancholicos pronuntiauit; nisi fortasse quis dicat hac vna re permotum Aristotelem, vt Melancholicos appellaret, quod omnes, qui se sedulo studiis dediderunt, progressu temporis multam contrahant melancholiam.

Passiones aliæ alias indicant: principium physiognomiæ quintum.

CAPVT XII.

1.

INFOELIX supellex est alienis tantum insistere vestigiis, &

Nouus Aristotelis modus cōiectādi ex passionibus.

& infimi character ingenij imitari, præterea nihil, ac, more nutricum, alienos partus educare multos, parere paucos: quare Aristoteles, cui se totam infuderat philosophia, cum ab antiquis Physiognomis vsurpatos commemorasset modos, nouum recentémque, nulli antea prodidit cognitum, vt ex vna vel pluribus passionibus aliæ coniiciantur; vt si quem iratum videas, tristē; si quem animo demissum, iuuidum; si quem inuerecundum, furem pronunties; Nos igitur hoc capite, Aristotelis exemplo, de passionum connexione disputabimus, de earum tamen natura pauca delibaturi quantum ad nostrum satis erit institutum; ac capite sequenti virtutum vitiorúmque coniugia, quasi manu ducti à passionibus, quæ vtrorumque sunt siue incentiua, siue seminaria, fusè prosequemur.

2. Quid passio.

Passio non est clauus, quo anima corpori affigitur, vt ait Iamblicus; non vt Stoïci, auersa à recta ratione contra naturam animi commotio: sed vt Peripatetici definiunt, actio appetitus sensitiui, qua fertur in bonum,& malum, vtrumque per imaginationem prius cognitum. Cicero 4. Tusculana, passiones perturbationes animi vocat, quia in contemplando & agendo animum perturbant. Quintilianus lib. 6. cap. 6. affectus, Gellius lib. 19. cap. 22. affectiones. Macrobius in somnium Scipionis lib. 2. cap. 16. animi motus appellat, sed, vt ad Peripateticorum definitionem redeam, in nobis duplex est appetitus, intellectiuus & sensitiuus; intellectiuus voluntas, liberúmque arbitrium vocatur; provt in finem, liberum arbitrium, provt in media fertur; Sensitiuus is est, quem Theologi concupiscentiam, fomitem peccati, legem membrorum appellant; huius actiones, quia cum aliqua corporis commotione & passione fiunt, passiones & commotiones appellantur: Etvero licet voluntas germanas consimilésque habeat actiones cum appetitu sensitiuo, iram, misericordiam, amorem, odium, atque alias solenni tamen apud philosophos nomenclatura passiones non vocantur, quanquam quod de vnis dicitur, per analogiam ad alias commode transferatur; maximáque parilitate ira voluntatis cum ira sensus, misericordia illius cum huius misericordia conueniat: porro appetitus sensitiuus duplex est; concupiscibilis vnus, irascibilis alter; ille bonum & malum absolutum, iste bonum & malum contractum seu arduum spectat; & quia absolutum contracto antecedit, ille isto anterior priórque natura est, quæ doctrina est S. Thom. 1.2.q.25.art.1.& 2.

3. Passionum numerus.

Constat porro omnium consensione in appetitu concupiscibili sex esse passiones; amorem, desiderium, gaudium, odium, fugam, tristitiam, in irascibili quinque, spem, desperationem, timorem, audaciam, iram. Ratio senarij illius hæc communiter assignatur, obiectum huius appetitus vel est bonum, vel est malum, bonum considerari potest, vel vt absens, vel vt præsens, vel vt abstrahens ab vtroque: desiderium in absens, gaudium in præsens, amor in bonum abstrahens fertur: similiter malo vt absenti respondet fuga, vt præsenti tristitia, vt abstrahenti ab vtroque, odium. Ratio quinarij ista iactatur; bonum arduum, si cogitatur vt possibile, speramus; si vt impossibile, desperamus, malum vero arduum si cogitatur vt absens, ar-

 duum,

duum & absens superabile menti obiicitur, tum audaciæ locus est; si malum præsens est, accenditur ira. At cur nulla passio in irascibili circa bonum præsens vt duodenarius passionum numerus compleatur? quia nullum bonum præsens arduum est. Marcus Tullius quarta Tusculana Stoicorum definitionibus & partitionibus vtitur in perturbationibus describendis, quas ipsi, vt & Lactantius l. 6. Institut. c. 16. Nyssenus l. 4. de homine c. 8. Augustin. 4. de Ciuitate c. 8. Damascenus 2. de fide c. 8. atque alij ad quatuor tantum, tanquàm ad primarios fontes reuocabant; eas scilicet ex duobus opinatis bonis, & ex duobus opinatis malis nasci censebant; ex bonis quidem libidinem & lætitiam, illam futurorum bonorum, istam præsentium; ex malis autem metum & ægritudinem, metum ex futuris, ægritudinem ex præsentibus, hæc paucis Virgilius 6. Æneidos.

Hinc metuunt, cupiúntque, dolent, gaudéntque.

His singulis passionibus complures alias subiiciebant Stoici nullam vt omisisse viderentur. Verum de passionibus omnibus doctissime suo more disputat Theophilus Rainaudus in sua Morali; nos, quia hic non aliud quàm earum connexionem quærimus, vt iam monuimus, intra angustiores limites nos continebimus; solum toti huic disputationi præmittere contenti, quod passio omnia ad se trahat, suóque sapore, siue colore intingat, vt disserit Petrus Cellensis Epist. 158. vnde fit vt quod quisque vult, hoc etiam verum putet, & bonum; quod non vult, falsum censeat & malum, passione scilicet nimioque affectu tenebras menti offundente.

De amore.

ARTICVLVS XI.

4. *Amor principium omnium passionum.*

AMor, est intrinsecus insita in id, quod animo iucũdum est, habitudo, vt vult Greg. Nyssenus hom. 8. in Eccles.; vel, vt vulgo Philosophi, propensio appetitus in bonum, seu complacentia appetitus in bono apprehenso vt conueniente; & amare nihil est aliud, quàm velle bonũ. Neque vero male Plato in conuiuio Amorem magnum Dæmonem appellauit, tum ob eius vehementiam, tum quia caput & princeps est omnium Dæmonum, hoc est humanarum perturbationum, quæ sunt homini quasi interni dæmones, vt loquitur Piccolomineus gradu primo c. 18. princeps, inquam, est, quia, vt iam dixi, passiones cõcupiscibilis antecedũt passiones irascibilis; at inter passiones cõcupiscibilis, quæ sunt circa bonum; Amor, desideriũ, gaudium, antecedunt iis, quæ sunt circa malum, odio, fugæ, tristitiæ; porro quia desiderium est motus ad bonum, gaudium quies in bono: Amor aptitudo, proportio, seu prima propensio ad bonum, antecedit ipse desiderio, & gaudio, sicque omnium passionum principatum obtinet; & ex ipso quasi vbere propagine luxuriant omnes perturbationes, vt ait D. Thomas 1. 2. q. 25. art. 1. & 2. si enim amas bonum, statim vbi præsens est, gaudio; vbi absens, desiderio; vbi absens possibile & arduum, spe; vbi absens, arduum & impossibile, desperatione tangeris; contra non odisti malum nisi quia bonum oppositum,

tum amas, & circa malum, vt iam prædictum est, variæ versantur passiones. *Nulli dubium est*, inquit Augustinus l. 83. qq. 35. *non aliam metuendi esse causam, nisi id quod amamus, aut ademptum amittamus, aut non adipiscamur speratum*, atque idem 14. de Ciuit. c. 7. *Amor inhians habere quod amatur, cupiditas est; id autem habens, eòque fruēs, lætitia est; fugiens quod ei aduersatur, timor est; idque si exciderit, sentiens tristitia est.* Atque hic ego germanos amoris affectus tum me declarasse satis, atque illustrasse arbitrabor, cum amicorum mores enumerauero, quanquam amicitia longe quid nobilius dicat omni passione appetitus.

Amores Amicorum.

ARTICVLVS III.

5. *Qui amici*

AMicus est qui diligit & se diligi intelligit, quare rectè Plato in Lyside, nisi vterque amet, neuter est amicus; porro is diligit, qui alteri bonum vult illius causa, paratusque est ad illud ipsum præstandum. Amici iisdem rebus lætantur, hinc iisdem tristantur, concordia nascitur. Mutuo sibi in prosperis gratulantur, in aduersis compatiuntur, eosdem amant, eosdem oderunt, & quisque beneficio se deuinctum putat, dum alter beneficium accipit. Ratio est, quia amicitia est animorum coniunctio, &, vt vulgo dicitur, anima vna in duobus corporibus, amicúsque amicum, vt alterum se, diligit, omnisque amor est amantis & amati vnio, quare idem est vtriusque velle, atque idem nolle, alterque alterius quasi dimidium est. Quàm rem acutissime & oratorie in primis expressit Augustinus, cum de socio præmatura morte abrepto sermonem facit l. 4. Confess. c. 4. & 5. Atque cum olim Sizigambris Darij mater Ephæstionem, Regem Alexandrum rata, more suo esset venerata, erroris que admonita, Alexandri pedibus aduoluta, veniam deprecaretur, ignorationem nunquàm antea visi Regis excusans, Alexander eam manu subleuans non errasti, inquit, nam & hic Alexander est, ita Curtius l. 3. Sese præsentes desiderant & absentes concupiscunt, sæpe languent propter amici absentiam; gaudent conuictu, qui totus suauitate respersus est, immo maxime fouetur, confirmatur, adolescit, maturescit amor mutua consuetudine, confabulationibus, conuictu: quare vt refert Philosophus 2. polit. c. 2. Aristophanes censuit amantes desiderare ex ambobus fieri vnum, sed quia ex hoc accideret, aut ambos, aut alterum corrumpi, vnionem quærunt, quæ conuenit, & decet, vt simul agant, colloquantur, & mutua iungantur consuetudine; amor enim vnio quidem est secundum cooptationem affectus, vt ait D. Thomas 1. 2. q. 28. art. 1. sed vnionem realem quantum potest affectat; quòd expressit Augustinus 8. de Trinit. c. 10. dum vult amorē esse iuncturam, copulantē vel copulare appetētem; quòd si quis amorē remittere velit, cogitationem anocet, & conuictum dissuat necesse est; quare vera est veterum illa vox, Absentium non est amor, cum absentium languescat cogitatio, nullaque vitæ cum ipsis intercedat consuetudo; ac commode dici potest.

Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.

6. Extases propriæ amicorum.

Amicorum frequentes sunt extases vt alter alterum perpetuo in oculis gerat, eiusque in animo speciem acerrimis depingat pigmentis, & si forte mori contingat, dolorem eum contrahant, quem interdum vix vlla leuent lenimenta, nam amantes amentes, & quanto quisque magis præsentem amat, tanto magis amissum dolet; rapit amor amantem, & anima est plus vbi amat, quàm vbi animat; atque vt recte Cato Romanus, animus in re amata viuit; quanquam nonnulli ita hoc dictum velint, vt anima sumatur pro spiritu, quemadmodum sæpe sumit Hippocrates libro de corde, & l. de diæta: cum igitur spiritus amantis pœne totus sit in fouenda imagine rei amatæ, & valdè pigre exerceat in reliquo corpore officij sui munia, ideo dicitur anima potius esse vbi amat, nempe in idolo & specie rei, quàm vbi animat: Atque hinc oritur præterea macies, pallor, quòd cum de desiderio agemus, explicabitur; cum enim deseritur stomachus, spiritibus suis languet ipse, vnde concoctio pessima, & paucus sanguis consequuntur: fateor verò fieri posse, vt & cum maximo amore sit viuidus color, & optima corporis affectio, si nimirum cum gaudio & lætitia coniungatur amor, tunc enim à corde subministrabuntur affatim spiritus, vnde hilarescit vultus: huc referri potest adhæsio illa, qua amans in amato, & vicissim amatum in amante est, adhæsio, inquam, secundum vim tum apprehensiuam, tum appetitiuam: quam in rem Paulus 1. Tessal. 2. *ita desiderantes vos cupide, volebamus tradere vobis animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis.*

7. Non contentiosi.

Non sunt qui amant inuicem pugnaces, neque contentionum amatores; si forte redarguendi necessitas incumbit, non iactantiæ causa, sed amoris affectu hoc totum, quantum est, præstatur officij, adeo vt neque aspera sit admonitio, neque contumeliosa obiurgatio, esto talis interdum prima fronte appareat. Non sunt dissimulatores, sed veraces, animi arcana mutuo communicant, quia alter alteri penitissime cognitum se vult; non verecundantur coram amicis facere, quæ secundum vulgi opinionem turpia sunt; sunt enim nonnullæ res, quæ veræ turpitudinis nihil in se habent, quanquàm vulgo turpes existimantur, nonnullæ verò cum vitio & turpitudine complicatæ sunt; has vero amicis nunquam facere licet, quippe nec viris probis, at amici, viri probi sunt; sin minus, amici non sunt, cum amicitiæ vinculum sola sit virtus; vnde Publius Rutilius, ex Valerio Maximo l. 6. cap. 4. cum nescio cuius iniustæ rogationi resisteret, isque diceret, quid mihi tua amicitia, si non facis quæ rogo? vt decebat respondit, quid mihi tua, si iniusta rogas, & fieri à me vis? igitur qui veræ amicitiæ necessitudine coniunguntur, ea facere alij coram aliis non erubescunt, quæ tantum speciem turpitudinis præse ferunt, cum enim mutuo sibi sint cogniti, non est periculum vt ea sibi vitio vertant. Cæterum video præpediri posse omnem verecundiam, non modo à familiaritate, verùm etiam à contemptu personarum, quarum laudem iudiciumque, quasi nulla sint, aut certe exigua, despicimus, ex quo etiam fit, vt coram belluis, qua ratione

tione & iudicio carent, non erubescamus; at verò coram cognatis maxime verecundamur, quia cum eorum iudicium maximi faciamus, multum formidamus. Verum inter amicos non est verecundia in rebus iam dictis, non ratione contemptus, sed familiaritatis; amici porro non se inuicem metuunt, nemo enim, quem diligit, metuit; ratio est, quia qui metuit, malum metuit, at amicus scit alterum amicum sibi bene velle, nam amicus non est, qui non scit se diligi; hinc ille apud Bernardum, iam non metuo, sed amo.

8. *Non queruli, &c.*

Non sunt queruli amici, quia querimoniam extorquet vera aut existimata iniuria, vera autem iniuria non est, si amicitia est; existimata quoque iniuria non est, quia amicus omnia in meliorem partem interpretatur, vt in deteriorem inimicus. In procinctu cum esset Augustus Cæsar, vt multos condemnaret, nec accedere posset Mecœnas, scripsit ad eum, asperioribus in speciem verbis, surge tandem Carnifex: quam bene hæc accepit Augustus! Subitò surrexit vt refert Dion. Non sunt suspiciosi; nam suspicionis parens est ignorantia, at vbi amicitia est, pectoris quoque vtriusque intima cognitio est. Inter amicos omnia communia, tibi enim parcus esse non potes; at amicus alius quidem est, at alter tu, & tecum idem est; Pythagoras amicitiam quam bene vocauit ἰσότητα, & eandem animam. Alter ab altero multa suffert, amor enim patiens, vt & charitas, quæ amori nihil addit nisi perfectionem quandam, quod scilicet id, quod amatur, magni pretij designatur, vt nomen ipsum innuit.

9. *Amor in-*

Amari se mutuo quisque intelligit, vt iam insinuauimus; immo hic maximus amoris fomes est, & nescio quid illecebrosæ suauitatis præsefert amor, vt rapiat etiam nolentem ad amoris reciprocationem. *Ego tibi*, inquit Seneca Epistola ad Lucillum, *monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine vllius venefica carmine, si vis amari, ama.* & Martialis lib. 5. ep. 8.

ter illos mutuus vtrique notus.

Hoc non fit verbis, Marce, vt ameris ama.

Nota est fabula Veneri consuluisse aliquando Themin, vt Anterota hoc est mutuum amorem procrearet, quo amor ipsius proles adolesceret, & in dies magis magisque venustaretur; quid enim dulcius, quid suauius quam nosse se amari? obsequiosus est amor, & reuerentia plenus, hæc vero vel ab inuito amorem suffurantur.

10. *Odium inter amicos succedit grauissimũ.*

Si quando dissuatur amicitia odium succedit acerbissimum, ratio est, quod eo maius sit odium, quo maior est iniuriæ existimatio, at amicus ab amico irrogatam iniuriam non leuem, sed quam maximam putat, cum ab eo reciprocationem expectaret beneficiorum; quæ res prouerbio locum dedit, Qui se nimium amant, nimium oderunt.

Adhæc, similes sunt studiis amici, quia in vnum coïere amoris compagine: ac maximum amoris viscarium est similitudo; hinc Ecclesiast. 13. *omne animal diligit sibi simile*, siquidem naturæ momento ad amorem nostri propendemus, quæ vero similia sunt, aliquo modo vnum sunt, igitur quod sibi simile est, ac se, quisque adamabit; hinc fit vt pueri adeo speculis delectentur, in quibus, cum sui videant impressam quasi viuam spirantémque imaginem, eosdémque cum ipsis vultus induentem, ea, quasi altera se complectun-

plectuntur, hinc quoque fit, vt quisque conciuem suum, cognatum, gentilem quàm peregrinum, & aduenam magis diligat. Bene sentiunt, benè loquuntur alij de aliis amici, beneficiorum memores: alter alteri thesaurus, vt aiebat Alexander. Amori omni annexa delectatio est; vnde Isaac amore Rebeccæ temperauit dolorem, quem ex matris morte contraxerat.

11. *Præclara Augustini sententia.*

Ex his, quæ hactenus diximus multa complexus est Augustinus c. 1. l. de Amicitia, & quidem vno verborum tenore quem non intercidendum putaui. *Amicus*, inquit, *quasi amoris, vel ipsius animi custos dicitur, quoniã amicum meum amoris mutui, vel ipsius animi oportet esse custodem, vt omnia eius secreta fideli silentio seruet, quidquid in eo vitiosum viderit, pro viribus caueat, & deleat; cui & gaudenti congaudeat; & dolenti condoleat, & omnia sua consentiant qui amici sunt. Amicitia igitur ipsa virtus est, quæ talis dulcedinis ac dilectionis fœdere ipsi amico copulatur, vt vnum fiat de pluribus, vnde ipsam amicitiam non inter fortuita, vel caduca, sed inter ipsas virtutes, quæ æternæ sunt, etiam huius mundi Philosophi collocauerunt.* Sed vereor ego ne hic amicum descripserim, vt Oratorem Cicero; Rempublicam Plato, sapientem Stoici, & Xenophon Imperatorem.

De odio & inimicorum moribus.

ARTICVLVS IV.

12. *Quod odium, & quomodo ab ira differat.*

ODium, est concupiscentis appetitus abalienatio ab eo quod malum existimatur; breuius, mali displicentia; quæ si grauior sit, & latens in animũ gliscat, indignatio vocatur & abominatio. Marcus Tullius Tusculana 4. Zenonis sententiæ calculum adiicit, qui odium esse vult iram inueteratam: At magnum discrimen iram inter & odium; Irascimur singulis, aut paucis hominibus, odimus plures; Ira multo leuior est odio, vt ait d. Thomas 1.2. q. 46. art. 2. & 6. *nam iratus appetit malum ei cui irascitur, non vt malum est, sed vt habet rationem quandam boni, prout existimat illud esse iustum; nimirum vt est vindicatiuũ: at qui odit, vult inimico malum, prout malum eius est: quare ira est per applicationem boni ad malum, odium mali ad malum; ira misericordiæ est propinquior, quàm odium, quantum ad id quod desideratur, nam odium, cum appetat malum alterius, nulla mensura mali satiatur, ea enim quæ secundũ se appetuntur, vt ab auaro diuitiæ, sine mensura appetuntur, vt ait Philosophus* 1. *polit. cap.*6. *vnde Ecclesiastici* 12. *inimicus, si inuenerit tempus; non satiabitur sanguine; sed ira non appetit malum, nisi sub ratione iusti vindicatiui, quamobrem quando malum illatum excedit mensuram iustitiæ secundum existimationem irascentis, tunc miseretur: vnde Philosophus* 2. *Rhetor. c.*4. *Iratus, si fiant mala, miserebitur; odiens autẽ pro nullo. Dictum est autem iram propinquiorem misericordiæ quam odium, quantum ad id quod desideratur, nam quantum ad intentionem desiderij, ira magis excludit misericordiam quam odium, quia motus iræ est impetuosior propter choleræ inflammationem,* hactenus D. Thomas loco citato: Præterea ira ex contemptu manat, odium etiam ex

impro

etiam ex improbitate; solemus enim omnes veneficos, fures, proditores, maleficos odisse; ira tempore leuatur & extinguitur, odium inflammatur: dici vero posset, vt ad Tullium redeam, quia ex ira inueterata odium oritur, odium iram inueteratam esse.

13. *Mores inimicorum.*

Atque vt odij naturam sub oculos subiiciam; Inimicorum mores recensebo, quos amicorum moribus opponam, cum contrariorum inter se contentio vtrorumque cognitionem afferat mirificéque illustret: rationes vero silebo, ex superiori enim articulo ab opposito petendæ sunt. Igitur inimici diuersis rebus lætantur, tristantúrque; alij in aliorum prosperis deiiciuntur, in aduersis exultant: quisque male de se meritum arbitratur eum, qui alteri beficium fecerit: conuictu gaudere nequeunt; siquando consuetudinem iungant ad verborum iniurias, seu cōtumelias, nouásque rixas procliues, cum odium suscitet rixas, vt ait Salomon: de fratribus Patriarchæ Ioseph dicitur Genesis 37. *Videntes autem fratres eius quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui.* Pręterea inimici quantum possunt vicissim existimationi alij aliorū detrahunt, nam detractio odij partus est ex Climacho gradu 10. Iniuriarum memores sunt: at iniuriarum memoria furoris est cōplementum; exprobrant delata sibi alias beneficia; inter eos asperæ admonitiones intercedunt, & contumeliosæ obiurgationes: insidiatores sunt, dissimulant ad vindictæ commodum tempus aucupandum, secreta alias sibi commissa produnt; maxime alij coram aliis facere verecundātur ea, quæ verecundiam parere possunt, sese inuicem metuunt: queruli, omnia in deteriorem partem interpretantur; à misericordia valde alieni, vt suprà diximus.

Hæc vero qui attenderit, non mirabitur inimicum non admitti ad accusandum, ex c. repellantur; & c. cum oporteat de Accusat. immò neque in exceptis criminibus, vt sentiūt Speculator, Albericus, Marsilius Gigas, & alij, sed neque etiam in notoriis vt vult Romanus Cōcilio 323. & fauet c. nulli Episcoporum 2. q. 3. ratio est quia prçsumitur potius ob priuatam accusare vindictam, quam zelo iustitiæ, immo & mentiri, vbi rei veritas adeo aperta non est.

De Gaudio.

Articulus V.

14. *Quod Gaudium.*

Gaudium, voluptas, lætitia, delectatio voce differunt, re idem sunt; quanquam gaudium de hominibus & Angelis tantum proprie dicitur: definitur autem opinio præsentis boni, in quo efferri rectum esse videatur; aut, quod magis Philosophiam sapit, quies appetitus in bono præsente, quod si gestiens est, & sese efferens insolentius, iactatio est; si toto corpore proditur, exultatio; si facie duntaxat, hilaritas.

15. *Gaudio cor dilatatur.*

Gaudio cor dilatatur, ex quo consequitur vultus hilaritas: perficit actionem; dolores aliunde contractos mitigat; amorem auget; Gaudio, inquam, cor dilatatur, immo lætitia vocatur quasi latitia, & delectatio quasi dilatatio: ratio autem est, quod qui gaudet videtur quasi velle occurrere rei gratæ, vt eam, quoad eius fieri potest, excipiat;

piat; motus autem corporis, qui passionem consequitur, assimilis est motui passionis, quæ est in anima; vnde cor ad excipiendam quasi rem gratam sinus omnes suos explicat, expanditque; quo fit vt copiose spiritus effundantur, vnde consequitur vultus hilaritas; scilicet cor gaudens exhilarat faciem, Prouerb. 25. tantáque interdum spirituum fit effusio, vt mori contingat; quod de Chio Lacedæmonio, Diagora Rhodio, Dionysio Tyranno, Iuuentio Consule, Philippide Poëta, & aliis nonnullis narratur post celebrem illam pugnam ad Thrasymenum lacum, vbi tot ab Annibale cæsa sunt Romanorum millia, magna in Vrbe consternatio secuta est; mulier vero, in Vrbis porta, sospite filio repente oblato, in conspectu eius, præ gaudio expirauit Altera cui mors filij falso nūtiata fuerat, mœsta sedens domi, ad primum conspectum redeuntis filij, gaudio nimio exanimata est, vt refert Liuius decade 3. l. 2. Laudandum verò est Hippocratis præclarum factum: Athenis cum rediret, seruum suum domum præmisit ne familia ob eius reditum nimio gaudio in aliquod discrimen incideret, eumque monuit, vt significaret breui se adfuturum; id tantum in itinere contigisse, quod sibi fractum fuisset crus, quamuis hoc minime contigisset; eò vero ipse spectabat, vt nimiam lætitiam tristitia tēperaret, & malo, quod ex subita nimiaque lætitia oriri potuisset, occurreret.

16. *Perficit actionem.*

Perfecit actionem vt habet Aristoteles 10. Ethicorum c. 41. illecebra enim mouet potentias ad quantum possunt operationis conatum, ipsumque appetitum, omnis principium operationis, totum ad se rapit; quamobrem plerumque fit, vt maximis gaudiis proximum sit fastidium; & omnia quidem noua placeant, sed paulatim tædio habeantur; nam cogitatio ab initio in ea incumbit magna cum contentione (atque adeo vix diuturna esse potest) vt cum aliquis defixis oculis in rem acrius intuetur, sed vt postea remittitur cogitationis operatio, ita remittitur voluptas & obscuratur.

17. *Dolores temperat; amorem auget.*

Dolores aliunde contractos mitigat; hinc fit, vt qui triste nuntium alicui delaturi sunt, tempus obseruent, quo ipse lætitiæ laxarit habenas vt, nuntij tristitia gestientis animi voluptate absorbeatur. Ratio est, quod lætitia animi vires cogitationemque exhauriat, nec patiatur ad res alias deriuari; quare minor erit de re tristi & luctuosa cogitatio. Denique amorem auget; sane amor voluptatem parit, nam quicunque re amata fruitur voluptate perfunditur, eóque maiori, quo amor fuerit vehementior: at non dubium est, quin, cum, quod amabamus adepti sumus, præsentis boni illecebra captus animus magis ac magis inardescat.

De Tristitia.

ARTICVLVS VI.

18. *Quid Tristitia.*

TRistitia seu ægritudo est opinio recens mali præsentis, in quo demitti contrahique animum rectum esse videatur: tristitiæ adhæret inuidētia, æmulatio, obtrectatio, sollicitudo. Græcè dicitur λύπη ἀπὸ τοῦ λύειν, id est soluere, quod oculos in lachrymas soluat; siue à

τῷ λυμαίνεσθαι id eſt, lædi, quod quædam oculorum læſio ſit: paſſio enim plena doloris ſolutio animæ eſt, vt notauit Meletius Philoſophus l. de natura hominis.

19. *Triſtitia cor contrahitur.*

Qui triſtitia afficitur, odit, iraſcitur, contractionem cordis patitur: quemadmodum enim vbi aculeo pungimur, contrahitur, corrugaturque caro, quominus dolori pateat; ita cor, quominus rei luctuoſæ ac triſti apertum ſit, ſubito motu contrahitur, retinetque ſpiritus, quos antea copioſo examine in totum corpus efflabat; atque hinc oritur vultus nubilus, os deiectum, rugoſa frons, marcentes oculi.

20. *Noxia eſt corpori.*

Imò magnopere obſeruandum, triſtitiam maximam corpori nocumentum afferre; *Animus gaudens ætatem floridam facit, ſpiritus triſtis exſiccat oſſa*, Prob. 17. *ſicut tinea veſtimento, & vermis ligno; ita triſtitia viri nocet cordi*, Prouer. 25. Ratio ex eo petenda eſt, quod paſſionibus omnibus ſimiles motus in corpore reſpondeant: formæ enim materia proportionatur, motus autem corporis quaſi materia eſt, paſſio appetitus, quaſi forma; Iis igitur paſſionibus, quæ ad proſequendum obiectum feruntur, vt amori, deſiderio, gaudio, reſpondet dilatatio cordis, iis quæ malum ſpectant, & appetitum ab obiecto retrahunt, vt eſt, odium, fuga, triſtitia, timor, deſperatio, reſpondet contractio cordis: At vero, quia, vita in motione poſita eſt, illæ non adeo noxiæ ſunt, quia non repugnãt vitæ ſecundum ſpeciem motus, ſed tantum ſecundum quantitatem & menſuram; iſtæ ſupra modum noxiæ ſunt, quia & ſecundum ſpeciem & ſecundum quantitatem aduerſantur. At quia inter omnes perturbationes, quæ circa malum verſantur, triſtitia principatum tenet, quippe quæ ſit ægritudo contracta ex malo præſenti, cuius ſenſus eſt maior quàm futuri, propterea omnium maxime corpori noxia cenſenda eſt. Iam vero cum in corde compreſſio magna eſt, defectúſque diaſtoles, ipſum non euentilatur: quare ſpiritus paulatim liqueſcunt & abſumuntur, ſimúlque horum turbulento concurſu cor premitur, & tandem diuturniori progreſſu opprimuntur, vitaque extinguitur, vt de nonnullis proditum eſt, inter cæteros, de Henrico III. Imperatore ab imperio depoſito.

21. *Pigra eſt & ſedula.*

Segniter operatur; qua de re præclare D. Thomas 1. 2. quæſt. 37. art. 3. in hæc verba: *Operatio dupliciter ad triſtitiam poteſt comparari; vno modo, ſicut ad id, de quo eſt triſtitia, & ſic triſtitia, quamlibet operationem impedit, nunquam enim illud, quod cum triſtitia facimus, ita bene facimus, ſicut illud quod facimus cum delectatione, vel ſine triſtitia; cuius rei ratio eſt, quia voluntas eſt cauſa operationis humanæ; verum quando operatio eſt, de qua aliquis contriſtatur, neceſſe eſt quod actio debilitetur; alio modo comparatur operatio ad triſtitiam, ſicut & ad principium & ad cauſam, & ſic neceſſe eſt quod operatio talis ex triſtitia augeatur: ſicut quanto quis magis triſtatur de re aliqua, tanto magis conatur ad expellendam triſtitiam, dummodo remaneat ſpes expellendi, alioquin nullus motus vel operatio ex triſtitia cauſaretur.* Ad hanc ſententiam D. Thomæ facit, ſecundum quidem alteram partem, quod triſtitiæ, aggrauationem tribuit Gregorius Nicænus lib. 4. c. 12. ſecundum alteram vero quod

ait Paulus 1. Corinth. 7. ecce, hoc ipsum contristari vos secundum Deum, quantam in vobis operatur sollicitudinem?

De desiderio.

ARTICVLVS VII.

22. *Quid desiderium.*

DEsiderium, seu libido, est appetentia absentis boni, quod apprehenditur vt bonum futuro tempore; quod si quis apprehenderet vt bonum tempore præsenti, nec tamen adesset, non desiderium pareret, sed tristitiam, quia absentia tunc apprehenditur vt malum præsens; manat vero ex amore tanquam ex fonte riuulus, & est eius affectio vehementissima; imo, quia amor sine desiderio esse nequit, nonnulli vtrumque idem esse senserunt, sed perperam. Quidquid tamen supra de amore pronuntiatum est, in desiderium conferri debet.

23. *Desiderio adhærescit tristitia & lætitia.*

Sed præterea desiderio adhærescit ægritudo seu tristitia, succedit vero lætitia: nam, vt ait Augustinus epist. 69. *Etiam quod tempore acceleratur, desiderio tardum videtur*; vera autem ratio est, quia desiderium est absentis boni, quod apprehendimus vt futurum, nobis conueniens; At quoniam sæpe fit, vt illud ipsum apprehendamus quasi bonum tempore præsenti, quod tamen abest, & hæc absentia malum præsens est, ideo tristitia desiderio adhærescit; quod si periculum sit ne eo bono non potiamur, statim timor oritur, succedit lætitia, cum potimur *lignum* quippe *vitæ, desiderium veniens:* Prouerb. 13. Ratio est, quia lætitia, & libido in bonorum opinione versatur, cum libido, ad id, quod videtur bonum, illecta & inflammata rapiatur; lætitia, vt adepta iam aliquid concupitum, efferatur & gestiat; atque vt quo maiori esuritione fuerit præexasperatus stomachus, eo deinde super cibum maioris voluptatis sensu effunditur; ita quanto ardentiori desiderio mens fuerit, inflammata, tanto inflammatius in lætitiam gestit: nec video certius & constantius signum magnitudinis eius, quod præfuit, desiderij, quam lætitiæ, ea de re, quam ante concupitam adepti sumus, magnitudinem: ac verum est quod ait Tullius oratione post reditum ad Quirites, *omnia desiderata, magis, quam assiduè percepta, delectant.*

24. *Corporis extenuatio.*

Desiderio corpus extenuatur, nimirum contentionem vnius facultatis in operando consequitur, vt aliarum facultatum operationes multum debilitentur; tum quia anima primum est, & commune principium, atque immediatum omnium operationum vitalium suarum facultatum, & quo pluribus est intenta, eo minus singulis vacat; tum quia dum ardet vnius facultatis operatio, calor innatus, & spiritus ad eius famulitium maxime vocatur, reliquæ deficiunt: quamobrem si forte nimio amore, & æstuanti desiderio facultas animalis in rem gratam & absentem efferatur, deficit facultas naturalis, inopia spirituum, quibus in id opus vtatur.

De fuga.

ARTICVLVS VIII.

25. *Quid fuga, quæ passiones comites, &c.*

FVga est recessus quidam animi, ex opinione impendentis mali: eius naturam ex contentione cum deside

desiderio & metu, de quo postea, in promptu est agnoscere. Eam sollicitudo & angor comitantur; succedit tristitia, si forte, quod impendebat, malum obtingat; non enim quidquam animum dolore cruciat, molestia fodicat, nisi quod oderamus atque auersabamur antequam contingeret.

De Spe.

ARTICVLVS IX.

26. *Quid spes.*

SPes est appetitus excellentis boni, cum fiducia obtinendi: Quare in obiecto quatuor requirit conditiones bonum, arduum, possibile, futurum; per primam, à timore, per secundam, à desiderio: per tertiam, à gaudio, per quartam à desperatione discriminatur.

27. *Passiones quæ consequũtur.*

Qui sperat, amorem accendit: sane nemo sperat bonum, quod prius non desideratit, nemo desiderat, nisi id cuius amore trahitur, quare spes ex amore, quasi stolo ex stipite, pullulat. At vicissim amorem accendit, quid enim potius ad amorem inflammandum quam spes boni ab aliquo consequendi? Accedit, quod desiderium roborat, non enim adeo auide desideramus, quod non speramus, at desiderium amorem inflammat, operationémque iuuat, delectationem parit; cum enim ex boni conuenientis præsentia manet voluptas, spes vero, vt & memoria, bonum nobis quasi præsens sistat, non quidem realiter, vt vocant, sed intentionaliter, eapropter voluptatis titillatione menti abblanditur, hinc Hieronymus *spes pretij solatium fit laboris*. Et Marcus Cato: *quæ magna sunt, spes pusilla facit; quæ pusilla prorsus nulla.* Tibullus 2. Elegia.

Iam mala finissem letho, sed credula vitam
Spes fouet, & melius cras fore, semper ait.
Spes etiam valida solatur compede vinctum,
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

Quanquam fateor si nimis arduum sit, si longe remotum quod speratur, tædium mœroremque spei adhærescere posse; *Spes enim quæ differtur, affligit animam*, Prouerb. 13. & Statius 1. Thebaidos.

——Spes anxia mentem
Extrahit, & longo consumit gaudia voto.

Præterea spes consiliatiuum facit, quoniam sollicitum reddit hominem ad omnes boni consequendi vias deligenter venandas.

De Desperatione.

ARTICVLVS X.

28. *Quid desperatio, &c.*

DEsperatio est recessus appetitus à bono propter facultatem. Huic passioni tristitia coniunctissima est, qui enim desperat, & futuram boni carentiam apprehendit, eam, iam quasi præsentem, cogitat, vnde tristitiam contrahit. Desperatione retardatur operatio licet eam fatear ex alio capite accendi; nam qui fugam in bello desperat, debilitatur quidem in fuga capessenda, At mortis suæ vindicandæ spe raptus, vehementius in hostem insilit; hinc verissimũ illud, *periculosa res in bello desperatio* & Vegetius l. 3. de re militari *In desperatione crescit audacia; & cum spei*

nihil eſt, ſumit arma formido. Denique deſperatione cor contrahitur propter triſtitiam; oritur vero ex timore nimio, vt notum eſt.

De Timore.

ARTICVLVS XI.

29. *Quid timor.*

TImor eſt fuga mali ardui quod imminere iudicatur: quod poſtremum addo, quia, vt ait Ariſtoteles in Rhetoric. lib. 2. licet certo ſciamus nobis eſſe moriendum, mortem tamen non timemus, quia vt longe diſſita animo nobis obiicitur. Inſolita magis timemus, quam ſolita, quia occurrunt ſub maiori ſpecie mali: & hæc eadem ratio valet in repentinis, quæ, quia ſeſe offerunt nulla meditatione præuiſa, nec adeo reparabilia ſunt, (tollitur enim præuia cogitatio & deliberatio) offerunt quoque ſe ſub maiori ſpecie mali. Apud Marcum Tullium Tuſculana 4. nõnulli timorem, pręmoleſtiam, appellant, quod ſit quaſi dux conſequentis moleſtiæ.

30. *Qui timet, friget propter contractionẽ ſpirituum.*

Qui timet, friget; diligens eſt in deliberando, & impiger in agendo, Iraſci non poteſt. Qui timet, friget; nam in timore calor cum ſpiritibus ad interiora contrahitur, quod præclare enarrat D. Thomas 1. 2. quæſt. 44. art. 3. *Motus appetitus habet ſibi ſimilem motum in corpore reſpondentem, At motui timoris ſimilis eſt contractio, nam timor oritur ex phantaſia mali imminentis, quod difficile repelli poteſt; quod autem difficile repelli poſſit, prouenit ex debilitate virtutis, virtus autem quanto eſt debilior, tanto ad pauciora ſe poteſt extendere; & ideo ex ipſa imaginatione, quæ cauſat timorem, ſequitur quædam contractio in appetitu, ſicut etiam videmus in morientibus, quod natura retrahitur ad interiora propter debilitatem virtutis, & cum ciues timent, retrahunt ſe ab exterioribus, & recurrunt quantũ poſſunt ad interiora, Et ſecundum huius ſimilitudinem contractionis, quæ pertinet ad appetitum animalem ſequitur etiam in timore, ex parte corporis contractio caloris & ſpirituum ad interiora.* Hæc ille; quibus adde propter rapidum motum ſpirituum ad interiora fieri ſæpe, vt quis expiret, aut de mentis ſtatu dimoueatur, vt Carolo V I. Galliarum regi contigit, qui ſubito & præcipiti timore in dementiam incidit. Plato mediocrem timorem ad ſingultum ſedandum commendat.

31. *Quo fit ſpirituum calori'que cõtractio.*

Eſt autem valde notandum quod huiuſmodi contractio ſpirituum & caloris non fit ad cor; ſed propter frigiditatem incraſſantem ſpiritus à corde ad inferiora, ipſum autem quoque cor contrahitur vnà cum hepate, liene, vt ſibi magis vniatur, quemadmodum ad noſtri tutelam, & repellendas iniurias nos colligimus. Ex hac contractione ſpirituum & caloris oritur frigus, pallor, tremor totius corporis, maximéque extremarum partium; vnde Poëta 1. faſtorum.

Extimui ſenſique metu riguiſſe capillos,
Et gelidum ſubito pectore frigus erat.

Et Virgil.

Tum vero ancipiti mentem formidine preſſus
Obſtupui, ſteterúntque comæ & vox faucibus hæſit.

Præterea cordis palpitatio quæ tunc fit, cum parua, at crebra diaſtole coniuncta eſt, nam cum diaſtole propter

propter frigiditatem & maximam constrictionem ampla esse nō possit, crebra est, vt, saltem frequentiā paruitas compensetur. Accedit frequenter sitis, quod confluat calor ad partes nutritioni destinatas, vbi roridum humorem absumit; Imo etiam consequitur ventris solutio; vrinæ emissio, propter huiusmodi partium ad superiora contractionem vt habet Aristot. sect. 26. prob. 14. de Imperatore Nerua proditum est à Sexto Aurelio, quod cum interfectores Domitiani, cui in Imperio successerat, ad exitium poscerentur, adeo sit consternatus, vt neque vomitum, neque impetum ventris valuerit differre; ac similiter, vt obseruat Philosophus lib. 4. de partibus cap. 4. euenit sæpiæ, quæ quoties perterretur, atramentum suum effundit, & sic latebrarum sibi præsidium conciliat, quo tuto aufugiat, cum nihil aliud habeat quo se tueatur: O Naturæ prouidentiam!

32. *Irasci non potest.*

Qui timet, irasci non potest; quare ad leniendam iram in auditorum animis timorem excitandum docet idem Aristoteles lib. 1. Rhetor. cap. 3. cuius dicti ratio duplex; prima, quod ira sit coniuncta cum spe vlciscendi, non speramus autem vlcisci posse nos de eo, quem timemus, qui enim irascitur, superiorem se existimat; qui timet, inferiorem; secundam, quæ ad rem nostram facit, quod in ira effundantur spiritus à corde ad extremas partes, cum contrarium fiat in eo qui timet, vt iam diximus.

33. *Dilige, in deliberando &c.*

Diligens est in deliberando & impiger in agendo; sane nec timor, nec vlla animæ passio facultatem consiliandi præbet, quia facit vt res vel maior, vel minor, quam sit, videatur: sollicitum tamen efficit vt consilium & capiat, & operi mandet. Vulgare dictum est securitas negligentiæ mater est, timor, diligentiæ; quæ in quatuor consistit, vt ait Hugo Cardinalis in studio, sumptu, labore, tempore, quibus diligens nullo modo parcit; quod vero dixi timorem sollicitum efficere, intelligendum est de moderato timore, qui rationem aciémque non obnubilat, nam immodicus desperationem prouocat, sæpe hominem de potestate mentis dimouet, animæque munia præpedit, sæpe deliquium efficit propter nimiam constrictionem cordis, quam maxima spirituum raritas consequitur. Atque hic immodicus timor inter omnes causas, ex quibus oritur deliquium, scilicet malignitatem humorum insidentium pericardio aut euaporantium ex stomacho paucitatem sanguinis, (vnde nonnullis inter sanguinis missiones deficit cor) & paucitatem caloris spirituum, qui euocantur à calore externo laxante poros, hic, inquam, timor non inter postremas causas numerandus est.

De Audacia.

ARTICVLVS XII.

34. *Quid audacia, causa, effectus.*

PAssio, est quæ insurgit circa malum absens & arduum, quod iudicamus repelli posse, quia audacia est quasi pugna & colluctatio aduersus malum; cum hac coniuncta spes, neque enim animosius quisquam malum auertere moliatur, nisi spem & existimationem habeat vicinæ salutis; vnde à Rhetoribus definitur audacia, animi

spes

ſpes cum exiſtimatione vicinæ ſalutis. Sane propter ſpei audaciæque coniugium, Audacia amorem accendit, operationem iuuat, delectationem parit, conſiliatiuum facit, vt de ſpe iam diximus: oritur inter cætera à calore; vnde Ariſtoteles lib. 3. de partibus animalium cap. 4. ait animalia magno corde prædita, timida; paruo, audacia; in magno enim conceptaculo calor obſoleſcit; in paruo exaſperatur & inflammatur magis: Alibi autē ait, qui pulmonem ſanguineum habent, eos eſſe audaciores propter maiorem cordis calorem inde conſequentem: Similiter & ebrios audacia præcipiti ferri, quia vino incaleſcunt. Reliquas cauſas audaciæ vide apud D. Thomam 1. 2. quæſt. 45. art. 3.

De Ira.

ARTICVLVS XIII.

35. *Quid ira.*

IRa, Græce θύμος, dicitur ἀπὸ τοῦ θύειν, quod eſt impetu ferri; ira enim impetus quidam eſt, ſanguiniſque citra cor feruentis impulſus; ſed vt planius rem definiamus; Ira eſt paſſio qua inſurgimus ad repellendum præſens malum, quod reuocatur ab autoribus ad deſpicientiam: vt enim recte Seneca lib. de cohibenda ira, *Alij quidem aliis de cauſis iracundia efferuntur, ſed omnes in ea opinione ſunt, vt ſe deſpicatui duci, negligiue credant.*

Deſpicientiæ vero tres ſunt partes contemptus, incommodatio, contumelia. Porro omni obſeruatione dignum eſt, in eo qui deſpicit, & in quem commouemur, duo eſſe, poteſtatem & voluntatem deſpiciendi, quorum alterum ſi ſine altero eſt, nihil eſt quod iraſcamur; hinc fit, vt ouem deuoret leo ſine ira, niſi forte illa fugam tentet: neque enim aliter in ea apprehendit voluntatem & poteſtatem nocumentum afferendi, quod eſt priuari bono ſuo; neque iraſcimur lapidibus à quibus læſi ſumus, quia nō lædunt ex appetitu; quod ſi forte aliquando in eos commouemur, hoc vero contingit, quia quaſi appetitum nocendi in eis, ex nimio iræ æſtu, nobis fingimus; & manſuetus quidem, beneficiis, voluntatem ſeu animum mutare eius qui iraſcitur, vi vero poteſtatem tollere contendit, quod eſt ſe vlciſci; hinc eſt quod à Marco Tullio ira definitur 3. Tuſcul. *vlciſcendi libido:* & à Seneca lib. 1. de ira cap. 3. *concitatio animi ad vltionem pergentis*; quod ſi iratus malum infert, illud infert, vt habet rationem boni; exiſtimat enim iuſtum vti vindicta; cum contra inimicus, & qui odit, malum velit, ſed vt malum eſt inimico, verum hac de re fuſius ſupra art. c. 4.

36. *Cum deſiderio, triſtitia &c. coniuncta eſt.*

Porro, vt ad inſtitutum veniamus, ira cum deſiderio, ſpe, delectatione & triſtitia coniuncta eſt, vt habet Ariſtoteles 2. Rhetoric. c. 2. & 3. ſocia eſt temeritatis, inſidiarum: generat in animo indignationem, tumorem, impatientiam; in ore clamorem, contumelias, minas; in opere iniurias; denique totius vultus inflammationem.

Cum triſtitia, deſiderio, ſpe, delectatione coniuncta eſt; quia non excitatur niſi propter recentem iniuriam, quæ triſtitiæ proprium obiectum eſt; quare recte Titus Imperator immodico gaudio exultans, ac propterea in anceps vitæ periculum deductus, iracundiæ remedio ſapienter à Medico curatus eſt: nam triſtitia iracundiæ

coniuncta nimium gaudium temperauit. Appetitur etiam vindicta vt poſſibilis: verum de quo vindicta non ſperatur, erit quidem triſtitia, ſed non ira: Delectatio autem ſpei adhæreſcit, cum ſit ſpes quaſi anticipata poſſeſſio boni concupiti, & recte Homerus dixit de ira, quod defluente melle ſit dulcior, vt & probat Ariſtoteles 1. Rhetoric. c. 11. nimirum in quantum vlciſcendi appetitum ſequitur delectatio.

Iracundi temerarij ſunt, ita Ariſtoteles lib. 7. Ethic. vbi incontinentes vult alios eſſe temerarios, alios imbecilles; incontinentes quidem ſunt qui ſuperantur facile à cupiditatibus ſuis, quas multi cohibent; temerarij, ſine deliberatione facile abripiuntur cupiditatum œſtro: quod contingit, inquit, in acuta & atra bile laborantibus; illi, propter celeritatem choleræ, cito agunt; iſti, ſcilicet melancholici, propter vehementem imaginationem ex atro himore, ducuntur potius phantaſia, quam ratione. *Ira in temeritatem prona eſt*, inquit Seneca, *& pericula, dum inferre vult, non timet.* Et hinc eſt quod maximum iræ remediũ ſit mora. Poſt cædem illam ſeptem milliũ Theſſalonicenſium ciuium, ab ira exæſtuante Theodoſio Magno, ſiue permiſſam, ſiue imperatam, iniunxit Ambroſius Imperatori vt legem conſcriberet, qua deinceps ſententiæ de cæde, & publicatione bonorum ad dies 30. differrentur, quo ſedata ira; ſi quæ foret, cauſæ melius examinarentur.

Non ſunt inſidiatores iracundi; eſt enim ira manifeſta 7. Morat. c.8. & iracundi aperte agunt, cum contra cupidi ſeu libidinoſi cuniculis agant, & fallant; vnde Venus à Græcis δολοπλόκος, ſeu dolos nectens dicta eſt: & eius balteum, ex Homero, variorum colorum eſt, in quo etiam fraus inſit. Præterea ſunt obnoxij indignationi, qua, qui læſus eſt, deſpicit, indignumque putat eum, qui læſit; tumori mentis, quo varias vindictæ verſant cogitationes; impatientiæ, qua fit vt turpiter & vehementius loquantur; contumeliæ, quæ verba iniurioſa profundat cum animus dolore fodicatur, cum quo ſemper eſt coniuncta ira. Verum cum rationem obnubilet, neceſſum eſt, vt in hiantes peccatorum gurgites præceps agatur ira, vt recte Gregorius 21. Moralium; *dum perturbata mens* inquit, *iudicium atque rationem exaſperat, omne quod furor ſuggerit, rectum putat*; ſcitum eſt illud ex Iacobo Apoſtolo; *Ira viri iuſtitiã Dei non operatur, & qui ad indignationem facilis eſt, erit ad peccandum procliuior.* Prouerb. 190. quare recte monet Horatius l. 1. Epiſt. 2.

> *Ira furor breuis eſt, animum rege, qui niſi paret,*
> *Imperat; hunc frenis, hunc tu compeſce catena.*

Cupido & ira, vt pronuntiauit Saluſtius de bello Iugurthino, *peſſimi conſultores.*

Rubet in ira facies; quia ebullit ſanguis circa cor, & ſubtiliſſimus ſpiritus affatim caput petit, ac primo quidem per neruos ſexti paris conſtringitur iecur, conſtringitur & cor ad appulſum mali, quod iram prouocat; effunditur bilis à veſicula in venam cauam, deinde hic ſanguis bile permixtus cor petit, & circa ipſum iam propter ſpem vindictæ, quæ vt bona menti obiicitur, dilatatum, ebullit; atque ex hac conſtrictione & dilatatione cordis

oritur, vt initio qui irascuntur, palleant, tum subito ignescant; fateor vero nonnullos esse qui diutissime palleant, siue quod eorum ira maximo cũ timore coniuncta sit, quod verentur quæ moliuntur, aggredi; siue quod atra bili abundẽt, quæ non adeo celeriter accenditur, & accensa nõ adeo facile euaporatur: huc referendũ est quod palpitat cor propter nimium calorem, quo circumęstuat, tremũt membra, quia inæquabiliter & tumultuarie spiritus diffunduntur. Cætera quæ ad hominis irati figuram pertinent, ad finem commemorabuntur, & facile erit eorum rationem ex his expiscari. Porro ira cum sit feruor sanguinis, & spirituum, tanta interdum est, vt, propter inflammationem, hominem perimat, pituitosis maxime confert: nam sopitum calorem exsuscitat, pituitam feruor absumit, aliquando obstructionem vesicę fellis discutit.

37. *Calidi cordis propria est.*

Calidi cordis propria est ira; an quia calidum cor citius efferuescit? at non hoc satis, nam appetitus vindictæ antecedit huiusmodi efferuescentiam: Addendæ igitur rationes aliæ: prima, quia calidum cor magis mobile est ab obiecto, quod iniuriam intulit, quam frigidum; hinc sequitur efferuescentia, quæ quia maior est in calido, quam in frigido, ideo vicissim & appetitum vindictæ auget, & sic intelligitur, quod ait Aristoteles 1. de Anima cap. 1. *non minus anima mouet corpus ad iram, quam corpus animam*; Secunda, quia anima mouet corpus variè pro varia corporis dispositione; cum autem cordi calido sint coniuncta robur & audacia, quo adminiculo sumi potest vindicta, ideo anima citius mouet cor calidum ad iram, seu appetitum vindictæ.

38. *Varia de Ira.*

Ad extremum audienda est ipsa ira apud Climacum gradu 80. ita loquens: *Plurimæ meæ generationes sunt, nec vnus nisi Pater est, Matres meæ vero sunt inanis gloria, cupiditas, Gastrimargia, qui autem me genuit, fastus appellatur; porro filiæ meæ, memoria iniuriarum, inimicitia, disceptatio, & odium: Aduersaria vero meæ quibus nunc vincta teneor, quæ his obiecta sunt, mansuetudo, inirascentia; ea autem quæ mihi insidiatur, humilitas.*

Etvero Basilius, ad quæstionem 15. fusius disputatam, dum de remediis vitiorum agit, *Iratus est*, inquit, *aliquis aduersus coætaneum, vt hunc placet, & ipsi iuxta proportionem audaciæ ministret, cogatur, Assuetudo enim ad humilitatem, animæ iracundiam velut exscindit, cum elatio nobis iram inducat.*

Hæc de ira, quæ rationis fræno non coërcetur, dicta sint, cum alioquin certum sit ex Basilio orat. contra irascentes, *bonarum actionum eam esse ministram*; ex Marco Tullio 4. Tusculana, *cotem fortitudinis*; ex Gregorio V. Moralium c. 31. *instrumentum virtutis & ancillam.* Concludo; ira, vt milite, non vt duce vtendum.

Ex vna virtute aliæ sunt indagandæ; ex vno vitio alia coniectanda. Sextum principium.

CAPVT XIII.

11. *Virtutes connexæ sunt & quare.*

PRoximum est vt passionibus virtutes subiiciamus, & quomodo coniectari possint aliæ ex aliis

aliis dispiciamus; scilicet connexæ sibi sunt, & concatenatæ virtutes, vt qui vnam habet, plures habere videatur, inquit Ambrosius. At quomodo? virtutum omnium vinculum vnum est prudentia, quam quæque postulat, vt satis innuit definitio: *Virtus est habitus in mediocritate consistens, prout prudens definierit.* ac recte Mar. Tullius Tusculana 5. *Nulla virtus prudentia vacat.* Secundo virtutes in heroico seu perfecto statu, non secus ac Gratiæ quæ sese amplectuntur, coniunctæ sunt: vt enim nunquam de gradu deiiciatur; nunquam vacillet, sed cum maxima voluptate suo defungatur officio virtus, quod est esse in statu perfecto, necesse est aliarum quoque consortio gaudeat, & procul sit ab omni vitiorum societate seiuncta. Ponamus iudicem iustitiæ habitu præditum, at auaritiæ vitio æstuantem, fortitudine vacuum, vbi auri spes affulserit, aut periculi timor impenderit, aut officium prodet, aut ægre, ac pene inuitus ius dicet. Tertiò indubium est virtutes in statu imperfecto, saltem permultas, non esse necessariò coniunctas. Quam multi enim sunt temperantiæ laude perillustres, liberales, quos timidos imbecilles esse constat; Quam multi iustitiæ æmuli, at simul castitatis inopes, nihil vero impedit quo minus nonnullæ quoque insolubili modo ligentur, vt temperantia, & castitas, magnanimitas, & veracitas.

2. Omnes virtutes in vno homine possunt reperiri, at non vitia.

Porro nos hîc quænam virtutes inter se communi hæreant vinculo discutiemus, Eandem etiam in vitiis operam nauabimus, si modo annotaro posse quidem omnium virtutum coronam in vno homine reperiri; vitiorum omnium colluuionem non posse: nam sicut verum cum vero, nunquam, falsum autem cum falso, non raro; ita bonum seu virtus cum bono virtutéque nunquam, malum autem seu vitium sæpe cum malo vitióque pugnat, vt gula cum insensibilitate, elatio cum pusillanimitate; adulatio cum contemptione, arrogantia cum dissimulatione; superstitio cum impietate, præsumptio cum desperatione, audacia cum timiditate, ambitio cum honorum contemptu; ira cum iræ vacuitate, licet quæ in meditullio eorum vitiorum reperiuntur virtutes nullomodo inter se opponantur, temperantia, magnanimitas, affabilitas, veritas, religio, spes, fortitudo, modestia, mansuetudo. Est autem virtus, vt ait Aristoteles, *quæ bonum facit habentem & opus eius bonum reddit.* nimirum ex omnium, quæ ad bonitatem requiruntur circunstantiarum complexu; bonum enim ex integra causa malum ex singulis defectibus; *Vnica virtuti stat via, multa malis.*

Diuisio Virtutum, vitiorúmque.

ARTICVLVS I.

3. Cardinales virtutes, cur ita vocentur.

Vitia ad virtutes reuocantur; virtutes omnes ad quatuor cardinales, seu, principales, vt vocat Ambrosius, referuntur, scilicet prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. Cardinales appellantur, siue quod in iis, seu cardinibus, voluitur atque versatur vitæ honestas omnis, siue quod circa res cardinales, seu omnium maxime momentosas, versentur; nam iustitia moderatur affectui bonorum qui

herculeus & potentissimus est, fortitudo pericula vitæ proculcat; temperantia cupiditatibus, gustus & tactus, quibus nullæ sunt potentiores illecebræ, modum ponit; prudentia omnium virtutũ princeps est, quod contineat generales omnium virtutum rectitudines, omnésque ad eas reuocentur. Principales autem dicuntur, quod ex iis, seu principiis, ac fontibus, officia ducuntur omnia.

4. *Virtutum cardinaliũ partes variæ.*

Virtutis partes aliæ sunt integrantes, sine quibus eius actus perfecti non sunt, aliæ subiectiuæ & sunt veræ species sub ea, tanquam sub genere, constitutæ; aliæ potentiales, quæ non habent absolutos eiusdem naturæ numeros, sed quæ ad eam valde similis essentiæ affinitate propius accedunt. Prudentiæ partes integrantes sunt octo, memoria, intelligentia, docilitas, solertia, prouidentia, ratio, circumspectio, cautio. Subiectiuæ, sunt henarchia, seu prudentia sui rectrix; polyarchia seu prudentia multitudinis moderatrix, quæ diuiditur in monarchiam, œconomiam, politicam, denique prudentia militaris. Potentiales sunt Eubulia, Synesis, Gnome. Prudentiæ opponitur manifestè imprudentia, negligentia; At prudentiam falso imitantur astutia, & dolus.

Iustitiæ partes subiectiuæ sunt iustitia legalis, & particularis, quæ duplex est, commutatiua & distributiua. Potestatiuæ sunt, religio, pietas, obseruantia, veritas, gratitudo, obedientia, misericordia, liberalitas, affabilitas, amicitia. Religioni opponitur superstitio; obedientiæ inobedientia; gratitudini ingratitudo, veritati mendacium, arrogantia, simulatio, hypocrisis, iactantia, ironia; Amicitiæ, inuidia; affabilitati adulatio, contentio, discordia, rixa, inimicitiæ, bellum, seditio; liberalitati prodigalitas, & auaritia opponuntur.

Fortitudinis partes potentiales sunt magnanimitas, magnificentia, patientia, perseuerantia, constantia, longanimitas; magnanimitati, opponitur ambitio, præsumptio, inanis gloria, idque per excessum; per defectum vero, pusillanimitas, perseuerantiæ pertinacia, mollities, magnificentiæ, luxus & sordes. Temperantiæ partes subiectiuæ sunt abstinentia, sobrietas, castitas, modestia; abstinentiæ & sobrietati gula; castitati luxuria aduersatur. Potẽtiales partes continentia, mansuetudo, clementia, modestia, humilitas, studiositas: integrales verecundia, & honestas. Continentiæ innocentia, mansuetudini iracundia, clementiæ crudelitas; studiositati curiositas, & lentitudo sunt contrariæ.

De prudentia.

ARTICVLVS II.

5. *Prudẽs bene consultat & iudicat.*

PRudentia est *rerum bonarum & malarum & neutrarum scientia,* ex Augustino lib. 83. quæstionum quæstione 31. vel, vt ait Aristoteles lib. 6. Moral. cap. 5. *habitus recta cum ratione actiuus,* seu quo cognoscimus quid hic & nunc agendum sit. Chrysostomus eam cogitationum Reginam vocat.

Qui prudens est bene consultat, quod ad eubuliam pertinet; rectè iudicat secundum leges & præscripta maiorum & communia principia practica, de his, de quibus consultatur, quod ad synesin. Contra præsentem

ſentem legum tenorem in recentium caſuum occurſibus rectè iudicat, quod ad Gnomen, ſeu Epiichiam ſpectat. Prætetea prudens parciloquus eſt, ne conſilia prodat; *Verba prudentum ſtatera ponderantur, & in ore fatuorum cor illorum, & in corde illorum, os eorum.* Eccle 21. & 28.

6. *Parciloquus instructus eſt memoria, intelligentia, &c.*

Inſtructus eſt memoria, intelligentia, docilitate, ſolertia, prouidētia, ratione, circunſpectione, cautione. Memoria eſt recordatio rerum auditarum, viſarum, lectarum, experientia perceptarum, quæ omnia mirum quantum conferunt ad prudentiæ integritatem; et vero de præteritis, quorum memoria eſt, futura æſtimantur, de quibus prouidentia eſt: & prudentia dicitur quaſi prouidentia: *Prudens ſi eſſe vis, in futurum proſpectum intende*, vt ait Seneca; *& quæ cōtingere poſſunt animo tuo cuncta propone, nihil tibi ſubitum ſit, totum ante conſpicias.* Æneidos 6. prudens à Virgilio deſcribitur Æneas.

——Non vlla laborum
O Virgo, noua mi facies, inopinave ſurgit.
Omnia percepi, atque animo mecum ante peregi.

Intelligentia, notitia eſt præſentium, qua ſine prudentia nulla eſſe poteſt; prouidentia eorum conſideratio, quæ opus conſequi poſſunt. Ratio, eſt celeritas ratiocinandi; docilitas, promptitudo & facilitas diſcendi ab alio. Solertia promptitudo ad diſcendum à ſe, ſeu celeritas coniiciendi medij. Circumſpectio eſt conſideratio circunſtantiarum, ne quid deſideretur, quod ſpectet tempus, locum, perſonam ac maxime tempus, cuius flos eſt occaſio, vt ait Plato apud Speuſippū rebuſque agendis mirum in modū confert: Meletius Philoſophus l. de natura hominis, conſiderationem virtutum ducem, paſſionumque imperatricem appellat. Cautio eſt cura vt vitentur incommoda, quæ oriri poſſunt: atque ex proxime enumeratis, memoria, ratio, ſolertia, docilitas, requirūtur ad prudentiam; & docilitas omnium maxime, nam nemo propria induſtria aſſequi poteſt omnia, aſſequetur autem perfacilè quam plurima, ſi non innitatur prudentiæ ſuæ, & in multitudine ſeniorum ſtet, & prudentiæ illorum ex corde coniungatur, vt loquitur Sapiens Prouerb. 3. & Eccleſ. 61. ac rurſus Prouerb. 1. *Audiens ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit. Animaduertet parabolā & interpretationē verba ſapientum, & ænigmata eorum:* Ac rectè Vitruuius Architectū ingenioſum exigit, & ad diſciplinam docilem, neque enim ingenium ſine diſciplina, neque diſciplina ſine ingenio perfectū artificem efficere poteſt; nec male dixit nonnemo, prudentis eſſe libentius conſilia audire quàm dare; ſeqúi, quā ducere. Porro docilis verecundus eſt, modeſtus, facilis moribus, comis, humanus & parciloquus. Solers vero aut verſutus, ſeu aſtutus, aut prudens eſt; nam ſolertia, facultas eſt, cui, ſi bonus habitus adiungatur, prudentia vocatur; ſi malus, aſtutia, 6. Moral. cap. 12. Conſule D. Thomam 2. 2. quæſt. 47. & nonnullis ſequentibus. Aſtutus vero doloſus eſt & fraudulentus; doloſus in verbis, fraudulentus in factis: At fraudes & doli imbecillem decent & docent, vt ait Seneca. Denique prudentiæ affinis eſt timor, propter ſummam humano-

rum euentuum incertitudinem, adeo vt sæpe, quæ rei gerendæ conferre videntur, eidem officiant: hinc illa laus Iugurthæ Regis Numidarum apud Salustium. *Quod difficillimum inprimis est, & prælio strenuus erat, & bonus consilio; quorum alterum ex prouidentia timorem, alterũ ex audacia temeritatem afferre solet.*

De Imprudentia.

ARTICVLVS III.

7. *Imprudẽs temerarius, incõstans, &c.*

IMprudens, præceps est, temerarius, inconstans, inconsideratus, loquax & negligens. *Præceps* est quia præcipitem ferri, vt ait S. Thomas, in corporalibus, à quibus metaphorica præcipitatio in animæ actionibus dicitur, est à summo ad imum ferri, non ordinate pertransitis gradibus mediis; At in anima summũ est ratio, infimum est operatio quæ fit; gradus medij, per quos ordine ingrediẽdum nobis est, sunt memoria præteritorum, intelligẽtia præsentium, sollertia in inueniendis mediis, docilitas in audiendo aliorum consilio, cautio in considerandis futuris euentibus, quæ omnia ad recte consultandũ requiruntur. At imprudens recte consultandi facultatem nullam habet, cum prudentiæ expers sit; cuius tres actus principes omnes norũt, recte consultare, rectius inuenire, rectissime præcipere; ex quo etiam fit, vt cum consideratio pertineat ad rectũ iudicium, imo & constantia, quæ in eo posita est, vt quis firmiter hæreat in suscepto semel iudicio atque proposito; qui imprudens est tum inconsideratus, tum inconstãs euadat. Celebre est illud Fabij Maximi viri longe prudentissimi effatum apud Liuium decade 3. lib. 2. *Omnia non properanti clara certáque sunt, festinatio improuida est & cæca.*

Præterea *loquax est* cum imprudens hoc vno differat à bellua, quod bellua ratione careat, imprudens rationis vsu; solius autem rationis est linguam coërcere. Negligens est, cum negligentia sit sollicitudinis debitæ defectus, & dicitur negligens, quasi nec eligens seu non curans ea quæ ad finem necessaria sunt.

De Iustitiæ partibus, ac primum de liberalitate.

ARTICVLVS IV.

9. *Quid Iustitia.*

IVstitia est constans & perpetua volontas ius suũ cuique tribuendi; vt definit Vlpianus; per volũtatẽ, intelligit voluntatis habitũ. Ius, est id quod æquũ & debitum est alteri. Quia vero debitum duplex est, vel secundũ conuenientiã, & honestatẽ moralem, vt eleemosyna pauperi: vel quia alius ad id ius habet, adeo vt litem & actionem intẽdere possit, vt agricola ius habet ad stipendium repetendum, ideo fit vt eæ virtutes quæ debitum priori modo spectant, sint potestatiuæ partes iustitiæ; quæ posteriori, subiectiuæ. Atque in genere id edici potest, quæcũque virtutes in ordine ad alterum nos perficiunt, ad iustitiam reuocantur alterutro modo.

10. *Liberalitas quid.*

Liberalitas media est inter prodigalitatem & auaritiam; Prodigalitas in dando excedit, in retinendo deserit modum: Auaritia contrà

in retinendo excedit, in dando deficit. Liberalitas vtrique affectui moderatur, & est virtus, qua recte pecuniis vtimur, maximè in dando; pecunias dicimus omnia, quorum dignitas numismate mensuratur 4. Ethic. Verum quia auaritia committitur concupiscendo, conquirendo, retinendo, prout est circa cupiditatem, opponitur liberalitati; vt circa pecunias, quæ contra fas aut retinentur, aut conquiruntur, iustitiæ. Definitur vero immoderatus amor habendi.

Liberalis libenter dat, vt sonat ipsa vox, quod adeo verum est, vt in necessitate nemo præsumatur liberalis l. rem legatam. ff. de aditione legati, cum recte impendit, lætatur; cum male, modice dolet; si vbi res postulabat, sumptum non fecit, quam si fecit, vbi res non exigebat non dat spe motus, sed honesti causa, vt beneficio vincat gratiã: scilicet (eius est dare non redditurus, vt mercatorum est emere,) nec accipit gratiam, quod capere sit honestum, sed quia accipere est necessarium, vt pecunia ad largiendum, & sustinendas impensas sufficiat, vt dicit Aristoteles lib. 4. Mor. cap. 1. & 2. Ratio petenda est, ex eo quod liberalitas magis inclinat ad dandum, quam accipiendum, aut retinendum, quia virtuti magis affine est bene mereri, quam beneficiũ accipere. Præterea non dicitur liberalis, nisi quia suas facultates libenter liberat à suo dominio & custodia; quapropter animum suum omni cura nimia, & affectu liberum reddit, vt ait D. Thomas quæst. 117. art. 2. solétque liberalis alio nomine, lautus vocari, & largus, quia non est retentiuus.

11. Aristoteles lib. de virtutibus addit liberalem hospitalem esse, comẽ, facilem moribus, humanum, misericordem, erga amicos beneuolum, omnibusque gratiosum.

Liberalis comis est & gratiosus.

> *Si quis in hoc mundo vult multis gratus haberi;*
> *Det, capiat, quærat, plurima pauca, nihil.*

Atque hinc liberalitatis genium habuit liberalissimus princeps Agesilaus, qui ex Plutarcho, sibi multo iucundius aiebat si ipse multos ditaret, quàm si ipse ditesceret. At quis cum Tito conferendus? de quo Sextus Aurelius, *quadam etiam die recordans vesperi nihil se cuiquam præstitisse, venerando cœlestique dicto, Amici, ait, perdidimus diem, quia erat magnificæ liberalitatis.* At quæ eius humanitas, comitas, & facilitas, vt redeam ad id, quod de homine liberali pronuntiauit Aristoteles; Amor & deliciæ generis humani appellatus est Titus, propter summam liberalitatem, humanitatémque singularem.

De Auaritia & prodigalitate.

ARTICVLVS V.

12. *Auaritiæ effectus.*

Avarus dicitur, quia auet semper; vilis est, & sordidus, fallax, proditor, neque enim probrum putat, quod quæstuosum est, sempérque aucupando lucro inhiat, paratus pudorẽ officiumque deserere potius, quam lucri opportunitatem. Rogatus Scipio in senatu, vter in Hispaniam mittendus videretur cõtra Venantum pugnaturus, Galba, an Aurelius, *Neutrum*, inquit, *mihi placet mitti, quia alter nihil habet, alteri nihil satis est*; Scilicet propter auaritiam. Præterea auarus,

anxius

anxius est propter inexplebilem diuitiarum sitim, ac recte Climacus gradu 16. *neque fluctus vnquam deerunt mari, neque auaro iracundia & mœror deesse poterunt*; Theologi cum SS. Patribus aiunt ex lutoso auaritiæ fonte turbidos manare riuulos obdurationis, inquietudinis, seu nimiæ sollicitudinis & timoris, fallaciæ, periurij, fraudis; obduratio ex defectu in dando, reliqua ex immoderato quærendi appetitu nascuntur: videndus hac de re D. Thomas 2. 2. quæst. 118. & Ecclesiastes passim, maxime cap. 6. eiusque commentator Lorinus.

13. *Prodigalitatis affectus.* Prodigus, potius stultus est, quam improbus; frequenter ad intemperantiam declinat, nam cum facile eroget, etiam in res obscœnas ab intemperantia natas, ad quas natura propensiores sumus, sumptuosior euadet, maxime cum ad honesti normam vitam suam minime componat; tunc enim præceps est in obscœnas illecebras lapsus, cum nulla honestatis suffrænatione tardamur: periculum etiam est, ne illiberalis euadat, hoc est, ne dum profuse largitur, auarè accipiat, quia largiri quocumque modo cupit, nec aliter habet quod largiter effundat, quam si ab aliis auferat: ita Aristoteles lib. 4. Ethicorum.

De Affabilitate.

ARTICVLVS VI.

14. *Affabilitas quid, quique affectus germani.* Versatur circa humani conuictus voluptates & tristitias, adeo vt quis honestatis causa neminem verbo vel gestu offendat, sed potius delectet; offendat tamen potius, quam cum turpitudine aut damno delectet, conuictoris culpæ adblandiendo. In exuperatione, affabili opponitur placitus, & adulator; in defectu contentiosus placidus tantum delectamenti gratiam venatur; adulator vero emolumenti sui causa voluptatem spectat, & omnia laudat. Contentiosus in omnibus studio molestiæ aduersatur, & morosus est: dicitur autem morosus vt nomen indicat à suo more: nam aliorum morem improbat, sibique placens est 1. mag. Moralium cap. 26.

Affabilis, neminem dicteriis lædit, ad loquendum tardior, ne offendat, incompositos cachinnos vitat, quoniam leuitatem animi indicant, à qua procul abest affabilitas: minime obtrectat, obtrectatio enim ex amarulentia animi nascitur: quæ placent prosuntque dicit, aliorum benefacta narrat; sua silet, ne eorum commemoratione arrogantiæ, vel iactantiæ notam contrahat: quid iam mirum si conuictus eius gratissimus sit, vt & cõtentiosi ingratissima consuetudo: exaggeratione vsus est Aristoteles 8. Eth. cap. 5. cum dixit nos, cum tristi ne quidem vno die morari posse; paulo aliter D. Thomas 2. 2. q. 114. sicut inquit, non possumus viuere in societate sine veritate, ita nec sine delectatione. Apud Germanos, qua voce exprimitur affabilitas, eadem facultas quædam hominum fauorem sibi conciliandi significatur.

Affabili accedit proxime vrbanus, qui in iocis modum seruat; superat vero scurra.

De

De veracitate.

ARTICVLVS VII.

15. *Veracis & mendacis hominis affectus.*

VErax eſt, qui, qualis ſit, tum verbis, tum factis palam oſtendit, Opponitur mendaci in vniuerſum, per exceſſum autem iactantia ſeu arrogantia, hypocriſis, ſimulatio; per defectum diſſimulatio veracitati aduerſatur.

Verax nòn ſe laudat, nec vituperat, nihil fingit, quoniam pœne ſemper vtrumque cum arrogantia complicatum eſt; ad extenuandam rerum, quæ ſibi inſunt, veritatem propenſior eſt, quàm ad augendam, quoniam illud eſt concinnius atque elegantius & virtuti propinquius, nec adeo auditoribus graue atque onerosum, imo ſæpe modeſta diſſimulatione vtitur, vt Socrates, cum ſe nihil ſcire aiebat; comis & facilis moribus, præclaræ ad virtutem indolis. Mendax, aſtutus eſt, doloſus fraudulentus, impudens & contentioſus; quare Artaxerxes adeo mendacem hominem auerſatus eſt, vt eius linguam triplici clauo configi iuſſerit, vt refert Plutarchus in eius vita. Pindarus mendacium totius nequitiæ fundamentum appellauit, vt narrat Marinus in Procli elogio, quod ſiquis mentiendo maiora de ſe fingit quam inſint, arrogans eſt: ſi quæ inſint negât, diſſimulator.

De Inuidia.

ARTICVLVS VIII.

16. *Inuidus triſtis eſt.*

VErbum inuidere, vt ait Mar. Tullius Tuſc. 3. à nimis intuendo fortunam alterius deductũ eſt. Porro inuidus eſt triſtis, ſuperbus, ſuſpicioſus, puſillanimis, incredulus, detractor, & iniuſtus. *Triſtis*; inuidia enim eſt indignatio & ægritudo concepta ex alterius rebus ſecundis, & præclaris dotibus, quæ noſtræ laudi officere videantur; quare inter bonos & malos nullum diſcrimen facit, & ex improbitate oritur, cum contra Nemeſis ex virtute naſcatur, & ſit dolor animi propter felicitatẽ improborũ, qua indignos eos exiſtimamus. Quod ſi forte doleremus de rebus proximi, quia inimicus nobis eſt, iam dolor hic non ad inuidiam, ſed ad odium eſſet referendus: nec inuidus tam cupit bonum habere, quam alium eo carere; quare tunc eum amat, cum bono, quod inuidiæ incẽtiuum erat, ſpoliatum videt. Bene finxit Poëta, dum à Ioue inuidus & auarus facultatem liberam accepiſſent petendi quod vellent, ita tamen vt qui poſterior peteret, duplum haberet eius quod petiiſſet, prior, inuidus ſibi oculum erui petiit, vt alteri vterque erueretur.

17. *Superbus.*

Superbus eſt, nam, vt ait Auguſtinus lib. 11. de Geneſi ad literam cap. 14. *Inuidia ſequitur ſuperbiam, non præcedit: non enim cauſa ſuperbiendi eſt inuidentia, ſed cauſa inuidendi ſuperbia, & ſuperbiendo inuidus, non inuidendo quiſque ſuperbus eſt. Rationem attexit; amando enim quiſque excellentiam ſuam, vel paribus inuidet, quod ei coæquentur, vel inferioribus, ne ſibi coæquentur; vel ſuperioribus quod eis concoæquetur.*

18. *Suſpicioſus, incredulus, &c.*

Suſpicioſus eſt; libenter, inquit Auguſtinus conc. 12. in pſ. 118. *alterius opprobrium non niſi æmulatio ſuſpicatur; dum bonum opus repre-*

hendi non potest, quia se exerit quod apertum est, ex quo fine fiat, reprehenditur, quia non se exerit, quod occultum est. Et Græci Momum inuidię deum, maledicentiæ, conuitij, & reprehensionis præsidem dixerunt.

Pusillanimis est; nemo enim, vt ait Cicero, alterius, qui suæ confidit, virtuti inuidet: Ratio vero est, quia eget bono, quod inuidiæ fomitem subministrat, quod si pro magnitudine animi illud se consequi posse speraret, non inuideret. Argutum & sapiens Plinij iunioris monitum l. 6. ep. 17. ad Restitutum. *Disertior ipse es, tanto magis ne inuideris; nam qui inuidet, minor est.*

Incredulus est; ne enim secretis conscientiæ vngulis magis discepatur, alienam felicitatem, quam carnificinam sibi facit, non nisi ægerrime credit. Detractor est, nam cum bonum eius, cui inuidet, adeo illustre est, vt latere non possit, inuido rodit dente, eleuat, & extenuat verbis quantum potest, aut alia affingit, quibus caliginem offundat. Basilius hom. 11. inuidum cum musca, & vulture componit; quæ duo non nisi ad vlcera, vel tabida & fœculenta accurrunt; sicut inuidus non nisi in alterius vitiis, aut quæ minus honesti specię̃ habent, hærere solet.

Iniustus; est enim inuidia, vt ait Cyprianus, radix malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum: postquam enim inuidus verbis obscurare alterius gloriam contendit, nec tamen potuit, ad factorum iniurias & calumnias sæpe præceps ruit, immo & non rarò vsque ad homicidia, vt Cain: Vnde & præclara est apud Græcos paronomasia in qua ludit Paulus Rom. 1. plenos inuidia & homicidio, istud φόνος, illa φθόνος dicitur.

19. *Nocet corpori.*

Omitto hic inuidiam corpori noxiam maxime; *putredo ossium est inuidia*, Prou. 14. *Zelus & iracundia minuunt dies*, Eccle. 30. quare eam vocat tineam animæ, talem, rubiginem, carnificem, viperam, Augustinus ser. 13. de tempore. Ratio physica est, quia inuidia, tristitia est, cuius naturam effectusque supra descripsimus.

De Gratitudine.

ARTICVLVS IX.

20. *Gratitudini cognati affectus.*

GRatitudo est virtus qua beneficium redditur; qui gratus est beneficium non dissimulat, prædicat potius; quod ad facilitatem morum & vacuitatem fastus veracitatémque pertinet; laudat, gratias rependit, pari gratia compẽsat, si facultas suppetat; immo & maiori, nam hoc sonat vox, Gratitudo, vt enim disputat D. Thomas 2. 2. q. 106. art. 6. recompensatio gratiæ beneficium respicit secundum volũtatem benefacientis, in quo hoc maxime commendabile videtur, quod gratis; & non prouocatus vllo officio beneficium contulit; quare qui beneficium accepit, ex debito honestatis obligatur vt pariter, aliquid gratis impendat, quod non videtur facere, si non excedat accepti beneficij quantitatem, quia quandiu minus quid vel æquale benefactori confert, non videtur facere gratis, sed reddere quod accepit, & ideo gratiæ compensatio semper ad hoc tendit, vt quantum potest, aliquid maius retribuat: Ingratus, qui beneficium dissimulat, gratias non habet, vicem

pro virili non rependit, moribus asperis est, superbus, mendax, ac omnino pessimæ idolis; de quo tandem qui huiusmodi est bene merebitur, qui ingrato animo se habet erga bene meritos? hæc omnia cuiuis aperta & obuia. Ac quotidiano facile omnibus experimento cõpertũ est optimos quosque, siue virtute perpolitos, siue ad virtutem à natura conformatos grati animi laude præstare; pessimos quosque, & quorum improbitas est ab indole ingenióque naturæ, ingrati animi vitio laborare; hinc philosophus quidem ait, ingrato homine nihil peius; alius vero; Maximum vitiorum omnium signũ ingratitudo, quia nimirum, pessimæ indolis indicium est, qua de re fusissime disputat Iosephus Herologgius tribus discursibus Italica lingua de hoc vitio conscriptis.

De Misericordia.

ARTICVLVS X.

21. Misericordia quid sit.

EST voluntas subueniendi alterius miseriis. Tũc verò virtus est, cũ ex amore oritur erga eũ cuius miseriam leuamus. At pene semper coniuncta est cum quodam condolescentiæ seu compassionis affectu, qui in parte sensitiua est, atque interdum cum lacrymis; vnde illa Græca parœmia, viri boni multum lacrymabiles, quia scilicet multum misericordes. Virgilius suum Æneam, Homerus suos Heroas sæpe lacrymantes ex alienæ miseriæ compassione inducunt. Dicitur autem vulgo misericordia esse tristitia seu ægritudo suscepta ex alterius miseria. Soléntque dici viscera misericordiæ, non iustitiæ, aut humilitatis, quia virtus hæc, non nisi peculiari viscerum affectu consummatur.

22. Misericordia cognati affectus.

Docilitas, facilitas morum, humanitas, affabilitas, mansuetudo misericordiæ viam sternunt. Beneficentia, liberalitas manant à misericordia. Ad eam propensiores sunt imbecilli, debiles, & timidi; nam facilius sibi instare similes casus autumant, nec satis validis viribus, vt iis se opponant; item qui aduersam fortunam maláque sunt experti, in proximo enim se putant, vt iterum iisdem inuoluantur; quod insinuauit illa Troianis Æneidos 1.

Me quoque per multos similis fortuna labores
Iactatam, hac demum voluit consistere terra;
Non ignara mali miseris succurrere disco.

Præterea qui ira vacui sunt, misericordia facile molliuntur, furor enim iráque mentem præcipitant, & tenerum alienorum incommodorũ sensum præpediunt. Denique sociorum & æqualium maxime nos miseret, quia eorum mala facile quasi nostra arbitramur, cum in eadem cymba nauigemus. Qui misericors est longe abest ab omni vindictæ appetitu: quomodo enim alteri malum creet, qui alieno quocunque malo facile afficitur, commouetúrque.

De Contentione.

ARTICVLVS XI.

23. De cõtentione, discordia, rixa.

COntentio & discordia maxime affines, illa quidem, in ore & verbis; hæc in animo & affectu posita est, rixa vtrique accedit, & est priuatum bellum, quo alter alteri

noxam molitur. Qui ad duas priores labes, aut natura, aut praua consuetudine procliues sunt, indociles, austeri, præcipites, imprudentes habendi sunt: ex eadem scilicet superbiæ scaturigine promanant, contentio, & discordia: nam cur cum alio contendas, aut ab eo pertinacius animi sententia dissideas, nisi quia tua alienis anteponis, & priuatam gloriam sitientius appetis? Rixa, quia cum appetitu vindictæ coniugata est, aliquando ex odio, aliquando ex inuidia manat, & ad iram pertinet: *Odium suscitat rixas*, Prouerb. 10. *Vir iracundus prouocat rixas*. ibidem 15. & 29. Videri potest D. Thomas 2. 2. quæst. 37. 38. 41. dist.

De Pietate, Obseruantia, & Obedientia.

ARTICVLVS XII.

24. De pietate & religione.

REligio erga Deum nos rectè afficit, pietas erga parentes, & patriam, quæ parens quoque est: obseruantia erga magistratus & insigniores quosque præclara aliqua corporis vel animi dote: pietatis & obseruantiæ assecla est optima indoles, ex qua docilitas morum, affabilitas, humanitas, verecundia oriuntur, qua de re D. Thomas 2. 2. quæst. 81. 101. & 102.

25. De obedientia quid, eiusque comites.

Obedientia virtus est qua ad omnia superiorum mandata nutúsque nos accommodamus. Nolo hic Ecclesiasten agere, & cum Sanctis Patribus obedientiam virtutum omnium matrem, & vberrimum seminarium prædicare: intra naturæ cancellos me continebo. Obedientiæ comites sunt animi demissio, obseruātia: At obseruantiā sequitur amor, vt ait Aristotel. 8. de morib. c. 8. ipsique obseruātiæ germanæ sunt, verecundia, docilitas, iræ & vehementiorum perturbationum vacuitas, quæ docilitatem extinguūt: ac rectè Hesiodus apud Aristotelem 1. Moralium cap. 4. dixit eum optimum, qui, quæ agenda sunt, nouit, secundum locum tenere, qui rectè monentibus parent; deterrimos & inutiles, qui nec norunt, quæ agenda sunt, nec rectè monentibus parent. Inobedientiæ vero comites sunt superbia (cur enim superiorum mandatis, non se quis accommodat, nisi quia tenacior propriæ excellentiæ & gloriæ, quæ, quantum aliis se quispiam subiicit, tantum detrimenti pati videtur:) irreuerentia, impudentia, præcipitatio, vehementiores commotiones, indocilitas atque aliæ prauæ affectiones, quæ, quasi ex fronde fructus, emanant.

De Fortitudine.

ARTICVLVS XIII.

26. Fortitudinis natura & affectus varij.

FOrtitudo, virtus est, quæ timori & audaciæ modum ponit versatúrque circa omnia terribilia, ac potissimum circa mortis pericula. Fortis fiducia, securitate, patientia, perseuerantia, instructus est, Ante pericula cogitabundus & quietus; in periculis impauidus, non timidus, sed timendus, libenter alios laudat, minime supplex est, ad iracundiam propensus. At quæ horum omnium ratio est? Fortis fiducia, securitate, patientia, perseuerantia instructus est, vt disputat D. Thomas quæst. 11. & 8. quia fortitudinis actus duo sunt,

sunt, sustinere, & aggredi, illud præcipuum est; Ad sustinendum necessaria patientia & perseuerantia; patientia acerbitatem mali vincit, perseuerantia diuturnitatem: vnde fit vt omnis calamitas leuis sit homini non leui, seu vere forti, at qui vt se vitæ calamitatibus eximant, violentas sibi manus inferunt, non sunt censendi fortiter agere: nam, vt ait Augustinus lib. 1. de Ciuit. cap. 23. *Tunc demonstratur infirmitas aduersa non sustinens, non autem honestas turpia pracauens*, & Martialis lib. 1.

Rebus in aduersis facile est contemnere vitam;
Fortiter ille facit qui miser esse potest.

Ad aggrediendum porro requiritur securitas, vacuitas timoris, & fiducia. Ante pericula quietus est, in periculis acer & impauidus, quia antequam pericula contingant, apud se sedulo rationem occurrendi cogitat, variosque casus prospicit, quos maturo consilio declinet; At in ipsis periculis, quia ad omnia animum instruxit, nihilque inexpectatum contingit, vir fortis, quando non ei euenit quod vult, vult quod euenit; omni metu vacat, omnesque industriæ neruos explicat. Libenter alios commendat, cum enim magna præstet, non existimat aliorum laudem suæ officere existimationi, cuius exemplum legitur apud Plutarchum lib. de legendis Poëtis, petitum ex Homero, qui Aiacem inducit, Achillem virum eiusdem bellicæ laudis æmulum, mirifice commendantem; contra timidus aliis quantum potest, detrahit; minime autem supplex est, vir fortis; nam vile est & abiectum facile supplicare.

De Audacia.

ARTICVLVS XIV.

27. *Quid audacia.*

AVdacia temeritas est, qua quispiam præcipitanter in periculum ruit. Audax, iracundus atque ferox, contumeliosus, imprudens est, & indocilis. Cum enim Audacia supra modum inflammata, quia biliosa est, non nisi ex calidiori natura oriatur, cui iracundia vernacula est, & maxime propria, audacem vehementius iracundum esse oportet. Iracundiam consequuntur iam dictæ vitiosæ propagines, contumelia, ferocitas, impudentia, indocilitas, crudelitas.

28. *Origo audacia.*

Fateor audaciam interdum oriri non ex iracundiori natura, sed ex inscitia, stupiditate, aut superbia, aut ex nimis præcipiti actione, aut denique inani gloria, vel timore, quod enim quis præsenti vitæ discrimini aut cuiuis periculo se opponat, oriri potest ex multis capitibus; ex inexperientia, qua fit, vt neque virium suarum debilitatem, aut præsentis periculi magnitudinem cognoscat; celebris & parœmia. *Inscitia confidentiam parit*; accedit & Græcum adagiũ, ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει. Item ex fastu, quo quis alios despicit, quasi sibi nimium immenso impares interuallo, adeo vt ab illis lædi se posse non putet, consone illi sententiæ apud Iobum 41. *Factus est vt nullum timeat: omne sublime videt*: vel ex stoliditate, qua quis quantum sit malum, in cuius periculum se coniicit, animo apud se reputare non potest. Sic furiosi nihil timent. Aut ex inconsideratione qua quis,

licet aliàs prudens & sagax, non intendit animum ad sedulo cogitandum quantum bonum vita sit, (vt iam hoc ponam exemplum) neque vero in pretio habetur id cuius præstantia & momentum iusta animi lance non pensitatur: Sane vita tantum bonum est, vt omnia alia bona ad vitæ præsidium, ornamentum, leuaménque comparata sint: neque vero nos tãtopere sanitati inhiamus morbósque auersamur, nisi quia hi vitam adimunt, illa tuetur ac propagat. Ex inani gloriæ cupiditate oritur interdum audacia, cum quis nescio cuius leuiusculæ auræ rumoribus, excitatus ad stipendium inanitatis promerendum, vitæ amorem calcat, & falso fortitudinis nomen & existimationem aucupatur cum tamen valde timidus sit: recte Aristoteles Thrasodilum, id est, audacitimidum vocat eum, qui antequam res vrgeat, præproperus est & insolens. In pugna vero tardior est, cum contra viri fortes initio seduli sint in ipsis factis acres, & celeres; cuius rei exemplum nescio an expressius reperias quã Xerxis Persarum regis, qui primus in fuga semper fuit, sicubi vero metus abesset, inflatus adeo, vt quasi naturæ dominus, ante belli experimentum montes in planum deduceret, connexa vallium æquaret, & maria pontibus sterneret, vere timiditatem eius præsignauit, vt Valerius Maximus author est. Lepus timidum animal, equæ partu editum in eius numeroso exercitu: Addo ad extremum temeritatem conuenire cordi calido, & cerebro calidissimo, vt in phrenitide; nam duo maxime faciunt intrepidum & periculorum contemptorem; sui fiducia, quod præstat cor calidum, vel inconsideratio tentati discriminis, quod oritur ex calida cerebri intemperie, quanquam aliunde etiam oriri potest; vt patet ex iam dictis.

De Timiditate.

Articvlvs XV.

29. Timiditati affines affectiones.

Timidus de se libenter prædicat alienæ existimationis detrimẽto, facile supplex est, minax, qui plagas minásque intentet, in consultando sedulus, in agendo industrius, misericors, querulus, suspiciosus, detractor. Timidus est, qui, quæ non decet, metuit, seu qui vehementer & cito, multa, pauca, magna, parua quæ propius adsunt, metuit supra modum, vnde fit vt secundum prouerbium Arabicum, infortunium omne ei geminum sit, sicut viro forti non nisi vnum est.

Timidius sui prædicator est; quod habeo ex Plutarcho lib. de legendis Poëtis, qui Homerum laudat huiusce affectionis testem, apud quem Thersites omnium mortalium timidissimus Achillem & Vlyssem (quantos in bello viros?) mirifice vituperabat, eorúmque bellicam adoream, martiúmque generosi animi robur, verbis, vt poterat, eleuabat, vt saltem alienæ existimationis detrimento, ex proborum commendatione sibi claritudinem, quam præclaris factis non poterat, conciliaret. *Facile supplex est*; quia commodorum suorum vitæque nimium amans est. *Minax*; sicut quo timidior canis est, eo latrat vehementiùs; Timiditatis suspicionem repellere contendit qui timidus est, quare saltem fortitudinem verborum fuco mentitur, linguáque bellat. *In consultando sedulus*: qui dixit timorem

esse

esse prudentiæ cotem & stimulum industriæ, recte dixit: consentit naturæ interpres 2. Rhetor. cap. 5. *Timor*, inquit, *ad consultandum inducit*: ex quo fit in timidis non omnem omnino extinctam esse spem: nam de re, quæ penitus conclamata desperatáque est, nemo deliberat: redeo ad institutum; Timor diligentem deliberatorem & accuratum in rebus perpendendis, impigrúmque in agendis facit, cum animum sollicitet ad quærendas omnes fugiendi mali rationes, quod sine maturi consilij præsidio, & industriæ contentione fieri nequit: Ad consilium igitur gnauámque industriam tum impellit maxime, cum consilio opus est, atque in agendo industria. Huc referre licet quod animalia timida prudentiæ speciem æmulantur; Aristoteles ait Ceruo prudentiam natiuam inesse, vt quod viribus tueri non potest, id efficiat ingenio: parit enim iuxta semitas, quo tutior sit à belluis, propter hominum frequentiam, deinde cum peperit, inuolucrum statim exedit, ne deprehendatur. Omnia animalia exanguia, vt apes, sepia, tumida sunt, quia frigida, at valde prudentia; sed de hoc postea cap. 16. art. 2. *Misericors est* quia *misericordia ægritudo est animi, ex alterius malo iniuria laborantis in quod te, aut tuorum aliquem casurum existimes*, vt habet Aristoteles in Rhetoricis: At timidus se facile casurum existimat in eadem mala, accedit quod timidus minime sit obnoxius iræ perturbationi, quæ maxime misericordiam præpedit: Præterea timidus mollitie animi laborat, quæ misericordiæ valde affinis est: quare mulieres misericordiæ laude præstant viris, quia timidæ & molles animo.

Querulus & suspiciosus, quod satis ex se patet. At suspicioni detractio adhæreſcit. Verum hæc intelligas velim de non adeo immoderato timore: nam immodicus, qui pauor vocatur, sapientiam omnem ex animo expectorat, vt ait Ennius, mentem sæpe loco mouet, omnesque consilij vias occludit.

30. *Oritur ex frigida temperie.*

Timiditas ex frigidiori temperie oritur, qualis est phlegmatica & melancholica, velut ex frigidiori media aëris regione, nimbi, pluuiæ, niuesque procreantur, quod sic conijcio, si subitum frigus coniunctum est subito timori, vt supra probauimus, cap. 13. artic. 11. de timore; temperies frigida affinis erit propensioni ad timorem, quæ quasi timor est permanens. Recte Aristoteles 3. de partib. cap. 4. animalia quæ paruum habent cor, audacia esse ait, quæ magnum, corporis sui proportione, timida, vt lepores, & ceruos, ratio est, quia calorem cordi conuenientem non habent, exolescit enim in magno conceptaculo calor; citius paruum cor incalescit, quam magnum: At quibus pulmones exangues, timida sunt, quibus pleni sanguine, fortia; illic frigus, hic calor dominatur, ideo fœminæ & senes timidi, ebrij contra, & iuuenes, audaces.

De magnanimitate & vitiis oppositis.

ARTICVLVS XVI.

31. *Magnanimitatis natura & affectiones.*

MAgnanimus est qui magna spectat, quia magna sunt, & illustria, ex quibus, quia magni honores, quasi ampla seges ex vberi messe, demetuntur, magnos quoque honores, moderate tamen, spectat.

ctat. D. Thomas quæſt. 129. art. 1. & 4. magnanimitatem in magnis honoribus verſari ait, vt pulchritudo tantum in magno homine eſt, cum parui, elegantes modo ſint, non pulchri: nihil omnino paruum ſpirat magnanimus, ſed omnia excelſa: quare paruis ſe non obiicit diſcriminibus; honores paruos, & à vulgo delatos contemnit. In proſperis & aduerſis moderatum ſe præbet; (imbecilli enim animi eſt aduerſis frangi, proſperis efferri;) neminem aut vix quemquam rogat, ſi enim parua ſunt, quæ ab aliis petere poteſt, non curat, vel ſua induſtria poteſt conſequi; ſi vero non poteſt, aliis obnoxius & moleſtus eſſe non vult. Cunctator eſt, niſi aut magnus honor proponatur, aut magna res agatur; paucas enim res agit, eaſque magnas & omni commendatione dignas: non facile admiratur, nihil enim ei magnum pene eſt; aperte odit, aperte amat, quæ odio amoréque digna, nam timidi eſt fronte & ſupercilio tacitam mentis ſententiam mentiri: motum habet tardum, graui oratione vtitur, ſtabili ac ſedata, quia feſtinatio & celeritas ob variarum rerum ſtudia adhiberi ſolet. Magnanimus vero paucis rebus, idque valde moderate, ſtudet. In iis vero quæ neceſſario ſunt perferendæ, vel quæ exiguæ videntur, non eſt querulus & ſupplex, hoc enim eſt animi, nimium ſtudij in res humanas conferentis: fiducia & ſecuritate inſtructus eſt, vt ſupra de forti viro diximus hoc capite art. 13. Non eſt adulator, eſt enim ſeruile; non meminit iniuriarum, viri enim magnanimi eſt, tum iniurias, tum reliqua mala flocci pendere: ſane vilis eſt & abiectus, qui vnius verbi flatu è ſtatu mentis & quiete deiicitur, & vindictã meditatur; quanto generoſius eſt contra omnes fortunæ flatus validóſque ventorum impulſus immotum conſiſtere: vnde interrogatus Democritus quid eſſet magnanimitas, reſpondit, leuiter ferre fruſtrationem; magnanimus ſi fueris, contumelias tibi inferri vix vnquam indicabis: de inimico dices, non nocuit mihi, ſed animum nocendi habuit, & cum illum in poteſtate tua habueris, vindictam putabis vindicare potuiſſe. Non eſt maledicus neque conuitiator, neque ſui laudator, non eſt guloſus, non mendax, hæc enim duo mancipiorum propria ſunt. Hæc pene omnia ex Ariſtotelicæ moralis ſcientiæ libris deflorata in hoc caput coniecimus.

32. *Vitia oppoſita magnanimitati.*

Magnanimitati opponitur per exceſſum præſumptio, ambitio, inanis gloria; per defectum puſillanimitas; præſumptio vitioſus eſt magnanimitatis exceſſus, quo quiſpiam ſibi fidens, ea, quæ ſuis viribus ſunt maiora, aggreditur. De ea idem pene iudicium quod de audacia. Præſumptionem comitatur indocilitas, ſuperbia, natura iracundior, pertinacia, diſcordia, contentio, iactantia. Ambitio eſt vitioſus magnanimitatis exceſſus, quo quiſpiam honorem ardentius, quam par eſt, concupiſcit. Inanis gloria eſt nimia vanæ exiſtimatiunculæ cupiditas (idem de ambitione dici poteſt.) Eam ſectantur contentio, inobedientia, hypocriſis, pertinacia, & inanium nouitatum ad hominum admirationem mouendam excogitatio, quod ſic explicat D. Thomas 2. 2. q. 132. art. vlt. *Finis inanis gloriæ eſt manifeſtatio propriæ excellentiæ, ad quod quis dupliciter tendere*

tendere poteſt, vno modo directe ſcilicet per verba, & eſt iactantia, ſecundo per facta, & ſi ſint vera aliqua admiratione digna, eſt præſumptio nouitatum, quas homines ſuſpiciunt; ſi falſa ſint, eſt hypocriſis Alio modo indirecte, oſtendendo ſe non eſſe minorem alio; & hoc quadrupliciter; primo quidem quantum ad intellectum & ſic eſt pertinacia, qua quis, nimium ſententiæ ſuæ adhæreſcit, alienam, quamquam meliorem, dedignatur; ſecundo, quantum ad voluntatem, & ſic eſt diſcordia dum non vult à propria voluntate diſcedere vt aliis conſentiat. tertio, quantum ad verba, & ſic eſt contentio. vltimo, quantum ad factum, & ſic eſt inobedientia.

Puſillanimitas vitium eſt, quo quis præ nimia virium ſuarum diffidentia minus audet quam poſſit, nec ſibi debitos honores exquirit.

De Patientia.

ARTICVLVS XVII.

36. *Quis vere patiens ſit.*

PAtientia eſt virtus qua mala æquo animo toleramus, vt ait Auguſtinus: modum ponit triſtitiæ quam mala, quæ patimur, intimis medullis animi inſinuant.

Patiens iram temperat, linguam refrænat, mentem gubernat, pacem cuſtodit, Ac recte ſapiens prouerb. 15. *vir iracundus prouocat rixas, qui patiens eſt mitigat ſuſcitatas: reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem.* Ergo patiens mitis & docilis eſt, eadem ſemper fronte, mente in omnibus æquabili, triſtitiæ proculcatione, ſcilicet nulla pœna eſt niſi inuita, & nullus, niſi ab impatientia, dolor eſt, qui animam contundit, frontem rugis exaſperat. Ad quælibet etiam inſignia virtutum opera accommodatiſſimus, quia virtutes non niſi diuturni laboris mercimonio mercamur. Vix patitur ab inimicis cõtumelias, cum enim non offendant, niſi vt doleas, ſi minime doles, expectatione deluſi ab inſtituto facile diſcedunt. Nec erit abs re hic orationem Tertulliani referre l. de patiẽt. c. 15. eam pulcherrimis coloribus depingentis. *Placidus illi tranquilluſque vultus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugoſitate contracta: remiſſa æque in lætum modum ſupercilia, os taciturnitatis honore ſignatum; color qualis ſecuris & innoxiis; amitus circum pectora candidus, & corpori impreſſus, vt qui nec inflatur, nec inquietatur; ſpiritus eius mitiſſimi, & manſuetiſſimi; non turbine glomeratur, non nubilo liuet.*

34. *Patientia affines conſtantia, perſeuerãtia, lõganimitas.*

Patientiæ congermaneſcunt conſtantia, & perſeuerantia, longanimitas; perſeuerantia hominem roborat contra difficultatem ortam ex diuturnitate boni operis (eamque definit Plato affectionem quæ perficit quodcunque elegerit) longanimitas contra difficultatem quæ eſt ex dilatione boni optati: conſtantia contra difficultatem quæ oritur ex aliis exterioribus impedimentis; patientia vero contra triſtitiam ortam ex omnibus impedimentis iam dictis.

Perſeuerantiæ duo ſunt oppoſita vitia, mollities & pertinacia: mollis facile ob laborẽ, mœrorem & voluptatis defectum cedit, & ab inſtituto recedit; pertinax, ſeu nimis tenax in praua ſententia nimis eſt obfirmatus: pertinax inanis gloriæ aucupator eſt, vt diximus ſuperiori articulo, indocilis, inobediens, iracun-

dus, imprudens, temerarius; istiusmodi Genij homines vocantur ab Aristotele 3. Ethic. c. 9. ἰδιογνώμονες, *mobilis esto, non leuis; constans, non pertinax*, inquit Seneca.

De Magnificentia.

Articvlvs XVIII.

35. *Magnificentiæ natura, & affectiones.*

CVm liberalitas in paruis pecuniis, versetur, tum accipiendis, tum largiendis; magnificentia tantum in magnis sumptibus spectatur. Quicumque magnificus est, liberalis quoque est, nam qui in rebus magnis impendit quemadmodum oportet, idem facit & in paruis: hinc fit vt hospitalis, comis, facilis moribus, humanus, misericors, erga Amicos beneuolus sit, quæ nobilis est liberalitatis suppellex vt supra diximus hoc capite articulo 4.

Opposita est luxui, vt exuperantiæ; & sordibus, vt defectioni; luxus prodigalitati assimilis à Græcis vocatur βαναυσία, à furno, vel ἀπυροκαλία, quasi sine bono igne, quod omnia dilapidet, conficiat, & quidem non boni & honestatis causa; Sordes auaritiæ affines, alio nomine paruificentia, vocantur, videri potest D. Thomas 2. 2. quæst. 135. & Aristoteles 4. Ethic. c. 2.

De Temperantia.

Articvlvs XIX.

36. *Natura & diuisio temperantia.*

VIrtus est quæ in compescendis, inhibendisque voluptatibus gustus & tactus, qui nobis cum brutis communes sunt, versatur, libidinumque incentiuis obluctatur; vt mentis, ratio; ita ipsa corporis frænum est. Si circa cibum fuerit, abstinentia vocatur; si circa potum, sobrietas; si circa libidinis stimulos, pudicitia; si circa venerea, castitas, quæ ita dicitur, eo quod per eam concupiscentia castigatur; est enim ad modum pueri castiganda, vt ait Aristoteles 3. Ethicorum; circa intacti pudoris propositum, virginitas, appellatur. Intemperans verò est qui circa horum sensuum voluptates exuperat: si circa cibum; manducus, helluo, vorax; si circa potum, ebriosus, vinolentus; si circa libidinis stimulos, impudicus; circa venerea, procax, salax, libidinosus vocatur. At primum de temperantia circa cibum & potum nobis agendum est.

37. *Temperantia sanitatis mater, & longioris vitæ causa.*

Temperans in cibo & potu, sanus est, longioris vitæ, acrioris intellectus, memoriæ tenacioris, castus: quam ad rem facit quod Hieronymus rectè ait epist. ad Rusticum, *Modicus ac temperatus cibus vtilis est animæ & corpori.* Et Sapiens, *Sanitas est animæ & corporis sobrius potus.* Sed vt rem accuratius disputemus, temperans sanus est, nam vt voluptas ægritudinis mater est, ita sanitatis, temperantia. Et vero inter medicas præceptiones nulla potior diæta.

Pone gulæ metas, vt sit tibi longior ætas.
Esse cupis sanus? sit tibi parca manus.

Quare Socrates, qui temperantiã singularem coluit, sanitate pene inoffensa vixit. Massinissam Numidarũ regem, & regẽ Ponti Mythridatem abstinentiæ principes, quasi salutari pharmaco vitam in multos annos prorogasse legimus; ille quidem

dem iam nonagenarius ſemel tantum interdiu veſcebatur, ſine pulmento: iſte, quo abdomini legem faceret, ſtans veſcebatur. *Legimus quoſdam*, inquit Hieronymus epiſt. ad Iouinianum, *morbo articulari & podagris laborantes, præſcriptione bonorum ad ſimplicem menſam, & ad pauperes cibos redactos, conualuiſſe,* nimirum cruditatem omnium morborum matrem impedit humoreſque ita temperat, & in debita proportione conſeruat, vt neque quantitate neque qualitate peccent: At vbi humoris ſymmetria, ibi nullus eſt morbus, & quidẽ morbi penè omnes quibus affligamur, ex repletione, quã caſtigat tẽperantia, oriuntur; cuius ſignum eſt quod euacuatione curentur penè omnes, pauci repletione. Cæterum quod cruditas ſit morborum mater, teſtatur Galenus lib. 1. de cibis boni aut mali ſucci *Nemo*, inquit, *morbo corripietur, qui accuratè cauet, ne in cruditates incidat*; fauet ratio, nam cruditas eſt imperfecta concoctio, ſiue quod nimia ciborum copia aut varietas ſumatur, ſiue quod iuſtum concoctioni interuallum non concedatur; tunc enim chylus imperfectè digeritur, crudusque euadit; tum vero affert hæc incommoda, replet cerebrum & viſcera multis pituitoſis & biliosis excrementis parit in exiguis viſcerum meatibus multas obſtructiones, venas implet humore putrido, ex quo grauiſſimi morbi. At ſobrietas cruditatem impedit, nec hoc modò, ſed etiam iam contractam diſſoluit & ſuperuacaneos humores abſumit. Præterea munit aduerſus cauſas externas morborum; nam qui corpus purum habent, & humores bene temperatos, non ita facile læduntur ab æſtu, frigore, labore ſicut alij qui prauis humoribus abundant, & ſi lædantur facilius curantur. Quid igitur mirum quod longioris vitæ ſit, qui temperans eſt, cum morbis non ſit obnoxius?

Temperans] Caſtus eſt, libidinis enim materiam ex parcitate cibi potuſque parcè ſubminiſtrat; ſi Poëtis credimus, pudicitia ſoror eſt temperantiæ. Ariſtophanes, vt refert Athenæus lib. 10. Dipnoſoph. cap. 15. vinum vocauit ἀφροδίτης γάλα lac Veneris, vt pote libidinis incitamentum. *Acrioris intellectus, & memoriæ tenacioris eſt*, quia perpurgatum cerebrum, nec fuliginoſis ciborum nidoribus oppletum, animæ munia rectè perfungitur, animuſque defæcatus, & ab adipis aſpergine preſsè puréque deterſus verè animus hominis eſt: Ac Platonici quidem putant rerum omnium lumina humanis animis ineſſe ingenita, quæ ſerena mente nitidiuſque promicantia prudentiam ac ſapientiam pariunt; & Temperantiam Sophroſynem dici ὅτι σώζει τὴν φρόνησιν, quod prudentiæ ſalus ſit & conſeruatio.

38. *Et caſtitatis &c.*

Intemperans in cibo & potu ſordidus eſt, ſtupidus, luxurioſus, morbis obnoxius, breuis vitæ, debilis: ratio eſt, quia intemperantia totum hominem maculat, animi aciem obtundit nimia vaporis copia, adeo vt ad ſua munia agenda minimè ſit accommodatus. Hinc natum prouerbium; *pinguis venter acre ingenium non gignit*: inter piſces mugil omnium guloſiſſimus adeo ſtolidus eſt, vt cum metuit, caput abſcondat quaſi corpus totum occultet vt notat Ariſt. l. 8. de Hiſto. Anim. cap. 2. Plutarchus lib. de educãdis liberis fuſe docet, pue-

39. *Intemperantiæ natura & affectiones.*

ros multo pastu stupidioris & tardioris ingenij euadere: pręterea animus exhaustus in operibus inferiorũ facultatum, vix potest Intelligentiæ functionibus vacare, nimiique vapores qui cerebrum complent, neruos oppilant, vnde stupiditas nascitur, nimium alimentum quod intemperans ingurgitat, corpus debilitat; frangitur animus, præfocaturque calor naturalis: præterea partibus procreationi destinatis copiosum humorem subministrat, vnde libidinis titillatio. Eius incentiua comprehendit nescio quis hoc carmine.

Otia, segnities, somnus, caro fœmina vinum.

Denique nimius cibus cum non possit concoqui, corrũpitur, estque perpes morborũ officina: Crassa & obesa corpora, nisi sanguine minuantur, in Paralysim & pessima morborũ genera erumpunt. Et vero Galenus in exhortatione medicinæ negat diu posse viuere, aut sanos esse quorum vita & ars sagina est. *In multis escis erit infirmitas.* ait Eccles. 37.

Claudendum caput aureo dicto Ioannis Climaci gradu 14. de Gula, vbi sic eam loquentem inducit: *Ianua mea natura ciborum est, consuetudo inexplebilitatis, mihi causa est: filius mihi primogenitus, fornicationis inuentor est, alter ab illo est obdurationis auctor, somnus est tertius: filiæ meæ sunt desidia, loquacitas, scurrilitas risum mouens, contradictio, ceruicis durities, tarditas ad audiendum, insensibilitas, elatio, atque tumor, & temeritas.*

* * *

De Castitate & Luxuria.

ARTICVLVS XX.

DE Casto quid sentiendum sit satis ex opposito luxurioso intelligitur: Luxuriosus igitur debilis, breuis vitæ, obnoxius morbis: debilis est quia resoluitur, frigescit contabescit, marcescitque corpus exhaustis alimenti reliquiis, spiritibus defraudatum; quæ ratio etiam ad breuitatem vitę facit morborumque procreationem: huius rei specimen est in passere; aues quidem penè omnes natura sua salaces sunt, sed inter omnes salacissimus passer creditur: vt iam diximus supra cap. 8. Mares tantum annum viuunt ex Aristotele lib. 9. de hist. cap. 6. Præterea passeres, vt & hircus, morbo epilepsiæ sunt obnoxij, dictusque passer est, à patiendo, quod caducum morbum patiatur, quem Oxitani passeris morbum vocant. Mus quoque est salacissimus, vnde, mus albus prouerbialiter dicitur de homine libidinis immodicæ vitæque breuissimæ. Hinc apud Horatium musculus alteri ait.

Viue memor, quam sis aui breuis. —

Mirum est quod narrat Matthiolus in l. 2. Dioscoridis cap. 63. murem vnum vase interceptum breuissimo tempore; cum se inde post nimiam ingluuiem expedire non posset vsque ad 120. musculos peperisse; immo in Persia; aliquando in ventre matris reperti mures, aliis musculis fœti. Polypus inter pisces biennium non excedit, quia piscis est omnium salacissimus; salacitas vero senium accelerat; muli, quia infœcundi, equos diuturnitate vitæ superant

40. *Luxuriosus breuis est vita.*

ſuperant: Iuuencæ nouem annis expertes copulæ ſeruantur, vt creſcant: ſcilicet humor ſeminalis abit in incrementum; vnde ſemper caſtrati corpore maiores viſuntur Stirpes, quæ aſſiduis ſectionibus ſemen ferre prohibentur, diutius viuunt: ſemina vero quæ egerunt, citius tabeſcunt; quoniam prohibita fructificatio vim inſitam in caules & radicem diffundit; ſeminis effuſio totam vim extinguit, radiceſque exugit. Sic vitis, niſi ſecta fuerit, fœcundiſſima eſt quidem, ſed biennio aut ſummum triennio moritur, aut certè tabeſcit.

41. *Quibus morbis obnoxius.*

Morbi quos luxuriæ cudit officina, ſunt vt ait Leuinus Lemnius podagræ, Iliacæ paſſiones, vertigines capitis Elephantiaſis, color giluus, buxeus, hircinus corporis odor. Præterea luxuria mentis aciē obtundit, obnubilat, vt quod maximè, vnde Claudianus.

Luxuries prædulce malum, quæ dedita ſemper
Corporis arbitriis hebetat caligine ſenſus.

Ac Baſilius in cap. 10. conſtitutionum monaſticarum *vellicatur*, inquit, *ab libidinum fumo mentis acies, & voluptatum exhalationibus animi oculi velut craſſiſſima nebula offunduntur*; Ratio eſt, quia hæc voluptas plurimum cerebro nocet, vt ſcribit Galenus in commentariis l. 7. Epidem. Hippocratis, & Albertus Mag. lib. 22. de animalibus narrat in humani corporis diſſectione aliquando repertum fuiſſe caput cerebro exhauſtum cauſam in nimiam venerem Medici retulere.

De honeſtate & Verecundia.

Articvlvs XXI.

42. *Honeſtatis & verecūdia natura, &c.*

Diuus Thomas 2. 2. quæſt 143. honeſtatem & verecundiam cenſet eſſe partes integrantes temperantiæ; honeſtas eſt qua virtutis decorem & pulchritudinem maxime amamus, verecundia eſt metus quidam infamiæ, ſeu confuſio de aliquo defectu. Verbum (quidam) eſt nota improprietatis: nam proprie metus eſt rerum horribilium, vt vulnerum, mortis: infamia eſt priuatio bonæ famæ, quæ eſſe deberet At quia bona fama eſt bona aliorū de nobis exiſtimatio, ideo nunquam verecundia tangimur, niſi reſpectu illorum, quos bene exiſtimare, aut alioquin exiſtimaturos, vel poſſe exiſtimare de nobis bene, arbitramur, aut ſaltem vellemus. At quia bifariam infamari poſſumus apud illos, vel quia ipſi defectus noſtros vident, aut quia per delatores norunt, idcirco non ſolum coram iis quos bene de nobis opinari vellemus, verum etiàm coram delatoribus verecundamur. Porro defectus ad triplex caput reuocatur, vitium, inexperientiam, virium imbecillitatem: vitium appetitioni, inexperientia cognitioni animæ, virium imbecillitas corpori, reſpondet. Duplex eſt verecundia, Antecedens, & conſequens: Antecedens à flagitio reuocat; conſequens poſt admiſſum peccatum, quaſi pœnarum vindex, coloris virtute vultum obpurpurat, animoque pœnitudinem inſinuat. Verecundiæ ſtupiditas & impudentia opponuntur;

illa per excessum, ista per defectum: Stupidus est, qui de quolibet & honesto, & turpi vituperationem timet; pusillanimi socius est: impudens est qui nullam turpitudinis infamiam timet.

43. *Verecundia comites affectuu.*

Verecundus, vero est modestus, docilis, obediens, facilis moribus, taciturnus, pudicus, ingenuus, & humilis: Ratio est, quia cum, vt ait Ambrosius, incutiat horrorem turpitudinis, maximè reuocat à dedecorosis vitiis, vt est indocilitas, inobedientia, immodestia, loquacitas, impudicitia; prolectat verò ad oppositarum cultum virtutum. Diogenes adolescentem videns erubescentem, confide, inquit, fili, hicce color virtutis est, qui enim erubescit, rem quæ turpis est, turpem existimat; & in se, defectumque suum excandescit: quæ vero potentior suffrænatio esse potest, quominus quis in vitiorum procinctum eat? Seneca lib. 1. epist. 9. magnam ait tolli pecatorum partem, si veluti teste verecundia, viuamus, & qui sic vereri potest, tandem fieri verendum. Præterea, quandoquidem non verecundamur nisi coram eis, à quibus infamiam pati veremur, (vnde coram bestiis nihil, coram ignotis, perparum verecundamur; coram autem coniunctis & parentibus, maximè,) oportet absit arrogantia, qua alios contemnamus, si coram eis pudore afficimur, vnde verecundus humilis est.

De Impudentia.

ARTICVLVS XXII.

44. *Impuden- tis animi affectus varij.*

IMpudens imaginatione iudicioque male est affectus, contumeliosus, curiosus, scurra, derisor, superbus, denique ad omne facinus paratissimus; nam quisquis infamiam non metuit, quantum malum ipsa sit, quantumque declinanda honesto viro non satis attendit, forte nec attendere potest propter animi præcipitantiam. At vero si abest pudor, & quod turpe est, turpe non existimatur, conclamatum est, cum enim virtutis custos sit pudor &, vt ait D. Gregorius Nyssenus hom. 3. in Ecclesiastem, propterea à Deo nobis sit inditus, vt à peccato peccati turpitudine deterreamur, non potest impudens non ad omne vitium effrænis deiici; ad ea inprimis, quæ commemorauimus, quibus oppositæ virtutes cum pudore maximam societatem habent. Hanc ad rem Xenophon, *Inuerecūdia*, inquit, *ad omnem turpidinem facem præfert.* Quod attinet superbiā, vt hoc de ea in particulari dicam, quandoquidem quod non verecundemur coram aliis, est, quod eos contemnimus, vt iam diximus statim supra; contemptus autem non nisi superbia est, inuerecundum constat superbum esse. Ac iam mirari desine ab Euripide dictum, inter homines omnium morborum maximum esse δυσωπία; Ac Caligulam, vitum omnium vitiorum cōscientia perditissimum, eo impudentiæ esse progressum, vt se nihil magis in sua natura probare diceret, quam, vt eius verbo vtar, ἀδιατρεψίαν, seu inuerecundiam; cū tamen nihil fœdius in tanta vitiorum colluuie, ex qua totus constabat, esse potuerit, quàm hæc ipsamet ἀδιαῖρεψία: quam verum est quod ait Tertullianus initio Apologetici, *Omne malum aut timore aut pudore natura perfudit. Nam malefici gestiunt latere, deni-*

tant

tant apparere, trepidant deprehensi, negant accusati, ne torti quidem facile ac semper confitentur, nolunt enim suum esse, quia malum agnoscunt.

De Mansuetudine.

ARTICVLVS XXIII.

45. *Quid mãsuetudo, & qui affectus eius comites.*

EST virtus quæ iræ modum ponit: Quoniam vero in ira, quæ est appetitus vindictæ, duo sunt, animi commotio, & pœnæ infligendæ cupiditas; mansuetudo impetum animi coërcet, ne extra sacrã rationis lineam exorbitet: clementia pœnam moderatur. Quamobrem ad vnum absolutæ virtutis actum concurrunt, nimirum passionem & actionem, vnaque virtus censeri possunt, cum omnis virtus circa actionem simul & passionem versetur. Mansuetudini opponitur iracundia, & lentitudo: clementiæ crudelitas, quæ puniendi causam habet, sed modum non habet, vt inquit Seneca lib. 1. de clementia cap. 1. Sæuus vel ferox dicitur, qui sine causa punit aut hominum cruciatu delectatur. Mansuetus, est ingenio quieto & stabili, moribus comis, affabilis, moderatè fert obiecta crimina, non celeriter in vltiones rapitur. Ita Aristoteles l. de virtutibus, non irritat, non irritatur, non nocet, nec nocere cogitat, vt ait Hieronymus super Matthæum, docilis est suíque compos, vnde Ecclesi. 10. *Fili mi, in mansuetudine serua animam tuam.* Ratio est, quia mansuetudo est depressio iræ ex Aristotele 2. Rhetoricorũ, quæ quidem ira sola perturbationum fluctus in animi pelago concitat; præcipitemque agit mentem in rixas & vindictam, moresque exasperat. Præterea mansuetus irascitur tantum cum oportet, & quibus de causis, & quando oportet: ratio iam insinuata est. Cum humilitate & patientia semper coniuncta mansuetudo: potentissimum est ad conciliandum hominum gratiam amuletum: hinc Ecclesi. 3. *Fili in mansuetudine perfice opera tua, & super hominum gloriam diligeris.* Post Antoninum multi Imperatorum Antonini dici voluerunt, quia ille, sua in rebellem Cassium clementia, omniũ animos sibi deuinxerat. Qui mansuetus est & clemens, pœnas dat, cum exigit, vt de Augusto clementissimo principe narrat Seneca 1. de clementia cap. 10. Denique mansuetus, modestus est, quod subinnuit Paulus 2. Timoth. 2. *Seruum Dei non oportet litigiosum esse, sed mansuetũ ad omnes, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati.* Porro mansuetudini ferè naturaliter adiuncta patientia est, si quidem illa huius mater est, vt ait Basilius cap. 13. libri Constitutionum Monasticarum. Lenitatem animi mirifico exemplo prodidit C. Cæsar, cum literas ad hostem Pompeium missas non lectas in ignem coniecit, ne, si legisset in aliquem commoueretur.

De Iracundia.

ARTICVLVS XXIV.

46. *Iracundorum varia species, eorúmque affectiones.*

IRacundorum tres sunt species apud Aristotelem l. 4. c. 5. biliosi seu acuti; acerbi seu amari; difficiles, asperi, seu sæui: Biliosi seu acuti, supra modum sunt prompti & celeres, & ad omnia, omnibus de causis iracundia excandescunt: Acerbi

adi

ad iniuriam vlciſcendam non adeo rapiuntur. Sed ſolum eius memoriam, cum intima triſtitudine diu retinent, quare diu in iracundia perſeuerant: vltio namque irā ſedare ſolet voluptatem afferens, & dolorem ex accepta iniuria mitigans; permoleſti ſunt omnibus, & ſibi ipſis, & amicis, propter perpetuam ex ira triſtitudinem conceptam: Aſperi ac ſæui ad vehementionem iram, quam par ſit, ſunt propenſiores, diutius iram retinent, neque placantur, niſi iniuriam vlti ſint, aut pœnam inflixerint. Tribonius, quod eſſet ingenij impotentiſſimus, & difficillimis moribus, Aſper dictus eſt, Bilioſorum ira à Gregorio Nyſſeno vocatur fel; acerborum, mania; aſperorum, furor; de iracundis tantum hic dico, acutos malos eſſe, acerbos peiores, difficiles vero peſſimos. Omnes ſunt obnoxij his affectibus quos ira parens generat, hoc eſt, indignationi, tumori mentis, impatientiæ, clamori, contumeliæ, minis, iniuriis, ſeditionibus, rixis, de quibus ſuperiori capite.

De Modeſtia.

ARTICVLVS XXV.

47. *Modeſtia natura.*

TEmperantiæ pars eſt, modum ponit in minimis, vt temperantia in magnis: eius eſt corporales motus, geſtus, actiones, tam ludicras quam ſerias, & quæ ad veſtitum cultumque corporis ſpectāt, honeſte decenterque moderari, tum circa externas, tum circa internas animi actiones verſatur; dicta eſt à modo, & licet modus obſeruetur in quolibet affectu laudabili, tamen peculiariter dicitur de eo, qui modum ponit in minimis. D. Thomas 2. 2. quæſt. 160. & 168. *Modeſtus ſi es, animi & corporis tui motus obſerua, ne indecori ſint, nec illos ideo contemnas, quia latent; nam nihil differt, ſi nemo videat, cum tu ipſe videas.* Ita Seneca de continente. Ego vero idem dico de Modeſto. Porro modeſtus, vt patet, ſtudioſus, humilis, obediens eſt & manſuetus.

De Studioſitate, & Curioſitate.

ARTICVLVS XXVI.

48. *Quid ſtudioſitas.*

INtimo quodam impetu ſcire deſideramus: fieri vero poteſt vt nimius ſit hic appetitus, imo vt laborem inquirendi ſcientiam, pluſquam par eſt, fugiamus: alterum ab animo, alterum à corpore oritur: ſtudioſitatis eſt vtrique moderari; deſiderium refrænare, ne nimium ſit, & ſtudium, quod eſt vehemens mentis applicatio, accendere, ne vllo languore debilitetur.

Studioſus modeſtus eſt, docilis, optimæ ad omnes diſciplinas indolis, nam ſtudium quaſi Heraclius quidam lapis, nos ad diſcendum inducit; de quo videri poteſt D. Thomas 1. 2. quæſt. 166. & 167.

49. *De curioſitate.*

Curioſitas oppoſita ſtudioſitati, in prauo & inordinato ſciendi deſiderio ſita eſt, & circa tum ſenſuum, tum intellectus cognitionem accidere poteſt, cum quis requirit, quæ nihil ad ſe pertinent, aut quæ ſunt illicita, aut licita quidem, ſed vehementius quam par ſit, ſcire ſatagit.

Igitur curioſus ſeu plus æquo dictorum factorumque alienorum ſcrutator, (de hoc enim hic ſolo mihi eſt ſermo) incurius eſt, ignaruſque ſui, maleuolus, leuis, impudēs, temerarius, ſuſpicioſus, dicax.

Incurius

Incurius est suarum rerum; quantum enim alienis rebus tribuit, tantum detrahit suis. Maleuolum esse vult Plautus.

Curiosus nemo est, qui non sit maleuolus.

Cur enim tam nefanda ardet quis cupiditate, nisi vt suppetat, quod mordeat, quod sermonibus iactet, nisi forte hoc potius ex leuitate originem ducat. *Vir probus*, inquit Aristoteles 2. Rhetoric. cap. 4. *Scit tantum res probas aliorum.* Impudens vero, est curiosus quoniam impudentiæ est, turpitudinem actus turpis non existimare, neque, vt ait Aristoteles, metuere. At curiositas maxime cum turpitudine complicata est.

De humilitate, & superbia.

ARTICVLVS XXVII.

50. *Humilitatis natura.*

HVmilitas virtus est quæ refrænat animum ne immoderate in excessum tendat, & appetat. Est quidem in appetitu irascibili, tamen regula, qua dirigitur, est cognitio sui ipsius; nam qui non se pluris, quam sit, æstimat, recte appetitum coërcet: quare recte Gregorius lib. 31. cap. 5. Moralium; *Qui minus se videt, minus sibi displicet.* Nolo hic longa oratione in contextum affectuum, qui humilitati adhærescunt, effundi, neque cum Sanctis Patribus humilitatem, vt matrem, altricem, & fundamentum omnium virtutum commemorare. De humilitate, vt naturalis virtus est, tantum loquar. Humilis, quia vanæ existimationis rumunculos minimè aucupatur, non est pugnax, nec contentiosus, nec inuidus. Hæc enim sunt superbiæ propagines: Ad obedientiam & obseruantiam maxime propendet, vtpote à superbia alienus: mansuetus, nam mansuetudo soror est humilitatis, vt ait Bernardus; ratio est, quia, qui ira vehementiore vacat, procliuis est ad mansuetudinem. At humilis ira vehementius nō commouetur, quia neminem despectui habet, nec quisquam in alium vehementius excandescit, nisi despiciat, vt iam diximus: præterea modestus est & verecundus, quia immodestia & inuerecundia minimè sunt sine contemptu eorum, cum quibus versamur.

15. *De superbia & eius affectionibus.*

Superbia est propriæ excellentiæ appetitus, vt ait Augustinus; & dicta est ex eo quod, vt vult S. Thomas, aliquis per voluntatem tendit supra id, quod est: vnde Isidorus lib. 10. cap. 18. Etymologiarum, *Superbus dictus est, qui superuult videri quam est.* Superbus contentiosus, inobediens, hypocrita, pertinax, contumeliosus, inuidus, minax, turbidus, inquietus, impudens, iracundus est, ad irrogandas iniurias validus, ad tolerandas infirmus, ad lacessendos alios importunus. Contentionis, inobedientiæ, hypocrisis, pertinaciæ ratio petenda est, ex iis quæ supra diximus de inani gloria hoc capite artic. 17. Cainodoxus enim & superbus assimiles sunt: *Ea est*, inquit Ioannes Climacus gradu 11. *Cenodoxia à superbia differentia, quæ est naturaliter pueri ad virum, & tritici ad panem, hoc enim finis, illud principium.* Contumeliosus est, ita Prouerb. cap. 11. *Vbi fuerit superbia, ibi erit contumelia*; & 13. *Inter superbos semper iurgia sunt*: Ratio est, quia cum sit in omnes factorum dictorúmque excellentias neglecta honestate festinus, magnique

ſe æſtimet, facile exiſtimationem capit ſe contemptum, ex quo ira: At iram contumelia ſequitur. *Inuidus*, nam ſuperbia mater inuidiæ: *ſuffoca matrem & filia non erit*, ait Auguſtinus tractatu de diſciplina Chriſtiana; Et rectè Thalaſſus Monachus Hecatontade 1. ſententia 19. inanis gloriæ comites ſunt ſimulatio, vanitas, ſuperbia, ſuſpicio & inuidia. Rationem attulimus loco ſtatim citato. Reliqui affectus ex dictis ſatis patent, & meridiano fulgori eſt faculam adhibere hic diutius immorari. D. Baſilius cap. 10. conſtitution. Monaſtic. ſuperbos ait, inuidos, contentioſos, diſſimulatores, impudentes, calumniatores, aſſentatores, veteratores, humiles vbi opus non eſt, ac multis aliis vitiis infectos, quorum omnium rationes affert.

52. *De continentia.*

De continentia vltima temperantiæ parte potentiali nihil dico; nam eſt imperfecta quædam temperantia, vt temperantia perfecta continentia: moderatur incentiuis voluptatum, ſed quia nondum longo vſu roborata eſt, graues patitur perturbationum inſultus: Temperantia vero pene proculcauit voluptates, adeo vt non pungant.

Incontinens is eſt, qui circa voluptatum vſum male ſe habet, potius ex impetu paſſionis, quam ex habitu: nam iam eſſet intemperans. Continens ad temperantem, incontinens ad intemperantem referendus eſt. De his omnibus videri poteſt D. Thomas 2. 2. quæſt. 155. 156.

* * *

Parentes: principium ſeptimum.

CAPVT XIV.

1. *A parentibus mores hauriuntur.*

A Parentibus in filios non genituram modo, ſed cum genitura tum honeſtos, tum prauos mores certum eſt non raro propagari. Quam ad rem Plutarchus, *Vt ſcorpius*, inquit, *non tantum putandus eſt habere aculeum, cum pungit, ſed ſemper eſt obſeruandus, ita malis prognati, etiamſi non peccent, tamen venenum habent*. Facit & illud vulgare; mali corui malum ouum. Illuſtriſſimam autem facem huic toti argumento adhibebit, quod ex philoſophia morali mutuari, venit in mentem: Quadruplex ſtatuitur nobilitas, naturæ, morum, fortunæ, generis. Nobilitas, quæ naturæ eſt, in naturæ dignitate, maiorique ad diuini numinis conditionem acceſſione conſiſtit. Nobilitas morum, in virtutis ornamento, & ſplendore poſita eſt: Nobilitas fortunæ, in diuitiarum copia; ſed, vt quod res eſt fatear, certæ ſolidæque nobilitatis fugax tantum & præſtigiaria imago eſt, in diuitiarum nube apparens, & palleſcentis auri fulgore plebis oculos perſtringens. Nobilitas generis animo præcelſo, ad res magnas nato, & propaginis ſuæ conditione, quaſi ſtimulis incitato, conſtat: nam fortes creantur fortibus; Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum virtus, nec imbellem feroces progenerāt Aquilæ columbam. Et quoniam quo longior eſt ſtemmatum ſeries, & præſtabilium maiorum ordo, repetita ſuperiorum temporum memoria, eò potentius quoque adhibitum calcar nobis

nobis censetur, ad res illustres audendas, & conficiendas, ideo nos hanc generis nobilitatem, longa auorum serie pensitamus; quanquam tandem fatendum est quod ait Iuuenalis Satyr. 8.

Tota licet veteres exornent atria ceræ
Atria, nobilitas sola est atque vnica virtus.

Et quod apud Senecam, *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus, animus est qui facit nobilem,* negari tamen nō potest, quin & maiorum exemplo ad illustria quæque moueamur, immo & impetu quodā à natalibus ipsis propendimus.

2. *At cur?*

Quid porro est, quod à maioribus generosum animum ad virtutem propensum generationis traduce accipimus, nisi quia temperiem habitúmque corporis eis debemus, propensiones autem animi, corporis habitudinem consequuntur? Ad hæc filij, vt loquitur Tiraquellus in septimam legem connubialem Glossa 1. part. 7. parentum præceptis imbuti, ad eorum consuetudinem moresque deducuntur; nam cum omnia, quæ oculis percipiunt adolescentes, simiarum instar, imitentur, fit sane vt quæcumque, à parentibus, maximè, quorum magis assidua est conuersatio, fieri viderint, etiam ipsi facere nitantur, assuefactíque demum (tanta vis est consuetudinis) perpetuo, ita, vt prius instructi fuerint, quasi selectiori quadam vi agente, perseuerent.

3. *Ad hoc varia testimonia.*

Hoc expressit claris similitudinibus Esdras cap. 9. lib. 4. *Qualis ager, talia & semina; & quales flores, tales & tinctura; qualis operator, talis & creatio; & qualis agricola, talis & cultura.* Aristoteles lib. 2. Politicor. cap. 4. Ex quorundam sententia, oriri ait sicut ex hominibus hominem, & ex bestiis bestiam, sic ex bono bonum. Quare lib. 5. cap. 8. *Consentaneum est*, inquit, *ex melioribus ortos esse meliores.* Quid Cicero in oratione pro Roscio comædo? *Nemo ex improbo patre probum filium nasci posse existimaret.* Ex quibus fit vt in iure præsumatur filius esse eiusdem affectus & voluntatis cum patre: quæ omnia fuse Tiraquellus loco citato,

At Martinus Delrio tom. 1. adagialium adagio 910. in illud Ezechielis: *Sicut mater, ita & filia eius:* multa hac de re disputat ex variis authoribus; inter cætera illud Basilij epist. ad Libanium commemorat, patris est filiolus; vsurpatum ex Philostrato in Aristide, quod vna voce Latini, dicunt, patrissat: vtitur Terentius in Adelphis; eodem refertur à multis illud Siracidæ, Ecclesiastici 11. *In filiis suis cognoscitur vir.* consule reliqua, peculiariter ad filias spectantia, quæ frequentius matris mores imitantur.

Sane quantum à parentibus pendeat corporis temperies, & habitus, ex eo dilucet, quod etiam sola matris imaginatio notas, & characteres fœtui imprimat. Mulier Peruana grauida anno 1589. cui cucurbitulis ex venarum sectione missus fuit sanguis, impressit fœtui in similibus partibus vulnerum cicatrices. Iacob ex oppositis virgis vnicoloribus, aut variegatis, vnicolores aut variegatas oues habuit. Gallina, dum ouis incubat à miluo exterrita, miluino capite pullos exclusit, vt refert Auicenna lib. 8. de animalibus. Quod si quis scire velit cur filij parentibus similes sæpe sint oris filo & corporis habitudine, cōsulat Aristotelē 4. de Generat. Animaliū c. 3.

M 2 Porro

4. Sæpe filij parentibus dissimiles.

Porro quæ hactenus hic disputauimus, non adeo certa & constantia sunt, vt non vacillent sæpius; bonorum parentum degeneres filij sunt, vt Caligula, Germanici; Domitianus, Vespasiani; Commodus, M. Antonini cognomento Philosophi; Cham Noëmi; Ismaël, Abrahami; Esau, Isaaci; Amnon & Absalom, Dauidis; Roboam Salomonis; Ioram, Iosaphati; Manasses, Ezechiæ. Valerij Maximi caput quintum l. 3. totum est de hoc argumento. Contra vero malorum parentum optimi filij fuere, licet, vt plurimum malorum mali, bonorumque boni, quod fortasse innuitur Sap. 3. dum de impiis dicitur, *& nequissimi filij eorum*; quasi nequissimi nequissimos procreent. Atque huc forte alludebat Ezechiel cap. 16. *Radix tua & generatio tua è terra Chanaan, pater tuus Amorrhæus, & mater tua Hethæa.* Ibi autem sermo est de Iudæis Hierusalem habitantibus, qui ab Amorrhæis, & Hethæis originem minime ducebant, sed quia moribus illis assimiles erant, ab ipsis progeniti geniti dicuntur.

Nutrices, & conuictus: Principium septimum, & octauum.

CAPVT XV.

1. A nutricibus mores hauriuntur.

HÆc duo capita, saltem primum, à physiognomiæ instituto non omnino videntur aliena; hinc enim licet hominum mores subodorari. Quod attinet nutrices, non tantum lac ab ipsis, sed ingenuos prauosque mores cum lacte haurimus; facile enim adhuc cerei infantis tenerum corpus, quotidiana hac mammarum exsuctione immutatur, & in eandem cum nutrice temperaturam desciscit; temperaturam mores consequuntur, vt sæpius diximus. Contesserat nobiscũ Michael Scotus, refertque puerum fuisse, qui diu lacte porcæ nutritus, iam grandis natu volutari in luto gauderet, & more suum voraret; Alterum, quem cum capra diu lactasset, plantas auidè corrodebat, saltatimque incedebat; fuisse præterea qui in consimili parte ac nutrix fistulosus euaserat. Baptista A porta Physiognomus nominis præcipui Scoto accedit, appositeque commemorat, quod pastoribus compertum est, si ouium lacte hædi, caprearum lacte agni, alantur, in his capillum grandescere, in illis crassescere. Præterea si cuius generosa indoles conseruanda est, inquit, alienæ nutricis admouendus vberibus, laudatque illud Æneid. 4.

Non tibi diua parens generis, nec
Dardanus auctor,
Perfide, sed duris genuit, te cautibus horrens.
Causasus hyrcanæque admorunt
vbera tygres.

Quid quod Hibis ille Hispanus, apud Iustinum l. vltimo, ceruæ lacte nutritus ceruos cursu pernicissimo æquabat; Franciscus de Mendoça in Viridario l. 4. problem. 7. accepisse se ait à testibus oculatis & locupletissimis, virum optimis moribus imbutum, remotis arbitris in morem capreæ saltare, & currere solitum fuisse, nec se continere potuisse quin curreret, saltaretque: quia, vt ipse aiebat, capreæ lacte fuerat educatus

adstipu

adſtipulantur omnes Medici, apud quos celebre axioma eſt, *Qui à iuuenibus nutricibus lactantur, tardius; qui à ſenibus, citius ſeneſcere: parentum ſemen, corpus; nutricum lac, ingenium format, vt ait apud Gellium Phauorinus.*

2. *A conuerſationibus mores ſumuntur.*

Quod attinet conuictum: magnum eſt in eorum quibuſcum agimus, conſuetudine poſitum momentum ad virtutes vitiaque inſerenda intimis animorum medullis. *Sumuntur*, inquit Seneca lib. 3. de ira, *à conuerſationibus, mores, vt quadam attactu vitia in corpus tranſeunt, ita animus mala ſua proximis tradit. Impudicorum cœtus fortes etiã viros emollit, auaritia in proximos virus ſuum tranſtulit: At è diuerſo virtutum ratio eſt, vt omne quod ſecum habent, mitigent, nec tam valetudini profuit vtilis regio, & ſalubre cœlum, quam animis parum firmis, in turba meliorum verſari. Quæ res quantum poſſit, intelliges, ſi videris feras quoque conuictu noſtro manſueſcere, nullique immani beſtiæ vim ſuam permanere, ſi hominis contubernium diu paſſa ſit.* At lib. ad Lucilium aſſerit nullam rem magis pertinere ad ſuadendos bonos mores, bonorum conſuetudine, contra notum eſt illud prouerbium;

Claudo, vel vni, ſi propinquus fueris,
Diſces & ipſe claudicare protinus.

Ac rectè Plutarchus lib. de dignoſcendo vero amico ab adulatore conſuetudinem ait aſſiduam tantum poſſe, vt & minus cogitantes vitia conuictorum imitatione exprimamus: ſic Ariſtotelis amicos, balbutiem eius imitatos; Aſſeclas Alexandri regis eius in alteram partem ceruicem inflexam, & vocis aſperitatem repræſentaſſe. Quanquam hoc forte quis melius aſſeclarum adulationi adſcribendum cenſeat, cur Eſſeni in ciuitatibus non habitarent, rationem reddit Philo apud Euſebium lib. 8. de præparatione Euangelica cap. 4. exiſtimabant, ſcilicet, vt contagiones aëris corporibus: ſic conuerſationes animo nocere.

Cæli natura, ſeu populorum Mores: Principium nonum.

CAPVT XVI.

1. *Pro varietate nationum varij mores.*

Virtutes vitiaque, aut potius virtutum vitiorumque ſemina ſingulis innata Nationibus, quæ facile variis opportunitatibus excitantur, non ſecus ac ſcintilla flatu leui adiuta ſuum excitat ignem, Geographici quidem muneris eſt recenſere, ſed ſingula rationum librare momentis, ſcitè ſubtiliterque ex cœli rigore, aut clementia, ſolique natura penſitare, Philoſophici negotij eſt. Equidem, vt nemo neſcit, nationum nonnullæ bellicoſæ ſunt, aliæ imbelles; nonnullæ & feræ, aliæ manſuetæ ac mites; nonnullæ ad imperia, aliæ ad ſeruitutem natæ; aliæ mente & ingenio præſtant, & ad capeſſendas diſciplinas aptiſſimæ ſunt, aliæ pene omni mentis vſu deſtitutæ, veriſſimumque eſt quod dixit Vegetius l. 1. c. 2. *plagam cœli ad robur non tantum corporum, ſed etiam animorum plurimum valere*, cui non abſimile eſt illud Baldi ſummi Iuriſconſulti *Ingenia hominum fieri deteriora, vel meliora, ex aëris diſpoſitione*; eodem ſpectat Curtius l. 8. *Ingenia hominum*, inquit, *vbique locorum ſitus format.*

denique Polybius l. 4. *Ita natura comparatum est, vt cœlo habitationis consimiles euadamus.* Qui plura volet in hanc rem, consulat eruditissimum Ludouicum Cresolium l. 1. Autumnalium Vacationum c. 3.

2. *Vtitur Aristoteles hoc principio.*

Satis mihi erit hic Aristotelē subiicere, qui cum sect. 14. probl. 1. quæsisset, cur efferis moribus, & aspectibus sunt, qui habitant in regionibus nimium calidis vel frigidis, respondet optimam temperiem aëris, non corpori solum, verum etiam intelligentiæ hominis prodesse; excessus autem omnes, vt corporis, ita etiam mentis temperamentum peruertere, ac sicut capite octauo & nono iam diximus eundem Philosophum venari affectiones animi ex similitudine cum animantibus, immo etiam in vno sexu, ex similitudine cum alio, ita etiam in libro physiognomicon ex similitudine vnius hominis cum indigenis alterius nationis, eius mores, inclinationesque auguratur: ait enim *qui valdè nigri sunt, timidi; referuntur ad Æthiopas & Ægyptios,* & iterum *qui capillos habent valde crispos, timidi; referuntur ad Æthiopas:* Quæ nos hoc capite disputabimus facile similium coniecturarum materiam subministrabūt, &, vt vt sit, variorum populorum mores aperiemus.

3. *Varij nationum mores.*

Ac quidem Alexander ab Alexandro l. 4. Genialium dierum c. 13. qui in variis gentibus obseruatione acerrima & solertissima explorati sunt mores, prolixe satis commemorat; quæque autorum omisit testimonia, ea copiosissime suffecit Tiraquellus: sunt igitur, inquit Cāpani, superbi; Argiui, ex more insito genti latrones; Rhegini, pauidi, & formidolosi; Rhodij, superbi; Ægyptij, seditiosi, iactabundi; Græci, ingenio & facundiâ præstantes, assentatores, leues; infideles; Cappadoces, Cilices, Cretenses, suopte ingenio fraudulenti, & mendaces; in quorum notam Græcum illud est τρία κάππα κάκιστα, ac de Cretensibus omni exceptione maiorem habemus D. Paulum in Epistola ad Titum c. 1. *dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri; testimonium hoc verum est;* quod ex Epimenidis libro de miraculis, vt ait Hieronymus cōmmētario in hanc Epistolam, sumptum est; ac propterea Paulus Epimenidem Prophetam vocat, siue ob argumentum libri, siue quia olim poëtæ Vates vocabantur, quasi fates, & diuinatores; vel tandem, vt ait Cornelius A lapide, quia Propheta idem est ac Doctor, & Ethicus, qui vitia gentis describit, quod perinde est ac mores posterorum prædicere, cum vitia natiua parentum ferè in posteros deriuentur. Sed redeamus in viam & reliqua ex eodem authore recenseamus; Afri, subdoli, fallaces, bilingues; at Saluianus l. 7. de gubernatione Dei; *Tam infrequēs est hoc & inusitatum, impudicum non esse Afrum, quam nouum & inauditum Afrum non esse Afrum; ita enim generale impuritatis in eis malum est, vt quicunque impudicus non sit, Afer non esse videatur.* Numidæ leuissimæ fidei; Chij, petulantissimi; Galatæ, minaces, opinione inflati, acuti ingenio; Syri, cupidi, auari, inquieti, auidi rerum nouarum; Alexandrini derisores, dicaces; Indi & Persæ, otiosi; Locrenses, fœdifragi; Colchi, diri, & immanes, horridis ingeniis; Scythæ, rapidi, & feroces; Germani,

&

& Cymbri, duri & laboriosi; Medi & Arabes, molles, & effeminati; Siculi vafri, acuti, suspiciosi, faceti; Cumani, hebetes & insulsi; Bæothij, & Thebani pingui ingenio; Syracusani multiplices; Itali prudentes, nobilitate animi insignes, regali magnificentia præfulgidi; Hispani, iactabundi, parci, bellatores, laborum patientissimi; *Hispanorum inquieta, auidaque in res nouas sunt ingenia*, ait Liuius decade 3. l. 2. Gallos Cicero de Haruspicum responsis fortes vocat; *Nec robore, Gallos; nec calliditate, Pœnos, nec numero, Hispanos, nec artibus, Græcos; nec denique hoc ipso huius gentis ac terræ domestico natiuóque sensu, Italos ipsos, ac Latinos, sed pietate ac religione omnes gentes, nationésque superauimus*; at Salustius de bello Catilinæ, *natura gens Gallica bellicosa est*, & Iterum; *Græci facundia, Galli belli gloria ante Romanos fuere.* Idem ipse l. de bello Iugurthino, *Per idem tempus* (quo scilicet bellum Iugurthinum finitum est, nimirum anno quo natus est Cicero, vrbis 647.) *aduersus Gallos Qu. Cepione, & Marco Manlio male pugnatum est, quo metu Italia omnis contremuerat; illique, & deinde omnes Romani, vsque ad nostram memoriam, sic habuere alia omnia virtuti suæ prona esse, cum Gallis, pro salute, non pro gloria pugnare*; Firmicus vero Maternus l. 1. Astronomicon cap. 4. in *Finibus Galliarum populus sapientis temperamento prudentiæ conualescit.* His omnibus addit Cœlius Rodigi. l. 18 cap. 21. ex Strabone l. 4. Gallos nulla esse morum malignitate. cui suffragatur Martialis l. 5. Epist. 1.

Et tumidus Galla credulitate fugat.

Seuerus Sulpitius Dialogo 1. c. vlt. *Neque Gallum*, inquit, *decet esse tam callidum*, & Ennodius ob eandē causam ait *Natos Rhodani habere niuem probitatis*, id est, laudabilem candorem, morumque innocentiam. omitto reliqua quæ in hāc sententiam disputat Cresolius noster in laudato opere Autumnalium Vacationum cap. 4. audiendus tandem hic denique Ptolomæus lib. 2. de Iudiciis cap. 3. Britanniæ, Galliæ Braccatæ, Germaniæ incolæ sunt communiter feroces, peruicaces, truces; At Italiæ, Apuliæ, Siciliæ, Galliæ togatæ incolæ, præstantiæ, benignitati, amicitiæ student. Erasmus initio Chiliadum ita cuilibet genti sua vitia prouerbio assignat Pœno perfidior, Scytha asperior, Scythotauris inhospitalior, Parthis vanior, Thracibus bibacior, Sybarita fastuosior, Mylesiis effœminatior; Arcade stolidior; Care vilior; Cretensi mendacior; Non igitur male dixit Tullius l. 2. de diuinatione dissimilitudines locorum dissimiles hominum habere procreationes.

4. *Quomodo inuestigādi mores populorū.*

At quam dissimiles tum animis tum corporibus? qua vero indagine tam multiplices versatilésque variarum gentiū mores, & quasi naturæ Dæmones perscrutabimur? sane ab anima, mens; à spiritibus, anima; à sanguinis temperie, spiritus; ab aëre ambiēte, sanguis; à cæli climate, solique natura, aër ambiens, mirum quantum, contagione afficitur, quare quæ in secretioribus animi latebris delitescunt propensiones ex regionum situ, cælique temperie commodè venabimur, autorem habentes Hippocratem l. de aëre, aqua, & locis; Galenum l. 2. de Temperamentis; Flauium Vegetium lib. 1.

de re militari, cap. 2. Plinium lib. 2. cap. 78. Aristotelem lib. 7. Politi. cap. 7. & sect. 14. problem. 5. & 15. Atque vt huius plurima, eaque præclarissima dicta prætermissa esse patiar, operæ pretium erit hic attexere, quæ ipse lib. 8. histor. cap. 29. habet, vt quantum, pro locorum varietate, etiam brutorum animantium mores, temperaturæque differant, videamus. *Morum diuersitatem*, inquit, *loca efficiunt; vt montana & aspera bestias suas reddunt, & aspectu efferatiores, & viribus robustiores, quam plana & molliora; argumento vel sues Athi montis acceperim quorum ne fœminas quidem spectare mares situs inferioris audet, morsus etiam belluarum ex locorum diuersitate plurimum differunt; vt in Pharo, locisque aliis scorpiones non lædunt, at in aliis, & præcipue in Scythia, multi, & magni, & nocui sunt, & si vel hominem, vel quamuis bestiam percusserint, interimunt*, & capite præcedente seu 28. iam idem Philosophus multa in hanc sententiam disseruerat, inter cætera, quod, vt in Africa bestiæ sunt multiformiores, in Europa fortiores, ita in Asia efferatiores.

5. *Ordo huius inuestigationis.*

Ac quoniã nimis arduum foret & operosum, singulorum populorum insitas affectiones dicendo percensere, & adhibita rationum Philosophi earum face illustrare, generatim rem aggrediar; Septentrionalium, Australium, Orientalium, Occidentalium, & eorum, qui medias regiones obtinent; qui loca montosa, palustria, arida, concaua, ventosa, tranquilla, plana, sterilia, fertilia incolunt, naturam examinabo; si prius monuero quæcunque Medicinæ tractationi subsunt, nec ab nostris disputationibus physiognomicis aliena sunt, triplici rerum genere contineri; naturalium, contranaturalium, non naturalium; Naturalia sunt septem, elementa, humores, temperaturæ, membra, spiritus, facultates, operationes; Contra naturam tria, morbi causa, morbus, symptoma; demum non naturalia quæ corpus necessario immutant, vt ait Galenus sunt sex, aër, (nimirum provt purus aut impurus, frigidus, aut calidus est, & sic de aliis qualitatibus) cibus, & potus, motus & quies, somnus & vigilia, vacuatio & retentio, affectus animi; de aëre hic agemus omnium non naturalium præcipuo, de aliis non naturalibus penè omnibus alibi acturi; dixi aërem omnium præcipuum, cum sit quasi anima omnium animantium, & vero anima vocatur; *Ita contigit*, inquit M. Tullius lib. de Vniuerso, *vt inter ignem & terram aquam Deus animamque poneret, atque inter se compararet & proportione coniungeret; vt quemadmodum ignis animæ, sic anima aquæ, quodque anima aquæ, id aqua terræ proportione redderet.*

De Corpore Septentrionalium & Australium.

ARTICVLVS I.

6. *Qui vocẽtur hic Septentrionales, & quomodo corpore habeant.*

SEptentrionales sunt ij, qui Septentrioni, seu polo Arctico regiones proximas incolunt; Australes vero, vt ipsa nomenclatura indicat, qui Austro, seu polo Antarctico proximas regiones obtinent. At quoniam vtrorumque hic à nobis contentio instituitur, Australium nomine censentur illi, qui longius ab alterutro polo siti ad Æquatorem propius accedunt; de iis

iis verò, qui ab Æquatore longius ſemoti, Polo ſunt Antarctico propinquiores, idem omnino eſt, ac de Septentrionalibus ſentiendum, quando vtrique polo ſubiecti, proximique terrarum tractus eadem aëris temperie, rigore, atque inclementia cœli, ſoli natura, cæteriſque penè omnibus maxima parilitate congermaneſcunt; Aggrediar igitur habitudines recenſere, quæ vt plurimum tales ſunt, quales à nobis deſcribentur; quanquam interdum fit, ex variis cauſis vt Septentrionales Auſtralium, Auſtrales contra Septentrionalium penè naturam induant; Igitur Septentrionales calidi, humidi, proceroſi, edaces, obeſi, robuſti, colore candido, carne molli, fluxo capillo, oculis cæſiis, voce graui, fœcundi ſed non adeo ſalaces, obnoxij febribus, conuulſionibus, & iis ægritudinibus quæ ex corruptione oriuntur. Auſtrales contra frigidi, ſicci, parui corpore, parci cibi, macri, debiles, colore fuſco, carne dura, duro capillo, oculis nigris, voce clara, ſalaces, obnoxij lepræ, & febribus.

7. *Septētrionales calidi Auſtrales frigidi.*

Cur Septentrionales calidi, Auſtrales frigidi? Quia hi ſyderis propinqui intemperantia in extremis torrentur, laxanturque corporis meatus, natiuuſque calor dilabitur, atque ad ſibi cognatum calorem extenditur; illi vero rigentia mundi, pruinis geluque torpentia loca incolunt; quamobrem calor innatus refugit circunſtantem extrinſecus frigiditatem, quæ occludit, conſtipatque corporis meatus, nec calidum innatum patitur vaporeſcere, ſed ad centrum cogit; & vero in caldariis tunc magis ſudamus, cum tempus frigidum eſt, quia tunc arcetur calor intuſque ſe peruoluens ac inſidens humorem ſoluit. Ita Philoſophus ſect. 2. probl. 39. hyeme cum omnia gelu concreſcunt, tum terra Antiperiſtaſis beneficio calorem coërcet in puteis & ſpecubus; hinc etiam fit, vt fundi vaſorum, in quibus calefacimus aquam, tandiu calidiores ſunt, dum ipſa aqua frigidiuſcula eſt, dum vero calida eſt, frigidi redduntur; quia primum arcetur calor ignis à frigore aquæ & exitus omnis denegatur, poſt vero libere reſpirat; quare nonnulli vaſa feruentiſſimam aquam continentia, fundo ſuſtinentes, deportant. ſect. 24. probl. 5. ad ſolem aqua calida citius quam in vmbra refrigeratur ibid. probl. 15. Aqua etiam in profundiſſimis vadis calida eſt, quo fit vt piſces, alioquin frigidiſſimi, magnam partem non dura cruſta aut teſta contecti, ſed ſolis ſquamis, hyeme à frigore non extinguantur: æſtate vero cum ardoribus torretur terra, cõceptum calorem aqua exhalat. At Septentrionales quaſi perpetuam hyemem, Auſtrales perpetuam æſtatem patiuntur, vnde illi quidem calidi, hi frigidi ſunt, nec inſulsè aiebat Empedocles naturam in contrariis ſedibus contraria collocaſſe, frigidum in calido, in ſalſo dulce, in dulci ſalſum; ſic enim illa vitellũ oui calidũ, albumine frigido, ſuccũ aurei mali frigidiſſimũ, cortice calidiſſima circumſepſit; Piſces marini fluuialibus multo dulciores, licet mare ſalſum ſit vt fert nominis Etymologia; arundo ſicciſſima in locis humẽtibus, Adiaton calidiſſimũ & ſicciſſimũ in locis frigidiſſimis & humidiſſimis naſcitur. Solet nanq; vt vult Ariſtoteles l. 2. de partibus c. 7. ſemper emoliri natura contra cuiuſuis exuperantiam auxilium per coniunctionem rei aduer-

ſæ, vt exceſſum alterius altero compenſet, nec ſine admirabili ſummi Opificis prouidentia factum eſſe arbitrandum eſt, vt Auſtralis regio vitibus & Aromatibus abundet, quo Indigenarum calor tenuior foueatur; Indi enim folio Rhetel pene ſemper maſticando vtuntur, quod concoctionem mirum quantum ſuo calore promouet: ſeptentrionali porro regioni omnino adempta ſunt aromata, cum incolæ calori prouocando ſtimulos atque adiumenta non habeant neceſſaria.

8. *Cur in æſtate & partibus Meridionalibus bilis abũdet, hyeme & in ſeptẽtrione pituita.*

Verum magna quæſtio ſeſe offert, ſi in Germania, & hyeme maior calor eſt, quam in Æthiopia & æſtate, cur illic abundet pituita, cuius generationis origo eſt inopia coquentis caloris, hic vero bilis: & vero hyems feraciſſima eſt morborum pituitoſorum, æſtas biliosorum: quod de vtraque tempeſtate dicetur, ad regionem vtramque: ſeptentrionalem & Meridionalem erit transferendum, quia vna, vt iam diximus, ſimilis eſt æſtati, altera hyemi, in vna pituitoſus ſanguis abundat, in alia bilioſus: multæ ſolutiones huius quæſtionis afferuntur à Galeno: prima eſt: hyeme frigus in cutem & vaſa ſeſe inſerit, immo quibuſdam, vel veſtium inopia, vel alia de cauſa in ventriculum vſque penetrat, eumque refrigerat; verum ſi quibuſdam tantum ventriculus refrigeratur non erit effectus iſte auctæ pituitæ omnibus vniuerſalis. 2. eſt, in hyeme multum ſumi alimenti ob validam appetentiam, ideo confici nequit à calore ſtomachi, quanquam magno & valido: & vero licet pueri longe præſtent viris in facultate concoctrice, tamen propter ingluuiem abundant crudis humoribus; ſed ſi hæc cauſa vera eſt omnes intemperantiæ incuſandi erunt, cum in omnibus pituita abundet; neque vero ſi plus hyeme, quam æſtate alimenti ſumitur, propterea humores crudi eſſe debebunt, ſi tamen calor maior eſt hyeme quam æſtate, nam quæ proportio eſt parui caloris ad paruum cibum, eadem eſt magni ad magnum, vbi exceſſus cibi non erit. 3. eſt, alimenta per hyemen in vſum venientia magis pituitoſa ſunt, vt muſtum, ſuilla, rapa. At ſane vt clarum eſt calidiora hyeme ſumuntur, æſtate frigidiora; æſtate tẽperatius vinum, aqua gelida, olera, herbæ, fructus; hyeme vinum meracius, aromata, mel, & ſimilia.

9. *Vera reſponſio.*

Igitur his reſponſionibus refutatis in hunc modum à Rhoderico à Vega in comment. 29. in librum artis Medicæ, ipſe ſuam ſubiicit, omni ex parte, ni fallor, ſolidam; cum vnum contrarium à contrario oppugnatur ipſum in ſe colligitur; quare in hyeme, quæ frigida eſt, calor internus hominis in ſe coït, ſeſeque roborat; nihilominus externum frigus non ceſſat permeare meatus omnes corporis, ita vt externa primo valde refrigerentur duplici nomine, tum fugientis caloris ad interna, tum frigidi ab externo aere impreſſi. Interna vero, quantitate innati & ſubſtantifici calidi, calidiora redduntur, ſed interim à frigore penetrantis aëris nonnihil refrigerantur, in qualitate: quare viſcera hyeme, ſi conferantur ad ſeipſa per æſtatem, excedunt quantitate calidi; deficiunt qualitate; naturales vero functiones quantitate innati calidi perficiuntur, & ſic naturalia opera, coctio, chylificatio, ſanguinificatio, corporis nutritio, inſigniter promouentur. Quia vero

etiam

etiam tunc ventres qualitate caloris secundum intensionem minuuntur, sanguis quidem multus, at pituitosus gignitur; atque adsunt hyeme signa, refrigerati celebri; somnus prolixus, catarrhus plurimus; hepatis frigidi vrina subpallida; cordis frigidi pulsus tardus, paruus; ventriculi refrigerati, fames auctior, sitis minor: contra æstate, ob intensum, licet paucum quantitate, calidum, bilescit alimentum.

10. *Septëtrionales humidi, Australes sicci.*

Cur septentrionales humidi, Australes sicci? quia, vt de calido statim diximus, in illis cœli rigor cohibens meatus, humidum natiuum ad centrum cogit, in his vero: caloris ambientis exsuperantiâ, humidum totum vaporescit cum calore hiantibus poris: & vero in Australibus regionibus, vaccæ vbera licciora gestant; cum in septentrionalibus lactis copia distendantur, ac pene rumpantur, fidem facit Belgium, Hollandia, vnde tanta copia caseorum. Fortè obiiciet hic quispiam ventum, qui à meridie per æquatorem perflat, humidum esse; vnde & Auster dicitur, ab hauriendo; & Notus, ἀπὸ τῆς νοτίδος, ab humore, vnde & debere, qui ei propinquiores, humidiores pariter esse. Sed quis nescit Austrum nobis Europæis humidum esse, quia mare mediterraneum tranat, vbi nubes cogit; Afris siccum calidum; vt contra propter idem septentionalis ventus nobis siccus, illis humidus est? notat Aristoteles 3. de partibus c.8. nullũ insectum, piscem, aut animal, pẽna, aut squãma, aut cortice tectum vesicam habere, præter testudinem, in qua superficies, quæ obdensa præduraque est instar silicis, facit vt humor difflari euaporarique nequeat per carnem laxiorem, vt auibus, serpentibus, cæterisque opertis cortice euenit; vnde fit vt propter humoris retenti abundantiam, vas & conceptaculum requiratur. Num igitur septentrionales quia carnem habent constipatiorem, humidiores sunt?

11. *Septentrionales magni, Australes parui.*

Cur septentrionales procerosi, Australes parui? Quia incrementum fit à calido & humido, quod in illis abundat, in his deficit; neque vero aliunde oriri arbitror immanem ac nonnumquam portentosam aquatilium belluarum vastitatem, quam quod in elemento humido calidoque, calido, inquam, ob iugem motum accessus recessusque maris, ventorum agitationes, nascantur, atque adolescant. Francisco I. Regi Christianissimo oblatum est cete magnum, quem lebetem vocant, nongentarum librarum; atque omnes pisces celeri incremento perficiuntur ex Aristotele lib. 5. histor. cap. 10. Balænæ in Indico mari quaternũ iugerum, pisces ducenum cubitorum, locustæ quaterna cubita implent. Anguillæ in amne Gange tricenos pedes, in Gallico Oceano Physeter ingentis columnæ modo sese attollens, altiorque nauium velis, velis diluuiem quamdam eructat, ex Plinio lib. 9. cap. 2. 3. 4. sed hac de re iterum agemus l. 2. c. 1. art. 6.

12. *In Ægypto homines parui, animalia magna.*

Atque hic fortasse cuipiam cogitare veniet in mentem, cur in Ægypto homines quidem parui, animalia vero omnis generis maxima gignantur. Oues, capræ, quas Gezellas vocant, boues, equi, Asini, oues imprimis tam longis vastisque caudis insignes, vt ex vnius cauda vsque ad quinquaginta libras adipis exprimatur; hoc enim recte respondet Bodinus l.5. oriri ex Nili amnis

inundationibus, quæ terram fœcundans ad optima herbarum pabula profundenda vegeta scilicet & valde humida, quibus vescantur bruta; homines vero humore illo minus vtuntur, neque enim herbis vescuntur. Fateor vero in nonnullis regionibus Australibus, de iis loquor, quæ calidissimæ sunt, procerosos reperiri, quia licet modice calidi & humidi aëris tamen ambiẽtis frigore nullomodo arceantur, quẽ admodum aqua æstate plus feruet quam hyeme, & si hoc tempore vehementius concalefacta sit quam æstiuo, quia cum aquæ feruor bullarum elatio sit, bullas efferri æstate aëris calor nihil prohibet, prohibet vero hyeme ita Aristoteles.

13. *Septẽtrionales edaces, Australes parci cibi.*

Cur Septentrionales edaces, Australes parci cibi? nimirum, qui calidioris naturæ sunt, plus cibi appetunt, & conficiunt citius: qui vero frigidioris, multo minus: Sane lupus voracissimus est simul & calidissimus: argumento est quod, ex Plutarcho 2. Symposiacon, spiritum adeo feruentem & igneum habet, vt suo morsu teneram carnem reddat, ossa vero durissima emollit & conficit. Nos vero, quia hyeme intima calidiora habemus, multo copiosius cibum ingerimus, quam æstate cum intra frigemus, innato calore dilapso; sicut & flantibus Aquilonibus, cibi multo auidiores sumus quam flantibus Austris, propter eandem rationem probl. 45. sect. 26. vnde Hippocrates lib. 1. aphoris. 15. *Ventres hyeme & Vere natura*(, id est, innato calore,) *calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora alimenta copiosiora exhibenda sunt. Etenim tunc calor innatus plurimus est, vnde & pluribus egent alimentis. Indicio sunt ætates & Athletæ.* Et iterum aphor. 18. *Æstate & autumno cibos difficillime ferũt, hyeme facillime: secundum locum ver habet.* Fœminæ porro, quia maribus frigidiores, parcioris cibi sunt: Asini & Cameli sitim & inediam diutissime ferunt; & quidem Cameli duobus gibbis dorsum asperati, in arenti retorridoque Æthiopiæ solo, non nisi quinto quoque die, sæpe decimo quinto, adaquantur: ex Leone Afro. Porro vtrumque animal melancholia abundat, frigidissimo humore, qui difficillimè absumitur & exsudat. Imo etiam murium & mustellarum genera, talpæ, serpentes, glires totas hyemes sine annona, cibo & potu delitescunt, quia à calore maximè deseruntur, quod nonnulli Physici summa Dei bonitate factum notant, in serpentibus præsertim, & venenatis reptilibus, ne famis molestæ aculeis magis ad hominum perniciem proritarentur.

14. *Animalia nonnulla sine cibo hyemem transigunt & cur?*

Neque vero quisquam opponat, quasi in transitu, hyeme frigoris antiperistasi, ventriculorum, in his animalibus, calorem augeri debere, atque adeo vehementiorem cibi appetentiam excitari. Nam recte respondet Galenus, Medicorum omnium post Hippocratem scientissimus, in aphor. 15. iam dictum, animalia, quæ in latibulis degunt adeo parum calida esse, vt calor à frigore hyberno superetur, atque ita penè extinguatur; Quare plurima ipsorum similia mortuis apparent, cum sine sensu & motu in antris suis iaceant: quædam vero omnino frigore enecantur. *Omne insectorum genus minimo cibo contentum est, & prope ipsa sibi sufficiunt, non tam corporis exiguitate, quam frigiditate, quod enim calidum est, cibum desiderat & concoquit cito; frigidum vero,*

cibo

cibo carere facile patitur, sed omnium maxime cicadarum genus ieiunum est, satis enim iis alimento est humor, qui in corpore residet. 4. de partib. cap. 5. Non est autem prætereundum quod ab eiusdem Galeni doctrina proreplit, quod hominibus contingit frigida aqua lotis, id etiam animalibus accidere hyeme; contingit autem hominibus qui frigida perluuntur, si debile corpus habuerunt, refrigerari atque offendi; si vero robustum, primum quidem innatum calorem in interiora refugere, & sese colligere, postea vero ad exteriora remeantem, multo quam prius, fieri fortiores.

15. *Septētrionales obesi, Australes macri.*

Cur Septentrionales obesi, Australes macri? quia illi in cibum effusiores, vt iam dictum est: Accedit quod circunstans frigiditas regionum Septentrionalium intra cohibet humores omnes, qui tum in adipem concrescunt. Quare aues omnes & quadrupedia omnia hyeme obesiora visuntur: Tritum est & vulgare illud de Glire: tota mihi dormitur hyems, &c. Atque Aristoteles lib. 8. de histor. cap. 12. omnia animalia ait esse pinguiora, quæ de locis frigidis, quam quæ de locis calidis discedunt, vt coturnices autumno, quam vere, sunt pinguiores; Si terram complanes conculcésque pedibus, radiculæ ex copia alimenti, quæ propter soliditatem terræ euaporare non potest, amplitudine mira increscunt, ita Aristoteles sect. 20. probl. 13.

16. *Septētrionales robusti, Australes debiles.*

Cur Septentrionales robusti, Australes debiles? piget toties eamdem responsionem terere; Illi abundant calore genuino intra obsepto, largissimisque epulis reficiuntur; Isti frigidiusculi, & in cibo sumendo parciores: quæ causa quoque est cur hyeme multo validiores simus quā æstate. Accedit quod hi parui, illi staturosi sunt, nec staturosi modo, sed etiam bene compactis membris solidatisque artubus; præterea Australes minus somno indulgent propter regionis calorem; vacant minus exercitationi corporis, quam Septentrionales.

17. *Septētrionales candidi, Australes nigri.*

Cur Septentrionales colore candido, carne molli, fluxo capillo; Australes contra? Candent corporum extrema ex humoris & pituitæ exuperantia, quam vicini syderis vapor non torreat: Sic fæminæ viris candidiores, quia humidiores: nigricant Australes, quia solis intemperantia insitus calor forinsecus educitur, cutisque retorretur. Septentrionales pilosi sunt, fluxóque capillo, in causa est humor calórque copiosus, commodum omnino à natura comparatum Septentrionalibus præsidium ad frigus arcendum, scilicet quia humor calórque copiosus humanum corpus pilis obtegit vt plumis aues, quas calidas, seu, quod caloris consequium est, valde spirituosas esse ostendit adeo pernix mobilitas; humidas vero testatur aluus, quæ auibus mollissima est serosis humoribus in vesicam, qua carent, non receptis, (cum contra qui plus mingunt, ex diuerticulo humoris ventres præduras habeant) parum bibunt, parum sitiunt, quia earum pulmo exiguus est, & membranæ similis 3. de partib. cap. 6. præterea carent dentibus, qui cibum commolant, natura scilicet defectum oris, ventris calore rependit ac compensauit, lib. 3. de partib. cap. vltimo: & vero humidas esse valde consentaneum est, cum generis sui primordia ab aquis

sumpserint, vt innuit Ambrosius in hymno.

Magnæ Deus potentiæ,
Qui, ex aquis ortum genus,
Partim remittis gurgiti,
Partim leuas in aera.

Septentrionales fluxo capillo quia humidi, Australes duro vibratoque quia siccescunt, & propinquitate syderis aduritur capillus: At quod siccum est, idem durum est, & quod aduritur, si tenue est, deprauatur vibraturque.

18. *Septentrionales oculis cæsiis, Australes nigris.*

Cur Septentrionales oculis cæsiis, Australes nigris? respondet Aristoteles sect. 14. probl. 14. his verbis: *An reliqui corporis colorem oculorum color imitatur? itaque qui Aquilonem versus inhabitant, vt ipsi albo sunt corpore, sic oculos quoque cæsios habent (hic enim color prope album est) & qui ad meridiem sunt, vt ipsi nigri, ita oculos nigros sortiuntur.* Sed quam ipsemet rationem præmiserat, longe melior est; oculos scilicet caloris interni exuperantia cæsios reddi, eiusdem absentia nigros effici, cum humor priuatus calore, &, quod consequens est; luce, offuscari opacarique debeat; At Aquilonares calidi, Australes frigidi. Rationem hanc Aristotelomastrix Ioãnes Bodinus quasi inanem eleuat, quod Æthiope nihil siccius: Gotthis nihil humidius, non ergo nigredo oculorum humori adscribenda est. Sed attendere debuit Bodinus naturã oculi aqueã esse, imo nihil oculis humidius: quare non adeo siccos Æthiopes, quin oculis copiosum humorem concludant, qui calore luceque destituti opacantur; atque hanc lucis absentiam incõsiderate videtur prætериisse hic author. Stat igitur Aristotelis ratio: suus quoque locus ei detur, quam idem author attexit: Bilis scilicet atra copiosior est ad Austrum, pituita ad Aquilonem, hinc albescunt istorum, nigrescunt illorum, oculi. In quo etiam perspicitur summi opificis prouidentia, qui cæsios oculos obscuris regionibus, quales sunt sub Arcto, quos tenebræ iuuant, lux officit visui; nigros vero dedit conspicuis ac lucentibus terris, vt in Africa quæ perpetuis solibus illustratur, rarissimis nubibus offuscatur; etenim animalibus nocturnis, felibus, noctuis, & iis quæ dicũtur nyctalopes, oculi sunt cæsij, vt salicis frondes auersæ; at nocte clarius quam interdiu, vident, & ad lucem hebescunt, contra quam illis accidit qui oculis nigricant.

19. *Septentrionales voce graui, Australes clara.*

Cur Septentrionales voce graui, Australes clara? quia calor innatus meatus aperit, & amplificat, hinc grauis vox; frigus eosdem constipat, vnde vocis claritudo, verum hac de re copiosius, cum de voce lib. 4.

20. *Septentrionales fœcundi, non adeo salaces, cõtra Australes.*

Cur Septentrionales fœcundi, nõ adeo salaces, Australes salacissimi? Qui bile, siue flaua, siue nigra abundant, salaciores sunt, scilicet propter illius acrimoniam, & istius flatus & spumam, magnum libidinis stimulum patiuntur: hinc qui flatuosis cibis vtuntur, salaciores euadũt; Venus ex spuma nata. Olim sacerdotes Ægyptij castimoniæ amãtissimi omni sale abstinebãt, & insulso pane vtebantur. Columbæ adeo salaces, quia sale frequenter vtuntur; omnis autem humor melancholicus salsedini accedit. At Australes biliosi sunt, Septentrionales humore, caloreque duobus generationis principiis abundant: hinc pisces marini propter calorem humoremque

moremque maris fœcũdiſſimi, quare ouis abundant; quæ tamen edunt imperfecta, foris incrementum acceptura, vnde Gotthorum, Oſtrogottohorum, Gepidarum, Hunnorum, Cymbrorum, Lõgobardorum, Alanorũ, Burgundionũ, Anglorum, Tartarorum, Normannorum, Pictorum, Hedulorum, Sueuorum, Vvandalorum, numeroſiſſimi exercitus; quaſi exerta apum examina, niſi ex ſeptentrione prodierunt? & quidem Vvandali, Alani, Sueui in Hiſpaniam; Vvandali, Gotthi, Lombardi in Italiam; Burgundiones, Picti, Normanni, Gotthi in Galliam irruperunt, nec immerito Iordannes Aquilonem hominum vaginam vocauit: Olaus; eorumdem officinam. Atque obſeruatione digniſſimum eſt, quod prodidit Bodinus lib. 3. Theatri naturæ, in regionibus Auſtralibus mulieres quadruplo fere numero ſuperare mares; in regionibus vero Aquilonaribus virorum numerum aut ſuperare fœminas, aut illis exæquari. Ratio eſt quia, mares à robuſtioribus, fœminæ ab imbecillioribus procreantur. Sic Hercules fortiſſimus mares ſuſcepit ſeptuaginta duos, vnam tantum fœminam; Achabus rex Samariæ ſeptuaginta quoque mares; Gedeon quoque Hebræorum Princeps, ſeptuaginta & vnum, nullam omnino fœminam.

21. *Septẽtrionales obnoxij febribus.*

Cur Septentrionales obnoxij febribus, tumoribus, & iis ægritudinibus quæ à putredine oriuntur? quia febris eſt ardor internarum partium, & qui iam multum intra calent, facile; qui vero frigent, difficile inardeſcunt; Tumores vero humoris abundantia progignit; humor autem & calor putredinis ſunt primordia; hinc eſt quod cadauera, vt incorrupta ſeruentur, aut macerãtur aceto, quod frigefacit, aut cõdiuntur aromatibus quæ exſiccant: imò putredini diutius obſtãt ligna, quæ ſeneſcente, quàm creſcente aut pene iam erotundata luna cædũtur; quorũ ratio non eſt alia, quam quod ſenium lunæ humorem minuat, ſæpe etiam exhauriat. Pulmonis vlcera curari nequeunt, quia cum humidus ſit & calidus, laxuſque, cito putreſcit. Adde ſi lubet, quod quieſcere debet quod curatur; vnde illud Hippocratis; *pedis remedium, quies*; motus enim confluuium agit materiæ ſuperfluæ, quæ inflammationem excitat; at pulmo ſemper mouetur; aliam rationem adfert Prob. 31. lib. 2. Alexander.

22. *Auſtrales obnoxij lepræ.*

Cur Auſtrales obnoxij lepræ? quia atra bile abundant, lepræ parente: neque vero aliunde quam ex Auſtralibus regionibus in reliquas orbis partes propagata eſt lepra. Quare Punicus morbus appellatur. Teſtatur ſane Plutarchus ante Pompeium magnum Italiam leproſos non vidiſſe, quem morbum Ægypti peculiarem eſſe tradit; Argumento ſit, quod Moſes omnium antiquiſſimus ſcriptor de leproſis plurimas leges, Græci & Romani nullas tulerint; conſentiunt Leo, & Aluareſius: nobiles Hiſtorici; nam ille quidem ædes quam multas in Mauritania leproſis conſtrui, iſte leproſos Abyſſinorum cum populo verſari ſcribit, adeo vt vulgaris morbus videatur. Olim Iudæis ſuillæ carnes vetitæ; ſuum in Æthiopia maxima raritas ne leproſum animal maiorem lepræ perniciem vtriſque procrearet. Hactenus de corpore; ſed monitum te velim, non eſſe hæc intelligenda de eorum Septentrionalium corpore, qui polo omnino

ſubiecti

ſubiecti ſunt,hi namque ob ſummũ frigus maximamque aëris craſſitudinem, peſſimè omnino habent.

De Animo.

ARTICVLVS II.

23. Septētrionales læti, ſociabiles, &c. Auſtrales contra.

SEptentrionales ſunt læti, ſociabiles, liberales,minime maligni, ornatus negligentes, ad opificia, mathematicaſqu ediſciplinas aptiſſimi: Auſtrales vero contra triſtes, ſolitarij, parci, aſtuti atque infidi, timidi, crudeles, politiarum ſtudioſi,ad ſubtiliſſimas quaſque ſcientias ſedulo naturæ genio conficti,atque conformati.

Cur Septentrionales læti, ſociabiles, liberales; Auſtrales omnino contra? Quia illi ſanguinei, cum calore & humore abundent, ex quo ſpirituum copia naſcitur maxima; vnde ad lætitiam & hilaritatem procliues;hinc facilis aliorum cum aliis conuictus & conſuetudo, atque liberalitas. Auſtrales, quia atra bile perfuſi,ſubtriſtes, moroſi, ſolitudinis amantes, tenaces, & auari ſunt quemadmodum & ſenes, quia melancholici ſunt, triſtitiam frontis rugis præ ſe ferunt, & maxime parci aut etiam auari ſunt.

24. Auſtrales maligni, ſeptentrionales contra.

Cur Septentrionales minime maligni,Auſtrales aſtuti? ſcilicet non latet in vaſtitate corporis malitia, nec male olim Cæſar, vt iam diximus, Antoniũ & Dolabellam obeſiores minime verebatur; Brutum vero & Caſſium, à quibus occiſus demùm fuit, formidabat. Quo fit vt penè ab omni memoria Scythæ, Germani, Scoti, Heluetij,ad cuſtodiam principum fuerint adhibiti. Quare immerito Velleius Paterculus lib. 2.Germanos ſuggillat vt natam mendacio gentem. At Auſtrales, tum quia timidi, tum quia macilentiores & ſicciores, ad aſtutiam verſatileſque mores naturæ momento propendent ob ſpirituum ſubtilitatem.Et vero Liuius 3.decad. lib.8.dicit Afrorum gentem ad omnem auram ſpe mobili & infida mẽte exiſtere; & Virgilio 1. Æneidos, Tyrij (qui Afri ſunt)bilingues ſunt id eſt fallaces vt interpretatur Seruius.

Quippe domum timet ambiguam Tyrioſque bilingues

25. Septētrionales animoſi, Auſtrales timidi.

Cur Septentrionales animoſi, Auſtrales timidi? An quia Septentrionales magno & elato animo eſſe decebat, vt & grandi corpore ſunt vt vult Apianus in vita Alexand. lib. 1. Sed hoc Lycæum non ſapit: An quia animoſitas cum calore, & ſpirituum copia eſt?metus enim refrigeratio eſt; Quorum igitur ſanguis amplius feruet, robuſtiores ſunt,& animoſiores. Sect. 10. problem. 19. An quia ſanguine abundant Septentrionales, Auſtrales deficiunt? At exanguia omnia animalia ſanguineis timidiora ſunt, ac mota ceſſant præ nimio metu,vt apes,& formicæ,& excremẽta emittunt præ metu: nonnulla etiam & ſuos colores immutant,vt Cameleõ, & Polypus:Imo & Cameleon omniũ ouiparorum tenuiſſimus & maxime meticuloſus eſt propter maximã ſanguinis,(eſt enim pene exanguis) caloriſque inopiam.Hic vero nimius metus cauſa eſt cur adeo multiformis efficiatur, ex Ariſtotele cap.11. lib. 4.de partib. Ac rectè Vegetius monet eligendos eſſe tyrones Septentrionales,nõ Auſtrales,quia cũ ſanguinem exiguum ſe habere nouerint,metuunt vulnera.In hãc ſententiam

tentiam conſpirat quod Septentrionalium ſanguis fibroſus ſit, Auſtralium dilutior; *Quorum autem animalium ſanguis*, vt habet Ariſtoteles 2. de partib. cap. 4. *fibris admodum multis & craſſis, refertus eſt, hæc terrena amplius conſtant natura, ideo animoſa, iracunda, ac proinde furibunda ſunt: Ira enim calorifica; Solida autem, firmioraque omnia cum calefacta ſunt, vehementius, quam humida calefaciunt; fibræ vero ſolidæ terrenæque ſunt; Itaque quaſi fomenta in ſanguine efficiuntur, feruoremque per iram accendunt: Ex quo fit vt Tauri & Apri, animoſi iracundi furibundique ſint; Sanguis enim eorum fibris refertior, eſt, & quidem Taurorum ſanguis omnium celerrime coit, & dureſcit; At ſi fibras detraxerit, ſanguis non coit:* Hactenus Ariſtoteles. Nonnulli apud Cœliũ Rodiginum lib. 8. cap. 20. Saturno acceptam referunt meridianorum timiditatem, ſicut Martis planetæ Septentrionalium ardorem belli, & animi præſtantiam, quando iis ſydera huiuſcemodi influere ac præſidere exuberantius videantur, ſed de hoc lib. 3. Sane, quod mirum eſt, ſemper imperia à Septentrione verſus meridiem propagata; nam Aſſyrij Chaldæos, Medi Aſſyrios, Græci Perſas, Parthi Græcos, Romani Pœnos, Gotthi Romanos, Turcæ Arabas, Tartari Turcas fregerunt. Romani vero vltra Danubium excurrere noluerunt, Traïanus quidem extruxerat ad Belgradum ſeu Albam Græcam, vt in Tranſyluaniam tranſiret; Attendens vero gentem nec facile vinci, nec facile acquieſcere victam, deſtrui mandauit. In Anglia vix Scoti poſt mille & ducentorum annorum pugnam deuicti Quid referam Hunnos, Scythas Vandalos, Tartaros, Normannos, Moſcouitas, qui ſæpe in Aſiam, Europam excurrerunt victricibus ſignis?

26. *Auſtrales crudeles.*

Cur Auſtrales crudeles, & quidem ſtabili crudelitate? Sane Pœni impalationes, exoculationes, palorum traiectiones, excoriationes, & alia id genus crudelitatem exſuperantius ſpirantia ſupplicia inuenerunt. Nihil atro bilioſo, vbi excanduit efferatius eſt; nihil ad mentis ſanitatem tardius reuocatur, cum atra bilis quaſi craſſiſſima fæx, tenaciſſime hæreat, & perturbationes quæ illi inſident, tenaciſſimæ ſint. Adde quod plerumque rabie infeſtantur, nec frequentius vſpiam gentium deſtinata rabioſis domicilia reperies, quam in Africa.

27. *Auſtrales ornatus curioſi, Septētrionales contra.*

Cur Septentrionales ornatus negligentes, Auſtrales contra politiarum ſtudioſi? An quia hi molles & effœminati, illi feroces, vt vocat Maternus lib. 1. cap. 1. & maſculo animo perinſignes? Politiæ fœminas decent, viros non item. An quia horum corpus, vtpote macilentius ad leporem & politias magis à natura conformatum eſt? Apud Abyſſinos ex Franciſco Aluareſio, mucorem vel ſputum excreare pro inſigni flagitio habetur.

28. *Septētrionales ad mathematicas nati.*

Cur Septentrionales ad opificia & mathematicas, Auſtrales ad ſubtiliſſimas quaſque ſcientias aptiſſimi? Quia illi imaginatione, cuius commoda temperies caloris poſcit abundantiam, Auſtrales contra vi intellectus, cuius præſtantia in ſiccitate poſita eſt, præpollent. Heraclitum dicere, ſolitum aiunt: *In luce ſicca habitat ſapientia*; hoc eſt, in ſpiritibus luminoſis ac ſiccis poſitam eſſe ingenij vim, & iudicij acrimoniam: Quis vero neſcit Septen-

trionales nunc temporis in mechanicis omnibus præstantissimos esse. Quis ignorat Clauios? quis Copernicos? quis Tichonem Brahe non nouit? à quibus profecta ars fusoria, tormenta Bellica, hydrographia, atque alia mechanicæ inuenta nisi à Germanis? Australes contra summos nobis Medicos & summos dedere Philosophos.

29. *Australes prudẽtiores Septẽtrionalibus.*

Cur Australes prudentiores Septentrionalibus? An quia sanguinem habent frigidiorem & tenuiorem, contra Septentrionales calidiorem, fibris multis crassisque refertum; qua de re consulendus Aristoteles 2. de partibus cap. 2. *Est certè,* inquit, *roboris efficacior sanguis, qui crassior est & calidior, vim autem sentiendi intelligendique obtinet pleniorem, qui frigidior atque tenuior est; Hoc idem discrimen in iis quoque habetur, quæ sanguini proportione respondent, quamobrem apes atque huiusmodi animalia ingeniosiora multis carentibus sunt, nec non inter ea, quæ sanguinem habent, ingeniosiora suis contrariis sunt, quæ sanguinem habent frigidiorem & tenuiorem.* Græca vox apud Aristotelem est φρονιμώτερα, φρόνιμος autem prudentem, prouidum, consultum, ingeniosum significat: An quia Australes timidi: An quia in cibo & potu temperantiores; at timor prudentiam conciliat, temperantia ingenij aciem acuit, quæ omnia plana fiunt alio loco, cum de corporum magnitudine lib. 2. c. 1. cum timore atque temperantia, paulo supra disputamus. An, vt verbis Aristotetelis vtar 14. sect. probl. 15. *eadem de causa, qua etiam senes, quam iuuenes sapientiores sunt, etenim qui sedes frigidas habent, frigore loci obsistente longe calidiores, quam sint natura, redduntur. Itaque vinolentis similes esse admodum videntur, nec ingenio valent, quo prospiciant, rerumque rationes inquirant, sed fortes, fidentes, sperantésque sunt; contra qui loca calida habitant sobrij sunt, quia possunt satis refrigerari, fit autem quaque in re, vt qui metuunt, magis quam qui confidunt, velint inquirere; itaque magis valeant inuenire;*

Hæc de Australiũ prudentia ita à nobis dicta sunt, quod ex aëris temperie, cœlique genio vt plurimum ita contingat: cæterum in mentem reuocari debet quod ait Nazianzenus orat. de Episcopis, Asinus etiam Constantinopoli Asinus est.

Septentrionales Dextram, Australes sinistram mundi partem obtinent.

ARTICVLVS III.

30. *Mundi partes secundũ varios variè describuntur.*

Differentiæ loci tres sunt; suprà & infra, ante & retro, dextrum & sinistrum; quæ vnde oriantur dicemus lib. 3. cap. 6. conueniũt proprie animatis, reliquis vero nostro tantum respectu. Astronomi quia obuertunt se ad Æquatorem, vbi rapidissimus motus ad stellarum cursus notandos, dextram cœli constituunt Occidens, sinistram Oriẽs, anticam Meridiem, posticam Septentrionem; Idem dico de Romanis Auguribus, qui, ad Meridiẽ respicientes, Auguria captabant, vnde illis læua fulmina, vt pote ab Oriente, fœlicia censebantur, & Cicero lib. de diuinat. *Fulmen sinistrum optimum habemus, præterquam ad Comitia,* & Ennius.

Cum

Cum tonuit læuum bene tempestate sonora.

Et Virgilius 2.Æneidos.

——————— *Subitoque fragore*
Intonuit læuum,& de cœlo lapsa per auras.
Stella,facem ducens,multa cum luce cucurrit.

Geographi vero,quia,vt terræ situm describant, altitudinem poli intuētur, dextram ponunt in Oriente,sinistram in Occidente, posticam in in Meridie,Anticam in Septentrione; apud vtrosque Zenith,pars superior, Nadir, inferior; Geographis consentiunt Græci vnde apud illos dextra fulmina fœliciora habita sunt propter eandem rationem, qua sinistra apud Romanos; vt pote quæ essent ab Oriente, quam ipsi mundi dextram partem appellabāt. Sol cum dexter est, auroram, cum læuus, noctem gignit, inquit, Orpheus;Id est in ortu diem, in occasu noctem. Verum apud Aristotelem locus superus in cœlo est ad polum Austrinum, inferus ad Septentrionalem;pars dextra in Oriente, Sinistra in occidente, Antica in nostro hemisphærio, postica in altero; quod vt facilius capias, finge tibi magnum Gigantem, cuius caput sit in Antarctico, pedes in Arctico polo, dextra in oriente, sinistra in occidente; ita autem, hunc Gigantem imaginatus est Aristoteles,quia motus naturalis est à dextra in sinistram, motus autem cœli est ab oriente in occidentē, vnde oportuit vt dextra in ortu,sinistra in occasu fingeretur, hoc vero cum sit, caput, vt patet, in Antarctico, pedes in Arctico,sunt constituendi.

31. *Cur Septētrio dexter.* Denique poëtæ, vt sydetum occasus notent, vertunt se ad occasum propterea illis Septentrio dexter est,Meridies sinister,vnde illud Lucani l.3.Pharsaliæ.

Ignotum vobis Arabes venistis in orbem,
Vmbras mirati nemorum non ire sinistras,

Et Ouidius 2.Metamorph.

Neu te dexterior tortuum declinet ad Anguem,
Neue sinisterior pressum rota ducat ad axem.

Anguis vero ad Septentrionē est,ara ad Meridiē;Ac probatissimi authores, Cleonides,Empedocles;Philo, Solinus, poëtarum sententiæ calculum adiecerunt; & quidem recte Meridius sinister, Septentrio dexter censetur.Propter multa, quæ intercedunt affinitatis argumenta; scilicet calidiores, grossiores,robustiores sunt partes dextræ, quia cordis os, quo spiritus effunduntur, vergit dextrorsum, & quia directe Hepati respondent; certum enim est quod obseruauit Ioannes Tardinus, partes quæ sibi è directo respondent omnis generis influxus, tū salutares, tum morbificos sibi communicare; vnde si caput ex vtero dolet, vertice dolet; si ex ventriculo, frons, si ex Iecore, dextrum latus; ex liene, sinistrum; ex renibus, occiput, brachia, crura; sed vt ad rem nostram redeam, qui Aquilonem inhabitant tum calore, tum robore, atque etiam magnitudine Australes superant, quare recte dextram mundi partem occupare existimantur; præterea Iecur, nobilissimum membrum concoctionis gratia contributum,præcipuum sanguinis organum, venarum, principiū,naturalis virtutis fons, dextrū est, Lien parte læua situm, laxum, molliusque spongiæ quadam imagine,vt facilius crassiorem sanguinis

fœculentiam perpurget, & melancholiam excipiat. At Aquilonares sanguinis multo largioris, facie rubicundiores, ad hilaritatem propensiores; Australes melancholici, subtristes, pallidiores; partes dextræ sæpe sinistris superiores vt supercilium dextrum, & inter renes dexteri: pars vero terræ habitata septentrionibus subdita eminentior est, quo fit, vt Aquilones sæpius spirent quam Austri, vt ait Aristot. sect. 26. prob. 16. plerũque in dextra parte mares cõcipiuntur, fœminæ in sinistra; ad Aquilonem virorum numerus magnus est; ad Austrũ abundant fœminæ: vt iam diximus. Motionis primodia à dextra sumuntur; argumento sunt omnes qui sinistra solent onera baiulare, quod studio huiusmodi faciunt, dextra enim mouet, sinistra mouetur; ne enim impulsus infringatur, aut retardetur, onera non parti mouenti sed mobili sunt imponenda; hinc etiam fit vt, cum dextra parte cubamus, somnus citius irrepat, cum enim priuatio motionis fit, tunc facilius conciliatur, cum velut initium quoddam resurgendi detentum obligatumque habemus, vt philosophatur Aristoteles sect. 6. prob. 5. atque idem Philosophus l. de incessu Animalium c. 4. notat in hanc eandem sententiam, qui subsultim vno mouentur pede, facilius id facere in sinistris quia dextrum mouere natum est, moueri sinistrum, at vnde tot bellorum motus? vnde Gothorum & cætera bellica examina nisi ex Septentrione prodierunt?

De iis, quæ mediana incolunt, nationibus.

ARTICVLVS IV.

32. *Quæ natura medianarum regionum.*

MEdianæ regiones, vt ait Cœlius, hinc calore, hinc frigore contemperatæ, ad habitumque imprimis congruum reuocatæ; tum promptiora promunt ingenia, tum sapientiora, tum imperiis præcipue adnata factaque, ac veluti Iouis stella inter Martis feruentissimam & Saturni frigidissimam stellam media currens temperatura: Eadem ratione inter Septẽtrionales & Meridionales, ab vtraque parte mixtionibus temperatas insignesque habent laudes, quæ in meditullio iacent regiones: hic temperatum cœlum, modicus corporum habitus, magna humorum Isonomia seu æquabilitas florentis coloris gratia & venustas, ritus humaniores, ingenia fœcunda totiúsque naturæ capacia; hinc sapientissimi Legislatores, æquissimi Iudices, Philosophi subtilissimi, principes Mathematici, disertissimi Oratores, præstantissimi Poëtæ, summi Imperatores prodierunt. Septentrionales corpore quàm mente; Australes mente quàm corpore valentiores. Hinc illi ad imperia armis subigenda non administranda; isti ad administranda, non subigenda nati sunt: Et verò licet innumeri à Septentrione exercitus ad medianas regiones descenderint, vix tamen parta, armorum vi, regna tenere potuerunt. Qui in medio iacent, corporum membris, animorumque vigoribus probè affecti, & viribus satis pollent ad prorogandum

dum imperium, & animi prudentia ad retinendum; illis Meridianorum cogitationes & versutias, hac Aquilonarium furiosos impetus refringunt. Quid florentius imperio Assyriorum, atque Græcorum? Quid potentius Romanorum Monarchia? At Assyria, Græcia, Italia mediastinum locum obtinent.

33. *Comparatur totum vniuersi Reipublicæ.*

Quo fit vt commodè omnino Ioannes Thomas Fregius orbis vniuersi statum Reipublicæ comparet, in qua sunt senes, qui consulant, prudentes, qui regant; robusti, qui exequantur; sicut est mens in nobis quæ monet, Ratio quæ iubet, sensus, veluti satelles, mandata exequitur. Ita in hac mōdana republica, Australes sapientia, Septentrionales, robore, mediani pollent prudentia; sapientia in contemplatione; prudentia in actione, robur in effectione est. Australes sicci & frigidi, senes; Septentrionales humidi calidi, adolescentes; medij quasi calidi sicci, viros referunt. Atque hæc cum successiuis mundi conuersionibus conueniunt: nam primis duobus millibus annorum, sapientia homines præstiterunt, cœlestes motus perscrutati sunt: duobus sequentibus, leges sancitæ, constituta mandata, Respublicæ floruerunt. Denique à Christi morte variæ artes, tunc primo cognitæ, opificia reperta, bellorum motus concursionesque ingentes Gotthorum & cæterorū extiterunt.

De Orie͂talibus & Occide͂talibus.

ARTICVLVS V.

34. *In quo differant*

Orie͂tales ab Occide͂talibus.

ORientales regiones sunt quæ ad Molucas insulas Orientis principium; occidentales vero quæ ad Insulas fortunatas, Occidentis terminum accedunt. Atque his duobus quasi finibus totam mundi latitudinem veteres Geographiæ Antistites sunt complexi. Porro in eodem parallelo siti populi, Orientales, & Occidentales, licet cæteroquin omnia consimilia sint, magno discrimine dissident: nam

Primò: Illi temperatiori cibo vtuntur, vt Galatæ in Asia, quam Cāpani in Italia cum enim Orientalis regio non adeo montosa sit ac Occidentales, copiosius benigni syderis gaudet defluuiis. Argumento est, quod aromata & odora omnia ibi concrescunt; At quæ odora sunt, humoris bene concocti sunt: contra quæ olida, & fœtida, crudi & incocti, qua de re consule Aristotelem, sect. 14. problematum.

Secundò: Orientales ingenio, Occide͂tales corpore præstantiores; quod copiose tractatum reperio à Ioanne Thoma Fregio; nam cœli temperies & clementia multo apud illos maior, quam apud istos; ex quo ingeniorum nascitur diuersitas. Celtæ innumerabiles copias in Asiam, Græciam, Italiam duxerunt, numquam Itali in Gallias penetrare ausi sunt, nisi cum confirmatum habuerunt imperium; Et quidem Cæsare duce: verum tunc intestinis dissidiis ardebat Gallia, hinc laudes Ciceronis, & Agrippæ in Cæsarem, quod eas gentes domuisset, quarum impetum Romani sustinere vix possent, lacessere non auderent; Itali Græcos, sine sui offensione, vicerunt. Græci summa facilitate Asiam Alexandro duce peragrarunt victoriis; in Italiam quidem irruperunt Pyrrho duce, at turpiter fugati. Scribit Tacitus

Batauos, qui ad occaſum, extrema Germaniæ tenent, omnium ferociſſimos eſſe, confirmat Plutarchus in Mario.

Tertiò: Orientales multo molliores, ſegniores, & in luxum deliciaſque effuſiores; quod ex eadem quoque cœli temperie manare verum eſt, quæ, vt experimur vere, atque ineunte æſtate, maximum eſt ad delicias irritamentum. Sane Indos & Perſas otioſos vocabat Socrates, teſte Æliano de varia hiſtor. lib. 10. c. 13. de Pigritia: *Socrates*, inquit, *dicebat. Sororem libertatis eſſe Pigritiam: teſtes huiuſce rei fortiſſimos maximæque libertatis populos adducebat, Indos & Perſas, qui vtrique ſegniſſimi.* Medos, molles vocat Xenophon in Cyropædia lib. c. 6. Item Virgilius Arabes lib. 10. Georgicon.

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.

Accedit Claudianus de quarto Honorij conſulatu,

Vt Medus, te mollis Arabs, te Seres adorant.

Atque ex hac mollitie & otioſitate oriri etiam arbitror, quod apud Aſianos virorum numerus fœminarum numerum non exæquet. Notum apud Indos, cum nemo non ſit vxoratus, vnius eiuſdemque plures eſſe vxores; atque olim nonnullos Scythas magnates ridebat Hippoc. lib. de aëre & aqua, cum filias tantum ſuſciperent, maſculæ prolis ſuſcipiendæ gratia, Ioui ſacrificia offerrent; *Otio diffluitis*, inquit, *ſemper, aut ſedetis, aut equo vehimini*, quid mirum? torpet natiuus calor, excitandus eſt exercitiis, ad mares procreandos. Hoc Philoſophiæ arcanum ignorabat Pharao; qui Iudæis quorum maſculam prolem in dies ſemper augeri ægrè ferebat, laboris penſa augebat: quanto enim magis affligebantur oneribus, tanto magis creſcebant; nec, niſi quia laborioſiores, tenuioris fortunæ homines, plures filios quam filias ſuſcipiunt.

De iis qui loca montoſa incolunt.

ARTICVLVS VI.

35. *Conditio Telluris multum facit ad corporum varias affectiones.*

REcte Cardinalis Cōtarenus lib. 2. de elementis, cum quæſiſſet, cur in Lybia tantum inueniantur Æthiopes, hoc eſt homines facie nigra & aduſta, in reliquis locis eiuſdē paralleli, minime: Illud inquit, puto eſſe in cauſa quod præcipuum eſſe reor ad cōmoditatem incōmoditatemve regionum omnium, qualitatem ſcilicet & conditionem ſubiectæ telluris, an ſcilicet ſit plana vel montoſa, an rigetur fluuiis, an contra arida ſit, an ſaxea, an arenoſa, an pinguis ſoli; nec omittendum quibuſnam ventorum flatibus ſint expoſiti, vnde ferantur venti, quibus perflantur an à locis vliginoſis, feruentibus, an calidis. Hæc enim omnia multum immutant regionis temperiem. Atque hinc oritur, quod in Libya ſint Æthiopes, quia ibi arenoſa terra, nulli fontes, vnde per reuerberationem aër multum calefit, in locis proximis non ita; ſunt igitur magno nobis penſiſitanda examine locorum diſcrimina; à montoſis auſpicandum.

36. *Qui in locis montanis, robuſtiores &c.*

Qui loca montoſa incolunt, robuſtiores, ſicciores; audacioris, & concitatioris animi, coloratiores, tardius ſeneſcunt, acutioris ingenij

nij quam in locis inferioribus.

Cur robustiores? quia locis apertis montosisque aër purus propter frequentem venti afflatum, agitationemque habetur: At huiusmodi aër, spiritus, qui Philosophorum certatim & Medicorum decreto, aëre potissimum constant, vberrima copia progignit. Sane aues, quia longius à terra subuolant & liberiori cœlo vtuntur, quadrupedibus quæ terræ affixa pascuntur, multo spiritibus abundantiores, vt testatur pernix in volando mobilitas, & quod nulla earum venenosa sit. Accedit quod montes, multo frigidiores campis, quo fit vt hirundo, auis calidissima, non modo ad faciliorem volatum (vt enim in profundissimis gurgitibus, quam in breuibus, facilius natatur; ita in altissimo, quam in infimo aëre, facilius volatur) sed etiam ad refrigerationem captandam longissime à terris subuolet. At frigus extrinsecus ambiens constringit, constipatque corporis meatus, nec calidum patitur vaporescere, vt suprà ostensum est; hinc igitur tori, hinc masculum robur montanorum hominum & bestiarum. Hic repetenda memoria eius, quod dicit Aristoteles lib. 9. histor. c. 29. iam supra relatus, initio huius capitis.

37. *Sicciores, audaciores.*

Cur sicci? an quia ventorum quibus afflantur assiduè siccior natura est? an quia quem spirant aërem, vaporibus, quos camporum vligo progignit, multo perpugatior est?

Cur audaciores & turbulentiores? torosos lacertos, masculumque robur consequitur audacia. Adde quod montana ventorum flatibus frequentissime agitantur, magnum omnino, vt post dicetur, ad vehementiores animi impetus adminiculamentum. Quid dicam de montanis Arabibus, quibus (tantum abest vt sub iugum mitti potuerint) Turcæ quotannis sexaginta aureorum millia persoluunt, ne Damascenum & Palestinum agrum infestent. Ligures montanos Diodorus, duros & agrestes, Liuius 3. Decade lib. 7. durum in armis genus vocat. Cicero cõtra Rull. Ligures montani, duri atque agrestes, inquit, docuit ager ipse, nihil magna cultura, & magno labore quæsitum. Tritum illud; Sine Marsis, qui sunt veteres Apennini incolæ, omnium Italorum ferocissimi, nemo triumphauit.

38. *Colorati.*

Cur bene colorati sunt? An quia meliori valetudine vtuntur, quam qui in cauis & inferioribus locis habitant? sunt enim sicciores, at in siccitate, multo maius quam in humiditate est ad cõmodam valetudinem momentum, teste Hypocrate Aphoris. 15. lib. 3. *Ex anni autem constitutione* inquit, *in vniuersum siccitates imbribus sunt salubriores, & minus mortiferæ*; nam vt explicat Galenus, siccitatibus superfluæ humiditates egeruntur, per imbres autem intra corpus collectæ, putrescunt. An quia loca commode aspirata, coloris præbere hilaritatem possunt? cum contra pallidos humor efficiat, vt pote qui putrescat, quod euenire immobilitatis causa solet. Quamobrem subpallidi sunt, qui loca palustria colunt.

39. *Tardius senescunt.*

Cur tardius senescunt, qui loca mõtosa, edita, apertaque colunt, qui autẽ caua & palustria ocyus? respõdet Aristoteles sec. 14. probl. 7. *Quia senectus putredo quædam est, putret autem quod quiescit; nullomodo, aut minus ita afficitur quod mouetur; vt*

aqua profluens & conclusa. Igitur vt locis editis aër vndique à flante vento agitatur, ita in cauis manet immotus. Ad hæc locis apertis, purus ac diuersus assidue ob agitationem aër habetur; palustribus impurus, idemque semper, quare marcessit.

40. *Acutioris Ingenij.*

Cur acutioris ingenij? an hoc, vt fit à nonnullis apud Cœlium lib. 10. cap. 20. localium dæmonum afflatibus tribuendum est? fabulæ. An loci qualitati, permixtæ ex multis, atque occultæ, vt sentit Longinus, sed qui ita sentit, quid sentiat, nescit, quando res occulta sciri non potest. An hoc in cœlestes aspectus & influxus referendum est, vt ait Origenes, quam in sentẽtiam vocatus videtur à Platone, qui 8. de Republica, scribit cœlestes quosdã circuitus esse causas fertilitatis ac sterilitatis tam corporum, quã animorũ; fateor, causam assignat, sed nimis remotã. Quare Panætius meo iudicio rectiùs in aëris tẽperiem reiicit, qui, quoniam purior, subtilior, sicciorque est in solis mõtanis & editioribus, multo quoque puriores, & subtiliores spiritus progignit, quod enim crassum, tardum est: quod humidum, graue; vnde panes non saliti, salitis; calidi, frigidis, grauiores; quia humidiores. Alexander Aphrodis. Panætio consentit; cum animam ait hoc spirituum instrumento aptissimo vti ad actiones suas, aëremque qui naribus trahitur, extenuatum in corde ascendere ad cerebrum per arterias, alimentumque offerre sese illi spiritui æthereo & animali, quem, quasi corporis animæque vinculum, naturas oppositas copulare, & suo familiari interuentu conciliare & continere censet. Addit, quamdiu hic spiritus constans atque integer est, animum rectè expediteque intelligere, & omnibus suis fungi muneribus: At tum à natura sua desciscit spiritus, cum leuiter refrigeratur, indensatur & incrassatur, vnde fit vt animus segnius agat; Sed si nimium refrigeretur, fiatque corpulentior, efficit vt animus suas penitus actiones deserat: contra si immodice caleat, sæuire, insanireque cogit. Neque ex alio capite nasci existimo ingeniorum diuersitatem quam ex istius animalis instrumenti varietate, si sermo sit de causa proxima, suffragatur huic dicto experientia; nam Scoti ingenij acie commendantur, at Scotia, maxime ea quæ Septentrioni propior est, frequentes montes habet, sterilior est, sulfure abundat, carbonibusque fossilibus, ex quo magna cõsequitur aëris puritas. Armeni eadem de causa subtilioris ingenij sunt, at quis porro est, qui dum nubilum est, crassiorque aër non sentiat retundi ingenij sui aciem; dum verò purior & nubibus depurgatior, non sentiat quasi acui & denubilari mentem.

41. *Quomodo habeant qui decliuia montium incolunt.*

Ad calcem hic adnotandum est, qui decliue montis, versus Septentrionem incolunt, melius multo habere quam qui versus Austrum habitant, nam cum frigidus, siccusque ventus sit Aquilo, omnes corporis consumit superfluitates, robur addit, eo quod adstringat, & in vnum cogat partes omnes; quamquam nonnihil nocumenti adfert, exiguum tamen illud est, si cum Austri incommodis conferatur, vt notauit Galenus in Aphor. 17. l. 7. quem quidem Aphorismum, quia illustri enũciatur perspicuitate; nullaque indigere videtur interpretatione, hic scribere satis superque fuerit. *Quotidianæ constitutiones*

Aquiloniæ

Aquilonia cogunt corpora, firmiora & agiliora, coloratiora & melius audientia faciunt, & aluos exsiccant, oculos mordent, & si pectus dolor aliquis prius obsederit, dolorem augent, Austrina diffundunt corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita aggrauāt, & vertigines faciūt, oculis atque corporibus difficilem motum præstant, & aluos humectant. Auster etiam fœdi halitus causa est, quia putredini valde opportunus est vt ait Aristoteles sect. 26. probl. 18.

De locis variis, Apertis, Aridis & fertilibus.

ARTICVLVS VII.

42. *De iis qui aperta incolunt.*

DE iis qui loca aperta incolunt, idem omnino sentiēdum quod de illis, qui montosa; cum penè eadem sit vtrobique aëris temperatura. Sunt igitur concitati animi, bene colorati, acutique ingenij; & tarde senescunt.

43. *De iis qui arida loca incolunt.*

Qui aridas, difficiles, sterilesque regiones incolunt, quia tenuiorem, nec adeo vliginosis incrassatum vaporibus aërem spirant, atque tenuiori vtuntur alimento, ad mōtanos accedunt, iisdemque affectibus obnoxij, maximeque acutioris ingenij nomine celebrantur. Sane, vt de cęteris taceam, de Atheniensibus Seneca ita loquitur ex Cestio lib. 1. Suasoriarum c. 2. *Omnibus sua decora sunt, Athenæ eloquentia inclytæ; Thebæ sacris; Sparta armis.* Philo Iudæus in libro cui titulus est, quod omnis probus liber; *Athenienses ait, me iudice, acutissimi hominum; quod enim in oculo pupilla, in anima ratio, hoc Athenæ sunt in Græcia.* Martialis tenues Athenas vocat, ob aëris subtilitatem quæ ingeniorum aciem acuebat.

——— *Tibi cor limante Minerua*
Acrius, & tenues finxerunt pectus Athenæ.

Aristoteles prob. & sect. 20. cum quæsiisset, cur in terra Attica fructus dulcissimi sunt, respondet, quod ager Atticus tenuis siccusque sit; Quare quæ in eo nascuntur, non multum humoris continent; hinc fit vt facile concoquantur, & qui lege naturæ suæ dulces sunt fructus, solis calore dulciores euadunt.

44. *De iis qui loca fertilia incolūt.*

Eæ vero regiones, vt cum Alexādro ab Alexandro loquar, quæ cœli clemētia & affluenti copia gaudent, sensu hebetes & obtusa mente plerumque homines gignunt. Ita enim parens natura siue ille effector mundi Deus comparauit, vt vbi rerum vbertas est & copia, ibi bonarum artium studia sæpe, & ingenia desint.

Cuius rei ratio in aëris crassiorem temperaturam reiicienda est; vbi enim rerum vbertas & copia, ibi pingue & adiposum solum, crassiores cibi, maiorque ingluuies ex quibus crassus sanguis, ex crassiori sanguine crassiores tardioresque spiritus gignuntur. At ingenij nobilitas, & mobilitas ex mobilitate & tenuitate sanguis spirituumque dependet vt iam diximus. Spiritus enim tenuis per sesuscipit phātasmata: quare exactius suscipit, prompte permeat totum cerebrum, vbi idola seu phātasmata contemplanda continentur. Præterea quia instar tenuis aquæ, vel lucidi speculi spiritus tenuis manifestat rerum imagines.

Denique regionis fertilitas multa vitiorum irritamenta subministrat;

ad mollitiem, inertiam, voluptatem excitat, quibus nulla poteſt eſſe maior animorum ingeniorumque corruptela. Perſæ, aliquando, vt refert Plutarchus in Apophthegma. cũ montoſam regionem nauſeantes in amœnos molleſque campos ſecedere vellent, negauit Cyrus id ſe paſſurum, *quia*, inquit, *vt plantarum ita & hominum mores, & ingenia, regionum quoque ſimilitudinem trahere ſolent*; & naturale eſt, vt in mollibus locis molles proueniant, vt multis oſtendit Tiraquellus in 7. legem connubialem. Et vero Campania, vt reliqua omittam, ob ſoli vbertatem luxu & libidine affluens, Hannibalem illecebris ſuis complexa, vincendum Romano militi dedit ipſeque mollitie ſua potius quã vi hoſtium deuictus eſt.

Loca paluſtria, marina

ARTICVLVS VIII

45. *In locis paluſtribus corporũ magnitudo maior.*

QVi in locis paluſtribus incolunt, corporis magnitudine ſuperant, aridarum regionum incolas; ſic Bataui, Friſij & qui ad Rheni oſtia proceroſiores ſunt reliquis Germanis; cauſa euidens ſupra diſputata nimirum humoris luxuria; præterea, vt de Thebanis communiter iactatur, pinguioris & obeſioris ingenij ſunt ob aëris craſſitiem qua mens obnubilatur. Maturius ſeneſcunt; quia humidus aër citius putrefit, Senectus autem putredo quædam eſt. Accedit fœdus color & morborum copia ex humorum putrefactione: obſeruat philoſophus ſect. 14. probl. 6. vbi craſſior eſt aër, vlcera capitis curari celeriter poſſe, crurium autem tarde, quia humor, vtpote terrenus, grauis eſt, omne autem graue tendit deorſum, vnde vt vlcera ſuperiora concoctioni ſunt opportuniora, quoniam humor ad illa delabitur, inferiora ipſa multo excremento putrefactuque facili redundant; Vltimo denique tardiores ſunt & ſomnolentiores locorum paluſtrium incolæ, quia magis in locis paluſtribus refrigeramur, refrigeratio autem, cum requies quædam ſit, ſomnum nobis conciliat, qui inter quieſcendum ſolet accidere. ita Ariſtoteles ſec. 14. probl. 11.

46. *Loca Marina.*

Loca marina ſemper humido calore tepeſcunt propter maris viciniã, quod propter continuam, tum acceſſus receſſuſque, tum ventorum agitationem, & propter immenſam calidarum exhalationum copiam, quam altiſſimis ſuis gurgitibus coërcet, valde calidum eſt. Accedit pingue eſſe mare, quod docent multæ experientiæ quas Macrobius 7. Saturn. cap. 13. commemorat; & patet corpora difficiliùs in mari ſubmergi, ibique veſtes ablutas fieri ſordidiores, ignémque potius accendi quam extingui aqua marina, niſi affatim coniiciatur quod pinguedini adſcribendum eſt, omne vero pingue calidum eſſe in confeſſo eſt. Accedit pinguedini ſalſedo, quæ duo adiuncta reliquis efficiunt, vt mare æſtuarium eſſe putes. Itaque cum ventorum agitationibus & tempeſtatibus vapores marini proximis terris afflent, nihil mirum ſi ipſas calidiores aſſeramus.

Cæterum de locorum marinorum accolis nihil peculiarius habeo dicendum, niſi quod iam de calidis humidis regionibus ſupra dictum fuit: Attexo tamen quod Plato 4. de legibus ſolerter annotauit, vrbes

vrbes & regiones maritimas solere male esse moratas; nam cum mercibus, inquit, & pecuniis cauponando repleantur, dolosos animos pariunt: vnde parum ipsæ ad seipsas, & minus ad alias gentes, fidem & amicitiam stabilem colunt.

Loca ventosa; Confusio populorum.

ARTICVLVS IX.

47. *De locis ventosis.*

QVi in regionibus ventosis inhabitant, ad iracundiam pro pensiores sunt, ferociores, & concitatioris animi, vt ait Plato 3. de legibus, corpore minores, quam qui in tranquillis. Quod minores sint, clarum est, quia ventus, saltem vt plurimum, indurat; At quod durum est, idem quoque siccum est, siccũ vero, crementũ impedit; hinc Aristoteles lib. 5. hist. cap. 16. ait spongias, quæ altis tranquillisque insunt gurgitibus, mollissimas esse, quæ vero in Hellesponto duras, quia fluctibus, & tempestatibus agitantur.

Ferociores & ad iram propensiores sunt: quia spiritus præcipuum animæ instrumentum aëris frequenter similitudinem trahunt. Deinde quo quisque corpore, eo etiam & animo iactantior est, propter miram conspirationem harmonicamque proportionem, qua corpus & anima congruunt, vt loquitur Fernelius, hinc fit vt Marocenses, quam Ægyptij, Circasij, quam Galli, Hispani, quam Bactriani, ferociores sint, quamquam in eodem parallelo constituti. Atque inter Gallos prouinciales maxime concitati, turbulentique sunt, quia frequentioribus & vehementioribus ventis, ac maxime Circio, qui flat ab ortu æstiuo, & est oppositus Coro, infestantur. Hinc quoque fit vt nautæ tantam barbariem & ferocitatem induant, nec mente raptentur secus, quam nauigia retinaculorum prorsus expertia; contra quo quisque corpore, eo etiam animo quietior est; animus enim sedendo fit sapientior, vt ait Aristoteles.

48. *Confusio populorum.*

Denique vt de confusione populorum aliquid attingam, omnes Septentrionales sibi quam valde assimiles; omnes aut maximam partem, calidi sunt, humidi, proceroſi, &c. Meridionales quoque inter se valde similes, nam pene omnes frigidi, sicci, macri, debiles; At qui mediana incolunt, mirum in modum dissimiles spectantur, quia qui ad extremas mundi oras, & margines habitant, in vmbilicum terrarum ob maiorem cœli clementiam commigrarunt, ibique stabili tenore domicilium posuerunt; nam illi numerosissimi exercitus Normannorum, Gepidarum, & similium in medianis constiterunt; vni ex omnibus Vandali in Africam penetrarunt, sed citissime deiecti, expulsique: Romani in multas mundi partes colonias duxerunt, numquam tamen in Scythiam; Arabes numquam in Tartariam, at in Galliam & Hispaniam. Atque ex hac indiscreta variorum populorum permixtione nata est spectabilis illa varietas, qua, qui in Medianis sunt regionibus, alij ab aliis diffident. Hinc etiam fit, vt in Africa accolæ Senegæ Borealis, hinc quidem parui & cineritij coloris; illinc vero nigri & magni corpore sint. Quod non est referendum in varios cœlorum influxus, cum Cardano, sed

cum Scaligero exercit. 226. ad variam originem prosapiámque maiorum, qui aliunde eas in regiones aduentarunt.

Variæ ætates: principium decimum.

CAPVT XVII.

1. Quid ætas, & quæ diuisio.

QVi cuique ætati mores conueniant, Aristoteles in Rhetoricis fuse disputat: Quæ ego in domesticam Physiognomorum supellectilẽ vindicanda censeo. Corporis temperies annorum decursu varie immutantur, & prono variarum immutationum decliuio in interitum præcipitant; atque illud vitæ curriculum quo temperies sponte frangitur, mutatúrque, ætas appellatur; Quam, ne varias sententias morer, hîc quadrifariam diuido, in pueritiam, adolescentiam, virilem seu florentem ætatem, & senectutem: cum Aristoteles in iuuentutem, virilitatem, senectutem diuiserit; & iuuentute pueritiam & adolescentiam complexus sit.

Puerorum mores.

ARTICVLVS I.

2. Pueri leues, verecundi.

PVerorum temperies est summus calor & humor, cum abundent vtroque vitæ principio quæ calore constat, & humore pascitur, vt ait Aristoteles sect. 3. probl. 7.

Sunt autem pueri, leues, verecundi, mendaces, misericordes, ad risum procliues, iniuriarum tolerantes, iocosi.

Leues: quia nondum corroborata, ætate, ratio, sed propter humiditatem adhuc infirma, & quasi aquis obruta; hinc naturæ Nuntius Aristoteles 1. Politic. cap. 8. vt supra retulimus ait eum, qui natura seruus est, nullam consultandi habere facultatem, mulierem, imbecillam, puerum, imperfectum. *Stultitia est colligata in corde pueri, virga disciplinæ fugabit eam.* inquit Sapiens Prouerb. 22.

Verecundi; est enim verecundia metus infamiæ, seu turpitudinis: pueri vero quia cupiditatum efferuescentium æstu abripiuntur, atque valde infirma ratio est, multa admittunt, ex quibus erubescunt; Ac propterea solers parens natura recto consilio teneriori ętati verecundiam impressit, frænum veluti potentissimum, quo à vitiis retraheretur: Verum & malæ prolis parens est erubescentia, nimirum mendacij; cum mendacij sipario, sæpe pueri turpitudinem velare contendant. Sed de verecundia iterum art. sequenti.

3. Misericordes, ad risum procliues, &c.

Misericordes: nam ij ad misericordiam procliues sunt, qui bene de aliis existimant, eosque probos putant; quare indignum putant eos male conflictari: At pueri suo ex ingenio mores alienos iudicant, suóque innocentiæ modulo metiuntur.

Ad risum procliues: quia admiratio risum parit, ignorantia admirationem: At magna ignorantia laborat hæc ætas, ideoque admirationis plenissima. E philosophiæ studiis hoc inprimis vtile & præclarum duci aiebat Plutarchus lib. de audiendis Poëtis, μηδὲν θαυμάζειν. admirationem, vt hoc addam parergon,

gon,

gon, vitium aliquando nuncupauit lib. 2. de Ordine cap. 14. Sed retractauit l. 1. Retractationum c.3. inter doctissimos summe humilis Augustinus. *Iniuriarum tolerantes:* neque enim eas ob imperiti animi imbecillitatem iniuriarum loco ponunt.

Iocosi: quia molles propter rationis infirmitatem, mollis quippe est, qui vincitur à quocunque dolore,cumque quantum potest fugit. Quid est autem ludus, quem adeo ambiunt pueri, nisi animi remissio & cessatio quædam, seu requies à laboribus, vt ait Aristoteles. Reliquos multos affectus hic sileo,qui ipsis cum adolescentibus communes sunt, quos statim recensebo. Hoc vnum dico ex Fabio, *Tenacissimi sumus eorum quæ primis annis arripuimus*,vnde ætas illa ad discendum aptissima est; *discimus ocyus iuniores*, inquit Aristoteles sect. 30. prob. 4. *quia rem ferme nullam tenemus, cum enim res plerásque scimus, non æque præterea capere alias possumus; quomodo etiam meminisse melius ea valemus, quæ mane primum percepimus.*

Adolescentium mores.

ARTICVLVS II.

4. *Adolescētes cupidi, incontinentes, &c.*

Adolescentes valde cupidi,quãquam cito sedatur hæc eorum cupiditas;Incontinentes sunt seu libidinosi, iracundi, liberales, spe pleni, fortes, Imprudentes, Amicitiæ delectabilis studiosi; leues & inconstantes.

Adolescentes inflammati sunt cupiditatibus, quia ætas illa multis indiget; calida est, vt & pueritia. Sed non adeo humida; At cupiditatis stimulus calor est. Hinc fit vt ad libidines, quæ totæ calore constant, naturæ momento propendeant,sintque incontinentes: At incontinentiam ex Aristotele 1. Moralium cap. 3. sequitur pœnitudo, nam cum satisfactum est cupiditati, quia tunc cupiditas non agit,nec stimulat,remotus est obex, atque adeo ratio suæ dominationi restituta libere operatur,quæ à malo agendo reuocat: quod enim dormienti affert expergiscentia, ægroto, conualescentia; ebrio, vini digestio; furioso, rectus mentis status;In incontinenti efficit saturata cupiditas:nam tunc quasi discussis nubium obicibus, rationis fulgor emicat.Et vero cito fastidium eos capit rerum, quas appetiuerunt; quod ex eo manat,quod acutæ valde & vehementius inflammatæ caloris incendio sint eorum voluntates: At quod acutum vehemensque est,diuturnum esse nequit; vnde dolores calidæ podagræ, quia vehementiores, breuiores multo quam frigidæ. Ex hoc eodem calore oritur quod in cibo & potu intemperantes sint; eo quippe multum indigent ad crementum, conseruationem, atque restaurationem. hinc Paulus ad Titum 2. *Iuuenes hortare vt sobrij sint*; & quia calidi sunt & humidi,ideo inebriati immingunt potius, quam senes, qui sicci sunt, Ita Aristoteles sect.3.prob.33.

5. *Iracundi ambitiosi liberales.*

Iracundi sunt: quia in calido corpore facile efferuescit sanguis, felque inflammatur, At ex iracundia contentiones manant & rixæ. *Ambitiosi sunt*, quia calidioris temperiei vi, & facultate acti, non nisi alta cogitant; hinc victoriæ quæ exuperantia quædam est, cupiditas procreatur. *Liberales* sunt: neque

enim vnquam egestates experti: quãobrem etiam liberaliores sunt, qui hæreditario iure facultates à parentibus acceperunt, quam qui eas proprio labore & industria sibi compararunt.

6. *Spe pleni.*

Spe pleni sunt; de quo videndus D. Thomas 1.2. quæst. 40. artic. 5. & 6. quia nondum spe frustrati sunt, & vix difficultatem qua res obuelantur, per inexperientiam, cognitam habent; At spes, est rerum, quas arduas & operosas quidem putamus, non adeo tamen vt non possint debellari. Deinde, vt ait Aristoteles, in iuuenibus calor eam continet sedem, qua speramus, cor videlicet, vbi sedem habet appetitus irascibilis, ad quem pertinet spes. Accedit multa ipsis esse speranda, nam spes futuri temporis est, vt memoria præteriti; At acta ætas adolescentibus breuis est: quæ restat, longa est. Refero & hanc spei abundantiam ad copiosum calorem, cuius ab opposito signo est, quod, qui timent, frigescant, Imo & totis artubus contremiscant, propter recessum spirituum ad cor; & quia spei abundantiæ, calorisque feruori fortitudo accedit, ideo & ad animi robur singularemque audaciam nata est hæc ætas. An forte & ad hoc ipsum plurimum confert quod cum necessitates vitæ, non sine magna molestia comparentur, frangant autem molestiæ animos, & ad demissionis humilitatisque maturitatem erudiant, ipsi harum necessitatum penitus sunt expertes? Psalmo 42. & alibi in scriptura iuuentus idem est quod exultatio.

7. *Non prudentes.*

Minime prudentes sunt; propterea quod prudentia maxime experientia comparatur, at præ ætatis tenuissimæ experientia, quæ non comparatur nisi temporis longitudine, paucissima norunt. Sapientes igitur in nonnullis esse possunt, prudentes non possunt. Ita Aristoteles lib. 6. Moralium cap. 9. deinde cum prudentia, teste D. Thoma, constet memoria, intelligentia, docilitate, solertia, prouidentia, ratione, circumspectione, cautione, & quidem memoria, solertia, docilitas & ratio ad prudentiam acquirendam requirantur; Intelligentia vero, prouidentia, circumspectio & cautio ad ipsum actum prudentiæ; spectent; manifestum est adolescentes neque memoria, nil enim adhuc viderunt, aut tractarunt; neque intelligentia, neque prouidentia, neque circumspectione, aut cautione præditos esse posse.

9. *Virorum indoles.*

Hæc vt plurimum vera sunt, negari tamen non potest nonnullis contingere, quod ait Persius Satyra 4.

Sunt quibus ingenium, & rerum prudentia velox,
Ante pilos venit.

Et hoc in Ascanio laudat Virgilius

Ante annos animumque gerens, curamque virilem

Pindarus Demophilum vocat annis Iuuenem, consiliis senem: Marius Iunior anno ætatis 20. vt ait Plinius de viris Illustribus c. 68. Valerius Coruinus anno 23. teste Liuio decade 1. l. 7. Consules facti, & quidem meritorum suffragio: quãquam nonnisi quadragesimo tertio ætatis anno Consulatum capere liceret.

8. *Amicitiæ delectabilis studiosi &c.*

Amicitiam delectabilem maxime quærunt, quia cito labentis æui damnum non experti ætatem habent lasciuiusculam, in qua familiariter aliis conuiuere, colludere, & congredi ob delectationem petunt.

cunt. Verùm amicitia delectabilis, sicut & voluptas diuturna esse non potest: sola enim honesta, quam iungit virtus, vt & ipsamet virtus, diuturna est. ita Aristoteles 8. Moralium cap. 3. & 6. *Leues & inconstantes sunt:* immo proprius & naturalis adolescentiæ morbus est inconstantia; oritur autem ex vario passionum impetu, quibus obnoxia est ætas prudentiæque defectui.

Virorum mores.

ARTICVLVS III.

9. *Virorum Indoles.*

VIri vtpote in media ætate constituti, calore, non adeo generoso ac adolescentes, humido, non adeo exsumpto, ac senes, indole moribúsque futuri sunt medij, atque ad omnem virtutis mediocritatem, dempta exsuperantia, atque deficientia passionum; quæ iuuentutem & senectutem attingunt, conformati. Quapropter à virtute vir dictus est, vt ait Augustinus: modice creduli sunt, liberales, magnanimi, amicitiæ honestæ cupidi, nec valde fidentes, non valde metuentes, continentes; horum omnium rationes dicere supersedeo, quod ex superioribus nullo negotio intelligatur: est autem diligenter aduertendum quod Aristoteles 2. Rheto. c. 14. obseruat, corporis viriditatem triginta & triginta quinque annis circumscribi: animi vero vigorem trigesimo & vnde quinquagesimo anno quod consonat iis, quæ à Medicis de mira numeri septenarij facultate prædicantur.

Senum Mores.

ARTICVLVS IV.

10. *Senum mores, quæ temperies.*

SEnes timidi, suspiciosi, prudentes, loquaces, auari, vix affirmant de re vlla misericordes, cupidi vitæ, amicitiæ vtilis studiosi sunt, præteritorum laudatores, præsentium contemptores, iam videndæ rationes: Senectus sicca est & frigida; recedit enim maximè à vitæ primodiis, quæ humore caloréque constant: apud Græcos nomen ipsum Senectutis terram sonat, vt, notauit, Aristoteles l. 5. de Gener. animalium cap. 3. τὸ γῆρας ἐστι, quasi γηρὸν, quamquam siccam nonnulli frigidamque esse contendant: sed soluo; Senes humoris radicalis priuatione, maxime exsucci & extremè sicci: at humore aduentitio & excrementitio maxime humidi; hinc tam frequentes catharri, & copiosæ excreationes; Ætas quadrupedis dignoscitur, si cutis maxillis prætenta retrahatur, & mox relaxata illico in suum redeat locum; hoc enim indicium recentioris quadrupedis est; veteris, contra, si diutius rugata maneat, quod ex siccitate oritur: temperiem hanc senectutis consulto ante omnia retuli, quod pene omnium, quos recensui morum, sit procreatrix; igitur.

11. *Senes Timidi &c.*

Senes timidi sunt, quia timor frigori affinis; at qui timidi sunt, suspiciosi quoque sunt, cum suspicio sit abiectio animi, & timor mali: suspiciosi vero in deteriorem partem vt plurimum omnia interpretantur, nisi forte quod senes suspiciosi sint, seu fraudes timeant, ex eo contendas oriri, quod constitutum

tum habeant nemini facile fidem habere, cum magno rerum vsu, quam humanus ad fraudes incli-net Genius, quamque sæpe ipsi circumuenti fuerint, satis intelli-gant.

12. *Prudẽtes.*

Prudentes sunt; quippe Galenus l. quod mores animi temperamentum corporis sequantur, prudentiam ex siccitate cerebri, vt ex humiditate dementiam, oriri affirmat. præterea multarum magnarumque rerum experientia prudentiæ conciliatrix est, quâ quidẽ experientiâ cum polleant senes, quid mirũ si prudẽtia sint illustres? hinc Ecclesiastici c. 6. dicitur, *in multitudine presbyterorum* (seu seniorum) *prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde adiungere: Nihil est profecto homini prudentia dulcius*, inquit Tullius Tusculana 1. *quam, vt cætera auferat, affert certe senectus:* & vero cum prudentia in Magistratu maxime requiratur, nulli apud Lacedæmones ad præfecturam admittebantur, nisi senes; vnde Magistratus γέροντες, id est senes, & curia γερουσία vocabatur; quid apud Romanos fieret, docet Ouidius 5. fastorum

Nec nisi post annos patuit tunc Curia seros,
Nomẽ & ætatis mite senatus habet:

Nimirum, vt ait Pindarus, refert-que: Plutarchus in Lycurg. Consilia Senum iuuenum hastæ; neque vero opponas debilis esse memoriæ Senes, cum hæc facultas humiditate gaudeat:

——— *Prima languescit senum*
Memoria, longo lassa sublabens situ.

Seneca in OEdipo; sanè enim vix recenter quidquam memoriæ mandare possunt, cum simulacra rerum non adeo facile sicco subiecto imprimantur; at quæ semel in florenti ætate impressa sunt, ea tenacius perseuerant; verum hæc copiosa rerum multarum memoria loquacitatem senilem interdum prouocat.

13. *Illiberales &c.*

Illiberales sunt; nam, ob periculum sæpe ea de re factum, nouerunt quam arduum sit quærere, amittere facile, imo si Senecæ credimus epist. ad Lucilium, *cætera vitia cum senescente homine senescũt, sola auaritia iuuenescit*; &, vt addit Asculanus, semper virides frondes seruat, At Terentius in Adelphis

Vitium hoc commune omnium est,
Quod nimirum, ad rem in senecta attenti sumus.

Et iterum ibidem.

Ad omnia alia ætate sapimus rectius.

Solum vnum hoc vitium senectus affert hominibus, Attentiores sumus ad rem omnes quam sat est. Nec immerito Aristoteles lib. 4. cap. 1. Ethic. prodigalitatem auaritiæ præfert, quod ætatis maturitate ad frugem veniat liberalis; auarus in peius labatur, prodigus saltem aliis prosit; auarus, nec sibi, nec aliis; prodigus, potius stultus videatur quam improbus; Auarus, inter improbos pessimus; senectus, & impotentia omnis, auaros facit; timent enim senes, & impotentes, ne si sibi bona desint, omnique careant subsidio. *Vix affirmant de re vlla*; sæpissime ambigunt; verentur enim ne, vt sæpe retroacta ætate, fallantur, quamque pronum sit falli, probe norunt.

14. *Iracundi, misericordes, &c.*

Iræ infirmæ sunt; nam calore deficiunt. Sanè iracundi sunt, vt patebit ex sequentibus: atque ex incerto autore Bellicarius procliuitatem

hanc ad iracundiam, ex vini similitudine illustrauit;

Parua cadis vini reliqua est quæ portio, acescit,
Portio Melliti, quæ fuit ante, meri.
Sic totam exhausit qui vitam, est pronus ad iras
Ipse suo tandem tristis acore senex.

Misericordes: nam cum timidi sint, eadem mala quasi suis impendentia ceruicibus, formidant: qui vero ita affectus est, facile sollicitatur animo; & angitur malis alienis quasi suis; atque cum senes & iuuenes (quo nomine pueros & adolescentes complector) laude digni sint, quod vtrosque calamitosorum misereat, magis tamen laudandi adolescentes, quod honestiore causa moueantur; incommoda enim calamitosorum adolescentes mouent, quod omnes ament, neque quemquam afflictari vellent, omnes probos existiment; quapropter iniuria laborare molestiis opinantur; quod maximum est misericordiæ incentiuum; At senes, nisi sibi parem fortunam metuerent, non facile angerentur:

15. *Cupidi vitæ, morosi, &c.*

Cupidi vitæ: Scilicet vt stomachus cibum, cum multum habet, fastidit; cum paucum, appetit; At senes, vitam quam habent, breuem futuram esse sciunt, tum propter ætatis inclinantis præcipitantiam, tum ob morborum frequentiam; cum virium imbecillitate coniunctam; &c. imo vt ait Gregorius homil. 1. in Euangelia; *Etsi languor desit senibus; ipsa sua salus ægritudo est.*

Quo etiam fit vt morosi, iracundi, minime faceti reddantur. Hinc ad amicitiam minime idonei inquit Aristoteles lib. 8. cap. 5. nam cum molesto & moroso versari potest nemo; natura enim quod molestum est, fugit; quod iucundum, est appetit. Hinc etiam fit vt queruli euadant. *Amicitiæ quæstuosæ & vtilis studiosi sunt*, quia iis maximè egent amicis, à quibus maximis auxiliis in emortua atque imbecilla ætate iuuentur. *Pigri*, propter frigiditatem & ætatis onus: & rectè Nazianzenus, senectutem vocat Siculis scopulis grauiorem; imo & Ætna, inquit Cicero; ac merito ludere possis, vocando, senem, segnem, & seniorem, segniorem.

Præteritorum laudatores, præsentium contemptores. Tacitus lib. de Oratoribus. *Vitium appellat malignitatis humanæ, vt vetera semper in laude, præsentia, sint in fastidio:* & Velleius Paterculus; *nos semper*, ait, *præsentia, inuidia; præterita veneratione prosequi; his nos, obrui; illis, instrui*, Verum hoc vitium maximè senio adhærescit, vt notauit Horatius in Arte Poëtica, vbi multa de senibus.

Multa senem circumueniunt incommoda, vel quod
Quærit, & inuentis miser abstinet, ac timet vti,
Vel quòd res omnes timide gelidéque ministrat,
Dilator, spe, longus, iners auidúsque futuri
Difficilis querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor, castigatórque minorum.

Et Cornelius Gallus:

Laudat præteritos, præsentes dispicit annos
Deficit auditor, non deficit ipse loquendo.

Et Virgilius lib. 8. Æneidos de Euandro:

Q *O mihi*

O mihi præteritos referat si Iuppiter annos,
Qualis eram, cum primam aciem Præneste sub ipsa
Straui?

At quænam ratio? An quia iam impotentes vt bonis præsentibus fruātur, quemadmodum olim præteritis licebat frui? An quia hinc sibi authoritatem conciliare volunt? An quia malorum præteritorum obliti, & afflictati præsentibus, peiorem de præsentibus quam præteritis temporibus existimationem concipiunt?

Principium vndecimum: varij status.

CAPVT XVIII.

NON est hic animus singulos status longa prosequi oratione; nonnullos duntaxat perstringam, vt quomodo Physiognomo vsui esse possint, facile omnibus pateat.

Principum Mores.

ARTICVLVS I.

1. Plus amāt, quā amātur: misericordes, &c.

PRincipes, plus subditos amant, quam à subditis amentur, licet subditorum in principes charitas maxima sit: misericordes, grauis tamen iræ, vbi fuerint exasperati, non timidi, sed fortes, magnanimi, magnifici, non dissimulatores.

Princeps mirificè amatur à subditis, quia caput est Reipublicæ; subditi, membra; quis vero nescit quanta industria, quātóque affectu membra capitis salutem tueantur? *Sanè decet timeri Cæsarem*, aiebat Seneca, *at plus diligi*; princeps verò plus subditos amat, quam à subditis ametur, ratio est, quia princeps ad conseruandam pacem iustitiámque administrandam à Deo institutus est; cuius rei insigne est gladius, quem portat, ad laudem bonorum, vindictam malorum. Atque vt medici sunt ægrotantibus seruatores: ita Reges iis, qui iniuriam patiuntur; quod porrò bonum est cum pace & iustitia æquiparandum? Inter illustres igitur beneficos numerandus est princeps, vt illustrissimus & inter beneficos summus, At benefici maiori amore complectuntur eos, de quibus bene merentur, quam ab eis amentur; cuius ratio apud Aristotelem est multiplex initio lib. 9. Ethic. primùm, quilibet magis diligit opus suum, quam ab eo diligatur; quod in parentibus manifestum erit infra artic. 4. Præterea honesta est beneficij collatio, at acceptio vtilis duntaxat, honestum vero maiori illecebra, quam vtile, amorem proritat. Addo bene mereri difficilius esse quam beneficium accipere, quod autem difficilius, hoc ipsum multo gratius est: de Commodo quidem Imperatore, M. Antonini filio, tradit Sextus Aurelius atrociorem eum fuisse in eos, quos amplissimis honoribus, donisque in gentibus extulerat; sed hæc sæuitia oriebatur ex eo, quod hæc humani generis pernicies ab omnibus sibi metuebat, atque ab iis maximè qui potentiores essent. Facit ad hunc amorem principum erga subditos probandum, quod ipsi subditis eodem sint loco, quo parens filiis, nihilque interest, vt ait Xenophon, inter principem bonum, & bonum

patrem;

patrem; quis verò non nouit tritum illud boni principis elogium, parens patriæ? quæ quoque magnus parens est; quare qui ei nomen imposuit non temere patriam nominauit, vocabulo quidem à patre deducto, pronuntiato tamen fœminina terminatione, vt ex vtroque parente mixtum esset, & patriam vnam ex æquo, vt vtrumque parentem, colendam insinuaret; quod si patriæ parens est, sane & cuiusque subditi parens quoque habendus est princeps.

Misericordes; quia valde subditos amant, & eorum proprium est.

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Nonnihil ad hanc rem facit quod obseruat Ambrosius l. 5. Hexaëmeron cap. 21. *Apibus autem Rex naturæ clarus insignibus, vt magnitudine corporis præstet & specie, tum quod in Rege præcipuum est, morum mãsuetudine: nam etsi habet aculeum, tamen eo non vtitur ad vindicandum: sunt enim leges naturæ, non scriptæ literis, sed impressæ moribus, vt leniores sint ad puniendum, qui maxima potestate potiuntur.* Rex Assuerus scribens 127. Prouinciis, quibus imperabat, aures principum simplices vocat, & ex natura sua alios æstimantes. Aureliano Imperatori adagium erat, quo maior, eo placabilior:

Grauis iræ vbi exasperantur; quia grauior est ira, quo grauior est iniuriæ existimatio; at principi, quia maximus debetur honor, non potest ipse iniuriam grauem non existimare. *Non dissimulatores*; hoc enim timidorum proprium. *Magnifici*: beneficia quasi imbrices beneficiis tegunt, ne perpluant. *Magnanimi*; ad omnia enim illustria sãguinis generositate, & nobilitate vocantur. est enim in principibus, vt ait Petrus Damiani, apex nobilitatis. Occasione Principum, si quis à me Tyrannorum mores petat, vno verbo satisfacio. Tyrannis est omnis iniustitiæ iniquitatisque compendium: disciplina quidem imperandi, vt ait Cassiodorus l. 9. Epist. 9. est amare quod multis expedit, at Tyrannus vni sibi studet.

Diuitum Mores.

ARTICVLVS II.

2. Diuites superbi, &c.

DIuites superbi, contumeliosi, auari, facile irascuntur, non sunt timidi, inuidi sunt, non adeo misericordes, ad multa vitia propensi *Superbi*; rectè Augustinus; *Difficile est vt non sit superbus qui diues est, tolle superbiam diuitiæ non nocebunt*; & Ecclesiasticus cap. 21. domus, quæ, nimis locuples est; ananullabitur superbia, & Paulus 1. ad Timoth. 6. *Præcipe diuitibus huius sæculi nõ sublime sapere:* Superbiã inflammat quod ea re præ cæteris abũdent, quæ maxime apud homines existimatur, & propter quam ipsi maximi fiunt ab omnibus. Res peruulgata; cum Hieronis Regis vxor interrogasset Simonidem, vtrum diuitem an sapientem esse præstaret, subito respondit, diuitem; se namque videre sapientes ad fores diuitum præstolari, non diuites ad sapientum fores. *Contumeliosi* quia sibi omnia impune licere arbitrantur præ multitudine diuitiarum, quibus insolescunt: Auari sunt seu diuitiis inhiantes, nam quisque quod habet amplificare consueuit, maximéque inardescit in id, quod, quam com-

modum sit, nouit; quemadmodum delicatos cibos ardentius appetit nemo, quam qui semel gustauit. *Facile irascuntur*; quia superbi; cumque ira ex contemptu, vel incommodatione siue veris siue existimatis nascatur, facile se contemni arbitrantur, quia nimios honores à mediocris, infimæque conditionis hominibus expetunt. *Non sunt timidi*; habent enim quibus iniuriam propulsent: quo fit vt timidissimi sint pauperes, & qui viribus sunt imbecilles: facit ad hanc rem Petronius.

> *Quisquis habet nummos secura nauigat aura;*
> *Fortunámque suo temperat arbitrio*
> *Multa loquor; quiduis nummis præsentibus opta,*
> *Eueniet; clausum continet arca Iouem*

Plautus pecuniam vocat animam, quasi rerum omnium animam, omniúmque negotiorum neruum. *Inuidi*; superbiæ proles inuidia est: *Non adeo misericordes*: quippe qui malorum carent experientia, quæ misericordiæ parens est vt diximus supra cap. 13. art. 10. & vero qui diuturna valetudine tentati sunt, quia ægrotationis incommoda experti, ægrotantibus maximè ex commiseratione opitulantur; *Homo indigens misericors est*. Prouerb. 19. vers. 22.

Denique ad multas prauas labes propensi sunt diuites; sunt enim, vt aiebat Isocrates, census, vitiorum potius, quam virtutum ministri, licet, ex æquo vtrorumque esse possint; Verum quia voluptatem citius quam rationem audimus, fit vt vitiorum instrumenta sint frequentius quam virtutum. quare Chyronem interrogatum quid essent diuitiæ, respondisse ferunt, Thesaurum esse malorum, calamitatis viaticum, improbitatis adminiculum; Cæterum in diuitibus ab omni æuo testimonij fides laudata est; vnde testes magnæ fidei, & authoritatis, appellantur testes locupletes. Cicero 3. de officiis. *quem locupletiorem quærimus testem, quam principem populi Romani, qui retinendi officij causa cruciatum subiit vltro*; & apud eundem, locuples author, & locuples tabellarius, pro fide digno accipitur. Aristoteles in Topicis: Opulentos, inquit, viros dignos quibus credatur putamus, ratio est, quia non æque, ac pauperes, spe lucri ad id, quod turpissimum est, nempe veritatem deserendam, iustitiamque falso testimonio prodendam impelli possunt. *Egentissimo, omnia cum pretio honesta videntur*, inquit Salustius in bello Iugurthino; quare Calistratus Iurisconsultus monet diligenter inquirendum, num testes pauperes sint, an locupletes, cum illi lucri causa facile ad periuria subornentur; recte enim Silius.

> ——— *Sceleri procliuis egestas.*

Plura hac de re Franciscus de Mendoça in Viridario l. 8. saturnaliorum decade 2. cap. 4.

Nobilium Mores.

ARTICVLVS III.

NObiles sũt cupidi honoris, iracundi, minime timidi, audaces, ingenio præstantes, liberales; nõ loquor hic de nobilitate fortunæ, quę in diuitiarũ posita amplitudine, præstigiaria tandem verè nobilitatis imago

3. Cupidi honoris, &c.

imago eſt, ſed de nobilitate generis, quæ in maiorum claritate poſita eſt, quam animus excelſus, & ad illuſtria quæque natus conſequitur; ac recte Socrates interrogatus quid eſſet nobilitas, reſpondit, animæ & corporis bona temperies; ſunt igitur nobiles cupidi honoris, nam quiſque quod habet amplificare ſtudet; nobilitas autem maiorum illuſtri claritate, prægnantique honorum cumulo, ab eis per traducem ſanguinis propagato gaudet: ex hac honoris cupiditate fit, vt glorioſius ſupra alios efferant ſe, ſuaque prædicent. *Contemptor animus, & ſuperbia commune nobilitatis malum*, vt ait Saluſtius de bello Iugurthino: quapropter Gregorius in dialogis, *Nobilitas corporis interdum mentis ignobilitatem parit. Iracundi*; nã Iracundia cupidis honoris adhæreſcit; vt ſupra diximus; ex iracundia lites, vt ſcintillæ ex fornace, emicant, quod optime expreſſum veteri verſu.

Nobilitas factum, faſtus litem parit, armat.
Lis odium; capiunt hæc tria mortis iter.

Cæterum qualis ſit magnatum iracundia expreſſit Ouidius 3. Triſtium Elegia 5.

Quo quiſque eſt maior, magis eſt placabilis iræ,
Et faciles motus gẽs generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni,
Pugna ſuum finem, cum iacet hoſtis, habet,
At lupus, & triſtes inſtant morientibus Vrſi;
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.

Audaces; nam fortes creantur fortibus, parentemque proles iiſdem ſimilitudinis notata veſtigiis referre conſueuit. neque nobilem fecit eũ, à quo generis familiæque nobilitas originem traxit, niſi præcelſa virtus, generoſuſque animi habitus, fortitudinis bellicæ ſapientiæque laude illuſtris, vt habet Plato apud Laertium in eius vita *Liberales*; nam auaritia ſeruilis abiectique animi vitium eſt: fateor interdum fieri vt poſteri à maiorum factis ingenioque degenerent, ſed nos id, quod in remore poſitum eſt, referre contenti, prout monuimus ſupra capite 3. alia omnia, quæ haud certa lege conſtant, patimur eſſe prætermiſſa: non prætermittendum tamen Ariſtotelis dictum 2. Rhetoricorum cap. 15. huiuſmodi generoſos non eſſe, cum à generis laude naturaque deficiant;

Parentum Mores.

ARTICVLVS IV.

4. *Plus amãt parentes quã amentur à liberis.*

PArentes magis diligunt liberos quam ab eis diligantur; plus maiorem natu, quam reliquos; Matres magis amant quam patres ipſi ament; patres plus filios, quam filias; matres plus filias, quam filios; Sane parentes filiis, parentibuſque filios natura communioque ſanguinis maximè conciliat; at quanto diſcrimine, quam verum eſt vulgare apud Luſitanos Adagium, vnus pater ſufficit centum filiis, (ſc. alendis;) vni patri, vix centum filij; nimirum parentes arctius complectuntur liberos, quam ab ipſis amentur. ratio eſt quia eos, vt propriæ vitæ propaginem diligunt, ſuique portionem; at quiſque, quod ſuum eſt, diligit, filiuſque portio eſt pa-

rentis & non filij parens : Aristoteles primo Magnorum Moralium filium vocat, Membrum patris : prætęrea vetustior est parentum amicitia, cõfestim enim natos suos diligunt ; sed nati non nisi progressu ætatis, cum se ratio explicat, diligere incipiunt ; Accedit quod magis sciant parentes se procreasse, quam filij se procreatos; in hanc sententiam Chrysostomus hom. 33. in caput nonum Matthæi, vt humor inquit de radicibus ascendit in herbam, at de herba in radices non reuertitur, sed rursum in semẽ transmittitur; ita charitas ad liberos quidem descendit, & à liberis ad parentes non ascendit ; quisque vero ad eos, quos procreat, charitatem transmittat.

5. *Exemplũ amoris paterni.*

Innumera suppetunt huius paterni amoris exempla ; duo tantum refero ; ac primum quidem ex Antonio Panormitano l. 2. de Gestis Alphonsi Regis Aragoniæ ; cuiusdam serua à Domino pepererat : ex regni lege ad libertatem ipsa prouocat ; Dominus, ne matre simul & filio priuetur filium ex se natum negat ; quid hic agat Rex vbi probationibus non erat locus ? secundum sapientis dictum, diuinatio in labiis eius fuit, & in iudicio non errauit : iubet igitur sub hastam mitti, vendique filium Alphonsus; tum commota patris viscera quid, inquit, in seruitutem ibit filius meus, me viuo ? hoc ferre potero ? tum ad Regem, fateor meum, libera sit mater, ne seruiat filius.

6. *Alterum exemplũ amoris paterni.*

Alterum ex Ioanne Magno l. Historiæ Gothicæ cap. 29. mutuabor; coram Carolo Magno tum pater, tum filius rei homicidij aguntur, tormentis non potest exprimi veritas : vterque ab Imperatore ad suspendium condemnatur, tum pater victus amore filij, reum se, filium sceleris expertem fatetur ; sibi vt superstitem habeat, quod commune est parentum omnium votum, atque hoc mihi in mentem reuocat superstitionis Etymon allatum à Lactantio l. 4. c. 28. ex Cicerone l. 1. de natura Deorum, *Qui totos dies precabantur, & immolabant ; vt sui sibi liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati* ; Sed de vera superstitionis Etymologia agant alij, nos institutum prosequamur.

7. *Plus amãt maiorem natu.*

Plus amant maiorem natu, quam reliquos ; quia vetustior est, quæ cum charitas parentum attingit ; deinde prima quæque nos maximè oblectant, altasque radices in animis agunt ; quod probat philosophus 7. politicorum c. 17. exemplo Theodori cuiusdam, Tragœdiarum Actoris, qui nemini concedere volebat, vt prior ageret in scena, persuasus se maximè populo placiturum : addit Franciscus Loriotus Tomo 1. secretorum Moralium q. 33. primogenitum ex purissima paterna secretione, atque ex maxima, nondumque delibata facultate formatrice procreari, quod scriptura insinuare videtur Genesis 49. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei* ; fortitudo quidem dicitur, quia primus fortudinem patris in procreatione sua expertus erat ; principium autem doloris, quia thorum patris violauerat; naturâ vero illa maximè amamus, in quibus nobilissimo modo; aliqua nostri lucet imago: deinde iucundissimam patris matrisque appellationem primus omnium tribuit primogenitus, maiusque matri periculum fuit in primi filij partu, patri vero maior timoris sensus,

ne,

ne, tum prolem, tum matrem, mors opprimeret, ergo maior amor conciliari debuit.

8. *Exemplũ ex Herodoto.*

Accedit in huius rei confirmationem quod refert Herodotus in Erato; Acceperant ab Oraculo Lacedæmonij, vt geminos Aristodemi & Aginæ filios crearent Reges: at maiorem natu maiori obseruatione colerent: mater & nutrix ex composito quis eorum prior in lucem venisset, silentio tegebant; at Myssenus, vir prudentissimus, modum suggessit quo id detegi posset; nimirum, vt obseruarent Lacedæmonij, vtrum puerorum mater nutrixue prius leuarent atque cibarent, sicque, quis primogenitus esset certo coniecerunt; scilicet natura, affectusque, quamquam de industria suppressus, erumpit. hoc ipsum etiã in animantibus, quæ solam naturam ducem sequuntur, videre est; nam etiam sus, quadrupedum inertissima, primo cuique fœtui primam etiam mammam illibatam destinat; vt referunt Plinius & Aristoteles; & in canum genere, atque aliarum nonnullarum animantium, qui primo nascitur fœtus, parentis maximè similitudinem refert: de his & pluribus aliis videri potest Franciscus Mendoça in Viridario l. 5. problemate nono.

9. *Cæcutiũt parentes in filiorũ peccatis.*

Cæterum, ex hoc amore parentum in filios oritur sæpe in istorum peccatis oculorum paternorum lippitudo, seu cœcitas: at patruus ab hoc impotenti affectu liber incorrupte iudicat, castigatque seuere fratris sui filios; vnde, vt notauit Ioannes Bond in Commentario primæ satyræ Persij, patruus pro sæuo reprehensore, seu castigatore ponitur: *qui in reliqua vita*, inquit Cicero pro Cœlio, *mitis esset, fuit in hac causa pertristis quidem patruus, censor, castigator* Auus autem iam senior, quia tenerrime diligit filij sui liberos, seu nepotes suos, quasi secundam sui portionem, ideo eos nec castigat, nec coërcet; vnde, nepos, pro perdito & profligatis moribus adolescente vsurpatur; atque hæc morum corruptela, quia non adeo infrequens est in adolescentibus, ideo dixit Boethius l. 3. de Consolatione *Euripidis sententiam probo; carentem liberis infortunio esse fœlicem.*

10. *Matres plus amãt filios, quã ipsi patres ament.*

Matres plus amant filios, quam ipsi patres ament, quia certiores sunt, quam patres filios esse suos; quia vetustior est earum amor, nam statim atque primum formatur, diligunt, quia filius magis matris, quam patris portio videtur, vt pote qui materno sanguine procreatus, materno lacte educatus; præterea quoniam conuictus charitatem conciliat, mater maiori consuetudine coniuncta est cum filio, quam pater; viri enim est foris parare facultates, mulieris parta domi conseruare, & sedulitatem intra domum agere, vt ait Aristoteles l. 1. Oeconomic. cap. 3. Accedit quod ad misericordiam magis propensæ matres; at misericordia cum amore maximè cõuenit.

11. *Patres plus filios quam filias amãt, &c.*

Patres plus amant filios, quam filias; matres contra, filias quam filios, quia similitudo amoris glutinum est; at maior est similitudo inter patrem & filium, ratione affectionum corporis, & mentis, quam sit inter patrem & filiam, neque potentius amuletum amori conciliando reperire est, quam affectionum consensionem; idem dico de matribus respectu filiarum, quanquam sæpe contrarium euenit propter

pter rationes aliunde petitas, quam ex ipsis naturæ visceribus, quas solas hic iam consideramus.

De quatuor primis qualitatibus, maximo Physiognomiæ thesauro.

CAPVT XIX.

1. Definitio, & effectus primarum quatuor qualitatum.

QVONIAM tota hæc nostra physiognomica disputatio tandem in quatuor primarum qualitatum effectus resoluitur, operæpretium erit hoc caput tam momentosæ tractationi impendere, vnde postea multæ in sequentibus rationes depromentur; colligam autem in summam, quæ Aristoteles fusius 4. Meteororum hac de re disputauit: Et quamquam nonnulla sint à Physiognomico instituto aliena, multum tamen lucis afferunt, ad eorum intelligentiam; quæ physiognomiam spectant. Calor, vt ait Philosophus 2. de generat. textu 8. congregat homogenea, disgregat heterogenea. nam rarefacit, & rarefaciendo, potestatem facit cuilibet rei suum in locum abeundi; leuiori, superum; grauiori, inferum locum petendi. Nomine homogeneorum, & heterogeneorum intelligenda hic veniunt, non quæ eiusdem, aut diuersæ sunt speciei, sed quæ eiusdem aut diuersæ sunt virtutis motiuæ.

Frigus omnia congregat, tum homogenea, tum heterogenea. Humidum est quod difficile suo, facile alieno terminatur. Siccum, quod facile suo difficile alieno.

Hæ quatuor qualitates vocantur primæ, quia inter tangibiles principatum obtinent, & ad eas reliquæ omnes reuocantur, quæ sunt graue, leue, durum, molle, viscosum, aridum, scabrum, glabrum crassum, tenue, vt probat Aristoteles ibidem.

Calidum & frigidum, actiua; humidum & siccum, passiua vocantur; non quod illa tantum agant, hæc tantum patiantur; sed hæc nomenclatura tradita est à Philosopho ratione concursus, quem exhibent ad mixti constitutionem. Siccum & humidum tenent se ex parre materiæ: vnum, quidem, vt mixtum facilè partes admiscendas admittat, & certam figuram seu terminum recipiat siccum, vt retineat terminum, & melius fiat concretio; Ad hæc autem præstanda, calor actiuè concurrit, excludendo dissimilia, & vniendo similia; frigus vero congelando partes ipsas, consistentiam mixto propriam tribuit, & caloris actionem temperat; & hæc est vera nomenclaturæ huius, ab Aristotele profectæ, expositio.

De variis effectibus caloris.

ARTICVLVS I.

VArios caloris effectus hic breuiter recensebo, de nonnullis postea fusius disputaturus.

2. Varij effectus caloris.

Calor igitur propter subiectæ materiæ variam aptitudinem varia efficit, non primaria, sed secundaria ratione; generat, corrumpit: dealbat, denigrat; calefacit, frigefacit; attenuat, incrassat: segregat, congregat: liquat, cogit, exsiccat, humectat; rarefacit, densat; extendit, cōtrahit; ampliat, coarctat; dulcorat, amaricat;

amaricat; grauat, alleuat; mollit, durat; trahit, pellit; mouet, cohibet; lætificat, attristat; somnum conciliat, abigit.

3. Declarantur hi effectus.

Generat corrumpit: scilicet calor est præcipuum naturæ ad rerum procreationem instrumentum, & externus calor putrefactionis parens est, vt patet æstate.

Dealbat denigrat: scilicet oleum dealbat, carnemque denigrat, quia olei terrenam eximit partem, quæ nigroris causa est, & carnem quæ terrena est, adurit, omne autem quod terrenum est, dum vritur, nigrum effici solet, lignum combustum denigratur, os dealbatur; nam lignum satis humidum est; quare totus humor non absumitur; manet igitur postea lignum calidum humidum; At os siccum erat, quare manet calidum siccum, adustione totum coquente.

Calefacit: vt notum est; *frigefacit*; primo, per meram antiperistasim; secundo attrahendo alium calorem; vt Sol calore frigefacit aperiendo poros, vnde exhalat calor, & aqua calefacta citius frigefit ad solem quàm ad vmbram; quia partes subtiliores, in quibus maximè residet calor calore solis adhuc magis tenuatæ citius euaporantur: tertio, disponendo ad formam contrariam, sic aqua calefacta, vt potè tenuior, atque adeo impotentior ad frigori obsistendum, citius congelatur: imo in Ponto piscatores instruunt hamum, loco plumbi, glacie artefacta, ex aqua multum calefacta, tum subito frigefacta.

Attenuat, incrassat: venter enim frictione concalefactus maceratur, reliquæ partes frictæ, & frictione concalefactæ, incrassantur; omne quod terræ & aquæ commune est, coctione incrassatur, 3. de partib. animalium cap. 5.

Segregat, congregat; nam homogenea in vnum cogit, heterogenea segregat; nec hic omittendum arbitror, quod Aristoteles cap. 1 lib. 3. de Generatione animalium, obseruat, oua piscium esse vnicolora, auium bicolora, constant enim luteo & albo; illa sunt vnicolora, quia tenuis calor piscium non potest vitellum, à candido, separare; ista bicolora, quia magnus est calor auiũ, & discernere potest vtrumque: verum hac in re discrimen quoque magnum est, nam aues palustres, quæ humidiores & frigidiores, oua edunt, in quibus plus vitelli quam candidi, licet vitellus sit minus flauus, quia minor calor, qui non adeo candidum à vitello secernere potest; at aues terrenæ, vt pote calidissimæ, optime vtrumque secernunt: quare semper in earum ouis plus candidi quam vitelli est; & initio quidem oua earum pene tota alba, tum parum lutea, postremo denique tum alba, tum lutea albumine circumsistente vitellum, ex isto cibum sumit & viuit pullus, (vnde vitellus vocatur; ex albumine corporatur. Liquat plumbum, cogit albumen oui. *Exsiccat, humectat*; exsiccat, notum est; humectat carnes assas. *Rarefacit*, aquam bullientem, tostas panis densat. *Extendit, contrahit:* extendit carnem, pellem; quare pelles leopardi, & similes, detractæ æstate, aut flante Africo diffluunt pilis, propter ampliatos poros; extensamque cutem; contrahit res humidas euocando humorem. *Ampliat, coarctat*; massam ampliat tritici, eam surrigendo; coarctat, quæ supra contrahi, densarique diximus. Nota est fermenti vis, calore suo

paſtam tumefacit, vnde Hiſpanis, (Leuadura;) Gallis, (Leuain,) Latinis quaſi ferens incrementum ſeu augmentum *Dulcorat, amaricat* dulcorat mala Sidonia, & omnia incocta non ſatis ſicca; Amaricat fuliginem & omnia iam ſatis cocta, & ſicca, imo mel ipſum, ſi nimium coquatur, *Grauat, alleuiat*; ſcilicet lateres poſt primam concoctionem leuiores ſunt, poſt ſecundam, grauiores, quia tandem ſolum, quod terrenum eſt, remanet *mollit, durat*; mollit ceram, durat ſalem, humorem ex cera penitiorem euocans in partes exteriores emollit; ſalis & luti ſummum humorem exhauriens, vtrumque ſiccat, atque indurat. *Trahit, pellit:* trahit linteum humidum igni appoſitum; pellit vndequaque fumos. *Mouet, cohibet*; mouet omnia aquea, cohibet terrea. *Lætificat, triſtat*; ſanguinei ſcilicet ad ignem aſſidentes lætiores, melancholici triſtiores, quia vtriuſque humoris ſubtiliores partes ad cerebrum vaporantur: *Adducit ſomnum, vigiliam auget:* ſcilicet ſolis feruor iis adducit ſomnum quorum caput plurimum pituitæ continet; cum humeſcat cerebrum, per humoris copiam reſolutam diffuſamque per ipſius ſubſtantiam: at quorum caput perparum humidum eſt, iis vigiliam auget, poſt nimiam exſiccationem.

De putredine, caloris & frigoris effectu.

ARTICVLVS II.

4. *Varij effectus caloris & frigoris, prout superantur à ſiccitate & humiditate.*

FRigus, & calor, qualitates actiuæ, aut materiam ſeu qualitates paſſiuas, humorem & ſiccitatem ſuperant, aut ſuperantur; aut partim ſuperant, partim ſuperantur. Primo caſu fit generatio, ſeu productio rei nobilioris; Item concoctio, cuius ſpecies ſunt, Maturatio, Elixatio Aſſatio: Secundo caſu, Corruptio ſeu productio rei ignobilioris: Tertio autem caſu Inconcoctio, ſeu cruditas, Molynſis, ſtateuſis. Concoctioni opponitur incōcoctio; maturationi cruditas; Elixationi, molynſis; aſſationi, ſtateuſis.

5. *Omnia mixta putredini obnoxia.*

Ad corruptionem vero parat putredo, ſeu Senectus quædam; nihil autem in mixtis eſt, quod putredine non corrumpatur, ſi naturæ leges ſpectes, niſi quid putredinem anteuertat; puta caro & os putreſcunt niſi exurantur; exuſtio autem eſt violenta; putredo naturalis: In illa à calore externo celeriter humidum internum abſumitur; in iſta, paulatim; Singula mox tractabuntur, vbi dixero putrefactionem conuenire corporibus, vt mixtis; quemadmodum mortem, vt viuētibus. Et quia corpora prius mixta ſunt, quam viuant, ideo, vt, quod primum eſt compoſitione, ſit vltimum reſolutione, prius moritur viuens, quam putrefiat, eſtque ei mors via ad putrefactionem, & putrefactio vltimus finis mixtorum.

6. *Putredo eſt interitus caloris interni ab externo.*

Putredo eſt caloris interni in humido inſiti ab externo rei ambientis calore, interitus. vereque dixit D. Thomas 3. p. q. 5. art. 3. putrefactionem cuiuſcunque corporis prouenire ex infirmitate naturæ eius, non potentis amplius corpus continere in vnum. Quod ſit interitus caloris interni, probatur; quia calidum extrinſecum educens humidum naturale radicale, educit cum calorem, qui in humido radicali eſt,

vt

vt in proprio fomite; Eapropter putrefacta prius deſiccantur interius, & madeſcunt exterius; quia humidum foras educitur, tum omnino exſiccantur, à calido reſoluente humidum, & tandem efficiuntur ſicca, atque vltimo reſoluuntur in fimum & terram.

7. *Multiplex humiditas in mixtis.*

Hic verò notanda eſt, quæ in rebus reperitur, multiplex humiditas; vna vocatur naturalis intrinſeca, & continuans, quam in quouis, licet aridiſſimo, mixto ineſſe probat tum ipſa mixturæ ratio, terreſtres enim ac ſiccæ partes pulueris inſtar, abſque ea diſpergerentur; tum Chymicorum experientia, qui ex omnibus rebus, licet ſicciſſimis, Oleaginoſum humorem educunt. Altera dicitur aduétitia, intrinſecata & nutriens humiditas, quæ priorem, nutrimenti inſtar, fouet, atque à nimia ſiccitate præſeruat. Alia denique mere extrinſeca & ſuperflua, qualis in recentibus fructibus & carnibus eſt, atque hæc ad putredinem diſponit. Quare vt fructus à putredine ſeruentur immunes, valde exſiccantur ab hac humiditate; ac ſæpe fit vt ligna bene tecta conſeruentur, quæ expoſita cœlo pluuio cito putrefiunt.

8. *Probatur putredinē oriri à calore externo.*

Quod verò putredo ſit à calore externo rei ambientis, probatur ſignis ſumptis ab iis, quæ impediunt putrefactionem. Primùm eſt; res hyeme minus putreſcunt, quam æſtate, tum quia aëris eas ambientis calor hyeme eſt exiguus, adeo vt internum attrahere nequeat, æſtate contra; tum quia, vt ait Albertus Magnus tract. 1. cap. 9. externum frigus conſtringit rei contentæ poros, & meatus, ne internus calor poſſit egredi. Secundùm; res coagulatæ ſeu congelatæ, ſi congelantur forti frigido, non putreſcunt, quia vehementia frigoris interni ſuperat calorem externum; vt contingit in Alpibus, vbi perpetua frigora: nam ibi frigore emortui permultos annos ſtant, nec fœtent, nec putreſcunt. Tertiùm; quæ habent magnum calorem internum non putreſcunt, ſicut piper, maxime ſi exſiccetur: calor enim internus fortiter reſiſtit externo, & ſi exſiccatum ſit, non habet humidum quod educi poſſit, hinc vina generoſa in loco calido repoſita conſeruantur, in quo tamen debilia facile putreſcunt. Quartùm: quod mouetur ac fluit, minus putreſcit, quam quod quieſcit, vt aqua fluuij, minus quam paludis; ratio eſt, quia motus rei putrefaciendæ vim adimit calori putrefacienti; aut, vt ait S. Thomas, quia motus excitat calorem in re mota, quæ, corroborata calore interno, vincit externum. Addi poteſt etiam aëris ambiētis motione locali impediri putredinem; nam ſi aër ambiens diu immotus perſiſtat, craſſior & humidior, & calidior euadit, ideoque res contentas facilius putrefacit. Quintum: quod multum eſt, minus putreſcit, quam quod eſt paucum: quia in illo plus eſt caloris, vt pote in pluribus, ideoque minus à calore ambiente ſuperatur; hinc fit vt pauca aqua in lacuna cito putreſcat, at Oceanus nunquam. Hoc vero debet intelligi in continuis, quia multa frumenta citius quam pauca putreſcunt, cum ſua ipſorum multitudine ſibi viam tranſpirandi occludant.

9. *Putredo in humido poſita eſt.*

Ac denique quod putredo ſit in humido poſita probatur; quia animalia genita ex putrefactis generantur ex humido; nam humidum ſubtile ſegregatur à re putrefacienda,

da, & calor externus, humorque euocatus, vt causæ instrumentales, loco virtutis formatiuæ generant huiusmodi animalia. Ex his omnibus manifestum est ad putrefactionem concurrere duas actiuas qualitates calorem & frigus: calorem externũ educentem humidum calidũque internum: & frigus, quo interni caloris interitu, res afficiuntur.

10. *Putredinis proprius est fœtor.*

Addendum hic quod notat Vallesius 4. Meteor. cap. 1. ex doctrina Galeni 1. prognost. comm. vltimo fœtorem proprium putredinis esse accidens, & ostendere, prout exuperat, plus, aut minus, processum esse in putredine: nec potest fieri hic fœtoris odor nisi ex separatione humidi a sicco, quemadmodum grauis odor, fit ex eo quod propter imbecillum calorem, humor minime concoquatur, vt contingit in cruditate. Cæterum quæ putrescunt, albescunt, quia loco succi interni succedit flatus seu vapor, aut aër crassior, qui in terreo inclusus albescit. de putredine, sicut & de aliis, quæ toto hoc capite disputamus, videri potest noster Nicolaus Cabeus eruditissimo suo commentario in quatuor libros Meteororum.

De concoctione & inconcoctione.

ARTICVLVS III.

11. *Definitio concoctionis explicatur.*

CONcoctio seu digestio est perfectio, quæ fit à proprio natiuoque calore in oppositis patibilibus. dicitur *perfectio*, nam per digestionem res perficitur; aut enim nouam formam substantialem acquirit, vt cibus; aut tantum accidentalem, adeo vt res tanta vel talis sit qnanta & qualis esse debet, vt cum fructus, aut tuberculi maturantur; carnes assantur, elixantur; hæc enim sunt species concoctionis. Dicitur, *A naturali calore*, qui calor hic primarium agens est; externa vero, vt balnea, exercitatio, atque alia fomenta caloris interni tantum secundaria sunt agentia. *In oppositis patibilibus* id est sicco & humido, quæ est concoctionis materia; ac tantum res perfecte concocta est, cum calor perfecte certa proportione humorem deuicit, materiamque crassiorem, calidioremque reddiderit. Quare calidiorem; patet; at cur crassiorem? quia debet humor subtilior vi caloris euaporare. Atque hinc etiam tuberculos concoctos dicimus, cum crassiores euaserũt: Eiectiones vero cõcoctas, cũ terminatæ per calidum, & ingrossatæ fuerint; cũ liquidæ & subtiles, incoctas. Est autem hic intelligenda crassities moderata, alioquin, vt vrina tenuior, signum est non inchoatæ concoctionis, ita crassior, nondum perfectæ, non est autem prætereundum quod monet Aristoteles cap. 2. iam citati 4. Meteoro. excrementa concocta seu crassiora, esse indicia sanitatis, quia calorem naturalem ostendunt esse humido potentiorem, & quidem alia aliarum partium sanitatem indicant, mucus quidem cerebri, à quo defluit; sputum pulmonum, & pectoris; vrina venarum; saliua tonsillarum seu glãdularum carnearum quibus conficitur.

12. *Quid inconcoctio.*

Incõcoctio est imperfectio facta in qualitatibus passiuis, caloris naturalis defectu. caloris vero defectus frigiditas est, quare frigiditas per se causa est incoctionis; causa per accidens remotio caliditatis.

De

De Maturatione, Elixatione, Assatione, & earum oppositis.

ARTICVLVS IV.

13. *Tres concoctionis species, ac primum quid Maturatio.*

TRes sunt species cōcoctionis, vt iā diximus, Maturatio, Elixatio, Assatio, quibus opponuntur Cruditas, Molynsis, stateusis. Maturatio proprie dicitur de alimento fructuum, cum perfecte concoctum est, at tum perfecta concoctio est, cum, perfecto semine, potest aliud sibi simile efficere, atque in aliis etiam omnibus id perfectum dicitur, ex 2. de anima cap. 4. quod efficere potest aliud quale ipsum est; animal quidem, animal; planta autem, plantam: improprie autem dicitur maturatio de tuberculis, pituita, vrina, & cæteris, quæ non alunt sed secernuntur; fitque maturatio, concoctio seu terminatio natiui humoris à natiuo calore, quæ maturescunt omnia, ex aëreis aquea, ex aqueis terrea, consistendo fiunt, & ex tenuibus subinde crassiora reddi assolent, de quo Sanctus Thomas in c. 4. 4. Meteororum: *In maturatione calor naturalis primo educit humidum aereum, & conuertit rem in aquosum humidum, tum humorem aqueum educit, reliquumque terminat & incrassat: cuius experimenta videre licet in animalibus, & plantis; nam in prima digestione animantium reducitur cibus in humorem aquosum, euaporato aëreo spumoso, & flatuoso humore; tum in secunda, à chylo educitur vrina, seu vrinæ humor, à quibus vltimo denique in tertia, & quarta fit maturatio cibi & conuersio in semen. In amygdala primo flos humoris aërei conuertitur in corticem viridem & aquosum, deinde educitur hoc humidum & conuertitur in corticem osseum, tertio semen formatur, & vniuersatim in omnibus seminibus cortex extrinsecus magis aëreus, secundus magis aqueus; intra vero semen bene maturatum & digestum*, ita D. Thomas.

14. *Cruditas maturationi opposita fit ex eo, quod calor humorem nō superat.*

Cruditas maturationi opponitur, & fit ex eo quod calor humorem superare nequit: vel quia exiguus ipse est, vel quia plus est humoris, quam vt deuinci possit atque dicitur proprie de fructibus, quorum succus alimentitius minimè concoctus est: hic autem succus, vbi talis est, tenuis est, quia à calore non est subactus & incrassatus, estque vel aëreus vel flatuosus, vel aqueus; aut vtriusque naturæ particeps. Dicitur autem cruditas improprie de aliis, quam de fructibus, vt vrina, catharris; ac cæteris huiusmodi.

15. *De Elixatione, & assatione.*

Elixatio est concoctio humoris interni à calore externo. non sunt elixabilia nec lapis in quo nihil humoris sensibilis, nec lignum in quo licet multum sit humoris, non potest tamen propter densitatem vinci, id tantum elixatur quod humorem habet huiusmodi, vt à calore humido vinci possit. Elixata humida sunt exterius, interius sicca: assa, contra: ratio est: quæ elixantur, humefiunt, exterius ab humido circumstante calido, & perdunt humidum interius, quod euocatur ab eodem humore externo. At igneus & siccus calor, rei assæ meatus porosque extimos statim ita constringit, vt humor, qui intra continetur, effluere non valeat. Ad assatione reuocatur frixio, & sic res frixę humido interiori abundant magis quam exteriori: nā pinguem illum humo-

rem olei aut butyri, in quo frigun- tur ad se trahunt; & quia ab igne potius, quam ab eo humore in quo sunt, coquuntur, exterius fiunt aridæ & siccæ. Concoctio quæ fit in stomacho est elixatio, maximè in pueris & mulieribus, quæ humore abundant; in iuuenibus contra potius assatio, propter sicciorem calorem quo abundant. Molynsis seu imperfecta elixatio est indigestio humidi interminati, quod ex se elixabile est, orta ex penuria caloris humidi externi ambientis. Assatio est concoctio à sicco calore externo; si nimia sit, adustio vocatur: si res elixari cœperit, & post humido deficiente à solo igne coquatur, tandem assata dicetur. Stateusis quid sit, ex his patet: nam si calor siccus humorem in re ad assandum proposita moueat quidem, & tamen propter suam imbecillitatem non separet, efficitur praua assatio, seu stateusis, qualem subire videntur panes qui cum in furnis assari deberent, subinde vitiantur, & acescunt.

16. *Corollaria tria doctrina tradita de elixatione, & assatione.*

Iam ex doctrina tradita, antequam ad oppositam speciem, transeam, ducenda sunt breuiter nonnulla corollaria. Primum est, in æquo carnis pondere v. g. sex libris, assatæ carnis, plus succi naturalis & humoris inesse, quam in tantumdem elixæ. Secundum est; difficilius est assare, quam elixare: nam in his ciborum concoctionibus necessaria est æqualitas alterationis secundum partes, difficile autem est exteriora & interiora assatione calefacere, inquit Aristoteles, hic 4. Meteor. text. 27. quare nisi quis peritus sit, extima vret, & incinerabit, prius quam intima calore alterarit: At calor elixans & humidus, tanto æqualius calefacit, quanto blandior est sicco calore: vnde perfrigeratos vngues igni admouentes cruciamur; immittentes vero in aquam calidam, citra noxam & dolorem calefieri sentimus. Tertium: elixæ carnes facilioris sunt digestionis quam assæ, quia magis peruiæ sunt calori externo, vt pote quæ habent meatus externos apertos.

De humoris & siccitatis effectibus; Ac primum de duritie, mollitie, flexione, reflexione, fractione, compressione.

ARTICVLVS V.

17. *Humidū & siccum quomodo principia passiua in generatione corporū.*

HVmidum & siccum principia passiua in corporibus gignendis, vt aqua & farina, commiscentur, alterumque alteri quasi gluten est, causáque est vt terminetur certisque finibus circunscribatur: nam corpus, quia humidum est, facile recipit alienum terminum, quia siccum retinet; Quare nullum est terminatum corpus quod ex vtroque non constet; aqua & farina (idem de humido & sicco dici potest) simul iuxta efficiunt viscum; quia humiditas aquæ facit vt partes farinæ siccæ se contingant, adunenturque; At siccitas farinæ, vt partes adunatæ difficile dissoluantur; humidum ad aquam, siccum ad terram pertinet. Quare omne quod terminatur, cum humido & sicco constet, terra quoque & aqua constat, & cuius plus habet, eius virtutem refert. Consistentia quam accipiunt corpora ab sicco & humido, à nonnullis vocatur corporatura, & à Galeno modus substantiæ.

18. *Varij effectus hu-*

Vtriusque effectus sunt durities, mollities, flexio, reflexio, concre- tio,

moris & siccitatis, ac primū de duritie & mollitie.

tio, liquatio, seu fusio, exsiccatio, humectatio, comminutio, seu friatio, secatio, incrassatio, emollitio. Durum est id, quod superficiem in se non cedit; molle quod cedit, vt lana, spongia, aqua minimè mollis est, quippe cuius superficies compressa minimè cedat, sed circumobsistat, & circumfluat: vtrumque tactu dignoscitur; durum ad terram & siccum, molle ad aquam, & ad humidum pertinet.

19. *De compressione.*

Compressio mollitiei congermanescit; Res illa compressibilis est cuius superficies in se coire potest, nec diuiditur, & propterea pars vna in alterius locum non subit. Dictum est, *(nec diuiditur,)* alioqui ruptio est. Dictum est *(pars altera in alterius locum,)* vt excludantur liquida, quæ ita cedunt, vt vndique circumfundantur. Comprimuntur, quæ in suos meatus coëunt; quod fit quando pleni sunt corpore ad effugiendum apto; vt sunt lana & spongia: non comprimuntur, vel quæ meatus non habent, vt aqua; vel plenos habent rebus durioribus, vt ferrum.

20. *De fissione, & friatione.*

Fissibile est quod potest diuidi, vt ait Aristoteles, ad plus quam diuidens diuidit: hoc autem ideo fit, quod secundum longitudinem habet meatus, qui adnascuntur inuicem, non habet autem secundum latitudinem. fractio & friatio in hoc distinguuntur, quod illa est diuisio in magnas partes; friatio seu comminutio in quasuis partes, plures duabus: franguntur quæ habent poros magnos longe productos, paucos numero, & aliquantulum distantes situ; comminuuntur, quæ habent paruos poros; numero multos, & propinquos situ. Franguntur & friantur quæ habent vtrumque, hoc est, & poros magnos longe productos, & reliquos paruos, vt lateres. Lignum fragile seu frangibile, κατακτὸν, vsque ad ariditatem desiccatum fit comminuibile, seu friabile θραυρὸν, quia consumptis partibus humidis fiunt in eo crebriores pori; porus hic vocatur illa pars rei porosæ, quæ plena est corpore subtili, siue eiusdem naturæ cum reliquo, siue aqueæ, aut aëreæ. Friatio ad humorem simul & siccitatem, à quibus varie commixtis, meatus tales, vel tales oriuntur, est reuocanda.

21. *De flexione.*

Flexio motus est à recto ad curuum eadem longitudine manente; quod si non maneat, est contractio non flexio, vt cum curuum ab igne contrahitur. Reflexio est contrarius motus: flexio est ratione humidi; reflexio, sicci: nam in illa non habet res terminos suos proprios suæ longitudinis, sed potest amplius elongari si dirigatur; in ista suos terminos repetit; At humidi est quærere terminos alienos, sicci proprios. Quæ concreta sunt per eductionem humidi, vt lapides, non sunt flexibilia, sed frangibilia: Quæ habent humidum viscosum, crassum, facile flectuntur, & quidem in eam partem, vbi maior est humiditas, sicut ligna calefacta ab igne versus ignem flectuntur, quia ad eam partem humiditas euocatur: Quæ habent humidum viscosum, magis subtile, bene commixtum cum sicco aërio subtili, non ita facile flectuntur, sed cito redeunt ad rectitudinem perfectam, vt boni enses, vel certe ad illam partem rectitudinis, quam ante habuerunt, vt bonæ balistæ & arcus emissa sagitta. At praui enses si conflectantur, conflexi manent, quia habent crassum

crassum humidum. Ita S. Thomas.

22. *Quæ sint combustibilia.*

Comburi possunt quæ meatus in directum productos, & ad ignem recipiendum idoneos, humorémque igne imbecilliorem habent; talia sunt quæ poros habent plenos humiditate aërea bene passibili, sic glacies carens poris non potest comburi; Ebenus quoque, qui inter omnia ligna maximè terrestris est, miniméque aëreus, & lapides, qui carent humiditate aërea quæ ignem nutrit, ligna quoque viridia propter nimis crassam humiditatem, quæ ab igne vinci non potest, non comburuntur. In vniuersum dici potest omnia ea esse combustibilia, quæ in cinerem resolui possunt: At combustibilium quædam flammam emittunt, quædam non: quæ habent multam humiditatem non aqueam, sed aëream, & suffitum reddunt, hoc est, fumum mixtum terra & aqua (cum vapor sit tantum ex aqua, & inflammationis incapax) inflammantur: Rursus istorum quædam faciunt per se flammam, sicut ligna quæ habent sufficientem siccitatem & exhalant fumum, seu suffitum, aliqua vero tantum apposita aliis; vt oleum, pix, apposita siccis: nam cum abundent humido, si eis quid siccum adhibeatur, magis flammescunt: ligna etiam apposita oleo magis flammescunt, quia humor siccitati permiscetur. Eorum denique quæ flammescunt, nonnulla in carbonem vertuntur, vt quæ plus habent terræ, quam aëris, seu fumi, qui est exhalatio aërea, vt ligna solidiora; nonnulla non vertuntur, vt quæ magis aërea sunt, vt papyrus. Ligna viridia vruntur quidem, at non flammescunt: nam propter siccum terrestre pati possunt ab igne, propter defectum humidi aërei non inflammantur.

23. *De vapore & suffitu.*

Quod attinet vaporem, & suffitum, valde notandum est, vaporem verti in flatum, qui aërem impellens, fluxum illius faciat qui appellatur ventus, & describitur, fluxus continuus aëris in longum: At suffitus exhalatio tenuior est, quam, vt aërem, in longum pellit. Triplex vero est pro varietate rerum à quibus excernitur. nam rei lignosæ, vt ligni, ossium, pilorum, excretio fumus dicitur. Rei pinguis, vt thuris, ceræ, myrrhæ, picis, fuligo; rei vnctuosæ, vt olei, seui, nidor.

De concretione, liquatione, emollitione, crassitie.

ARTICVLVS VI.

24. *Quæ concrescũt ad aquã, aut ad aquã & terrã pertinent.*

DE his dico sequentia: Primum est, quæcumque concrescunt, ad aquam, aut ad aquam simul & terram pertinent. Concrescunt autem frigore, vel calore sicco, vel vtroque; Indicium ab vtro concrescant, petitur ex resolutione; nam quæ soluuntur aqua, quæ est humor algidus, terrea sunt, vt sal, & calore sicco concreuerunt, quæ vero igni, vt glacies, aqua concreta sunt. Res igitur aqueæ non concrescunt calido, cum calido dissoluantur; nec terreæ frigido, cum frigido dissoluantur. Idem enim, secundum idem, eidem, contrarij causa non est.

25. *Quæ ex aqua & terra constant, tam calore, quã frigore cõcrescunt.*

Secundum; quæ ex aqua & terra constant, tam igni quam frigore concrescunt, vt lutum; quando nimirum magis prædominatur aqua, frigore; cum terra prædominatur, calore cõcrescunt; At diuerso modo; nam

nam calor extrinsecus educit humidum intrinsecum, vt patet in ouo; frigus vi calorem extrudit, cum quo etiam humor exit; horum mixtorum nonulla, vt liquida v. g. dum concrescunt, spissantur; nam multum humoris continent, qui sensim euaporat; Quare remanentes partes siccæ constipantur, & crassescunt; nonnulla, vt mollia non liquida, cuiusmodi sunt lateres humidi, etiamsi concrescant, non spissantur, quia parum humoris continent, adeo vt parte humoris exeũte, subito nulla facta crassitie, concrescant; quippe cum humoris tantum remaneat, quantum ad partes siccas continendas sufficit. Ac ne quis hic in verbis, concretionis, crassitiei & similibus hæreat, ex Aristotele & aliis, raritas hoc loco posita est in pororum amplitudine, dẽsitas in eorumdem angustia. Crassities, & tenuitas in propria partium quasi substantia, quæ ex aërea, facta sit aquea; aut ex aquea terrea; aut ex alia natura superioribus, tenuioribusque elementis simili, ad crassiorem naturam accesserit: nam crassum id dicitur, quod magnarum est partium vt terra respectu ignis, & aëris, quæ tenuium sunt partium.

26. *Quæ plus terræ quã aquæ continent, liquantur à calido.*

Tertium; quæ plus terræ quam aquæ in se continent (intellige cum D. Thoma secundum quantitatem non secundum proportionem virtutis,) liquantur à calido. Sed sunt in duplici differentia; quædam enim concrescunt à frigido non educente totum humidum superfluum cum calido intrinseco, & ista facile soluuntur à calido, vt glacies, lutum, quædam vero ita concrescunt à frigore, vt educatur totum humidum superfluum cum calido intrinseco, & ista nõ nisi caloris exuperãtia soluuntur, vt mollescere solent metalla maxime duriora, in quibus partes terrestres subtiles sunt optime commixtæ cum humidis remanentibus vt & cornua in quibus est humidum viscosum, quod continet siccum ne diffluat; Quod vero ita res se habeat vt coadunatio fiat per separationem humidi superflui, liquatio per separationem sicci terrei, patet hoc signo, quia ferrum, in quo parum est humidi, idque valde commixtum cum sicco terrestri, difficile soluitur, tunc vero ferrum humescit, quia purius redditur. Quare scoria seu excrementum subcidit, & in imum secernitur, ferrum autem hoc modo sæpius purgatum ac defæcatum fit chalibs, sed id rarius tentant artifices, propterea quod dum repurgatur, multum substantiæ defluit, libramentumque minus efficitur, & postea durius euadit, vnde non adeo facile malleo diducitur; Quare artifices minus defæcatum pluris faciunt.

27. *Quæ calore arido cogũtur, quædã vi humoris soluuntur, quædã nõ.*

Quartum est eorum quæ calore arido coguntur, quædam humoris vi solui nequeunt, vt fictile, & lapidas facti ex terra feruore ignis deusta. Omnis enim superfluus humor exhaustus est, porique adeo angusti, vt humidum exterius subintrare nequeat, quædam solui possunt, vt sal, nitrũ, quæ humore algido liquãtur; Quare & aqua & aquę generibus omnibus eliquari consueuere; nam calori arido frigus humidum aduersatur, ergo si alterum coëgit, resoluet alterum; Ita enim contrariorum effectuum contrariæ erunt causæ, similiter etiam nonnulla vi frigoris ita concrescunt, sicut crystallus in summo montium vertice, vt omnis humor superfluus eua-

poret; vnde igne postea liquari nequeunt.

28. *Quæ plus habent aquæ, quã terræ calore crassescunt, &c.*

Quintum quæ plus habent aquæ quam terræ, calore crassescunt, quæ plus terræ, concrescunt sine crassitie vt sal, nitrum, lapis, fictile; At quæ sunt aërea, vt oleum; & argentum viuum, siue ad aquam & aërem spectent, vt oleum; siue ad terram & aërem, vt mel, à neutro, hoc est, neque calore, neque frigore concrescunt; quia humiditas aërea difficile exsiccatur; non liquantur etiam, quia sicut humidum aqueum defluendo intra se in causa est cur fluant partes terræ, quæ propterea emolliuntur & liquantur, ita humidum aereum adunat siccum terreum, & continet intra; Ea propter ligna non liquantur, aërea quippe sunt, quod patet, quia supernatant aquæ.

29. *Oleũ maximè aëreum.*

Sextum est; oleum maximè aëreum est: patet, quia aquæ per summa insidet; & quia aëreum, minime siccatur neque frigore, neque calore. Addi potest alia ratio, quia lentum est, & viscosum; humor autem à lentore continetur quominus in vaporem abeat; crassescit autem tum calore tum frigore, frigore quia aëris aliqua pars in aquam conuertitur; semper autem cum aqua & oleum inter se commiscentur, fit aliquid vtroque crassius, calore quia aqua euaporatur, vnde partes terrestres magis coguntur: Albescit calore quia euaporatur aqua, quæ nigredinem efficiebat, immo pars aquæ, fit spiritus; vetus oleum incrassatur, quia recedente calido intrinseco, non quidem totum (hoc enim impossibile est, cum natura sua sit aëreum) sed pars olei in aquam conuertitur; quod si diuturnitate temporis albescit, hoc fit quia educitur calidum intrinsecum, & cum eo humidum, quod nigredinem pariebat, vt iam dictum est. & quia pars humoris in spiritum resoluitur. Ambiguæ naturæ est inter terram, & aquam: nam si plus aquæ quam terræ esset solo frigore, vt glacies; si plus terræ quam aquæ, solo calore concresceret, vt lutum in quo prædominatur terra; nunquam autem congelascit oleum: aër namque incongelabilis est; aëreum autem est, omne quod pingue est, cum pinguedo non sit neque terræ, neque aquæ, sed spiritus.

30. *Quæ communia sũt pluriũ elementorum crassescũt calore, & frigore.*

Septimum est, quæ communia sunt plurium elementorum, crassescunt calore, quia sic vapor aqueus educitur; frigore quoque, quia aqueum humorem frigus constringit; hoc videre est in sanguine & lacte, quæ terrea sunt, & aquea, quamquam plus terræ, quam aquæ contineant; Sanè bonum lac caseatum est, & serosum; caseus autem terrestris est, serum aqueum; signum est, quod ille calore durescat, istud minime, sed in vaporem abeat: Quia igitur bonum lac abundat caseo, coagulari potest; quando lac cum sero & caseo coquitur, euaporat serum; quod autem seri remanet, adeo stipticum est, vt profluuiis ventris medeatur.

Quod attinet bonum sanguinem totus fibrosus est, & ratione earum cogi ipse potest; si absint, non potest; vt enim, si ex luto terrenam portionem semoueris, aqua non concrescet, ita sanguis, fibris detractis, incongelabilis manet; fibrarum enim natura terrena est, quod si non eximantur, cogitur, vt terra humida frigore; cum enim calor exprimitur, humor vnâ trahitur atque euaporatur, atque ita concrescit,

non

non à calore ficcefcens, fed à frigore, ita philofophatur Ariftoteles, lib. 2. de partibus cap. 4. porro fanguis Ceruorum, Damarum, & fanguis viciatus, quia aqueus eft totus, & fibris vacuus non craffefcit.

De Coloribus.

CAPVT XX.

1. *Ex coloribus ducuntur coniectura physiognomica.*

COLORES nobiliffima accidentia, lucis filios, folis profapiam natura noftris obiecit obtutibus; at eorundem intelligentiam, quafi inuidiæ ftimulis agitata, tenebricofis videtur anfractibus circumfcripfiffe; adeo vt pene illuftrius colore nihil fit, neque obfcurius quidquam. Phyfici eft, dum de vifu difputat, eius naturam fubtilius indagare, atque adeo proprietates, & effectus, vt fecit Ludouicus Dolcius libro hac de re fcripto lingua Italica, atque alij multi fecere. Phyfiognomi vero eft eius fpecies à phyfico acceptas tenere, vt de cute, de capillitio, de oculis aliifque fimilibus varias contexat coniecturas, quemadmodum facit Ariftoteles in phyfiognomicis; verbi caufa. Qui valde nigri funt, inquit timidi, referuntur ad Ægyptios & Æthiopas; valde autem albi timidi; referuntur ad mulieres: colorem autem qui confert ad fortitudinem medium horum oportet effe, flaui qui magni animi funt referuntur ad leones; rubei valde aftuti referuntur ad vulpes; qui funt mellei coloris, frigidi funt; frigida autem mobilia difficulter mobilibus autem difficulter exiftentibus his quæ iuxta corpus funt, erunt vtique tardi; quibus color flammeus eft maniaci, quia ea quæ funt in corpore calefacta eum colorem habent, Alia his fimilia apud Ariftotelem leguntur, & libro fequenti videri poffunt, quæ, vt clariora fint, nos hic paucis varias colorum fpecies referemus: neque enim aliud iam à nobis defiderari poteft.

2. *Diuifio colorum, in particulari de albo colore.*

Colores alij præcipui funt, & fimplices; alij minus præcipui, & compofiti: fimplices dico & compofitos, vt more pictorum loquor, qui ex vnis coloribus alios nonnullos componunt: atque ex hac compofitione facile intelligitur, quis ad quem magis accedat. Præcipui autem & fimplices funt tres; albus, rubeus, niger; duo extremi albus & niger. rationem hic breuiter infinuo, minimum lucis eft in nigro, plurimum in albo, vnde fit vt à fapiente, dum de fapientia loquitur, coniungantur lux & candor, *candor eft enim lucis æternæ.* hoc fortaffe Latina vox lucis indicat quæ à Græca, λευκὸν, deriuari videtur, quod fi à voce λύκη, vt fentit Macrobius l. 1. Saturn. cap. 17. fumpta eft, quid aliud eft quam λεύκη, interiecta litera E. imo vero vocem λευκὸν, ipfi Græci natam indicarunt ἀπὸ τοῦ λεύσσειν quod fignificat videre; quin etiam λευκὸν iidem Græci pro lucido, claro, & limpido fumunt: fic enim hymno in Iouem Callimachus vocauit Erymanthum λευκώτατον τῶν ποταμῶν, vt Virgilius:

Sulphurea Nar albus aqua.

Cecinit 1. Georgicon, & apud Homerum λευκὸν ὕδωρ, Scholiaftes interpretatur διαυγὲς lucidum & perfpicuum: hæc & alia in hanc rem difputat Lælius Bifciola lib. 1. hora-

rum subcisiuarum cap.3. Ad album colorem refertur pallidus, qualis est in citro maturo, vel palea, sunt etiam qui huc referunt aquilum, sed perperam, vt videbitur postea.

3. *De nigro colore.*

Atque vt albus color maximè accedit ad lucem; ita contra, nihil vicinius est tenebris quam nigredo, neque solent pictores antra & specus remotas procul ab omni lumine, noctémque ipsam alio colore, quam nigro adumbrare. Audi vero Aristotelem (aut Theophrastum) lib. de coloribus cap.1. *Tribus præterea modis niger color nobis apparet, vel cum plane, quod videtur, sua natura nigrum est; vel cum ab iis, quæ visibilia sunt nulla omnino lux ad visum defertur, quod enim non videtur, cum locus ambiens videatur, speciem præbet nigri. Occurrunt & alia omnia huiusmodi nigra, à quibus rara & exigua lux resilit, ob id & nigræ apparent vmbræ: Eodem modo aqua nigrescit exasperata, & fluctibus percita, cum scilicet mare inhorrescit: lacessita enim & incitata superficie, paucis in eam radiis incidentibus, luce iam diuulsa ac dissipata, vmbrosum ipsum nigrum se offert. Nubes etiam cum egregie densa est, eadem ratione nigra existimatur. Ob hæc, & cum iis, aqua & aër non penetrante omnino luce, nigra itidem videntur, cum profunditatem habeant, ob id quod rari admodum replodantur radij, siquidem lucem quæ in ipsis est, intercurrentes particulæ, omnes nigræ videntur obscuritatis gratia.* Hactenus Aristoteles cuius vniuersum librum doctissimo commentario illustrauit Simon Portius Neapolitanus. Quibus addere licet, quod inter nubes, eæ valde albicant quæ rariores sunt; quare & à solis radiis maximè penetrantur.

Ad nigrum colorem reuocantur liuidus, ater (Gallicè, *noir de charbon*) fuscus (*brun, obscur*) furuus (*noir de fumée*) castaneus, ferrugineus, plumbeus, aquilus, vel aquaticus, aut aquinus, ab aqua, non autem ab aquila dictus, & est is qui accedit ad colorem aquæ, quæ media est inter claram & atram, ac propriè color est fuscus, & subniger, vt existimat Porta lib.3. cap.7.

4. *De rubeo.*

Rubeus maxime nobilis color est, & proxime ad igneum accedit. Nobilissimus pretiosorum lapidum carbunculus rubeus est, & quæ venena rubea, non æque periculosa sunt atque alba, aut alterius coloris.

Huc reuocantur puniceus, Phœniceus, dictus à Phœnicibus, qui literarum inuentores, crediti sunt; quare ab antiquis initiales librorum literæ rubeæ semper pingebantur, & Phœniceæ vocabantur, vnde Phœniceus color rubeus est; præterea rubeus (*rougeastre*) roseus, rubidus rubicundus, rutilus, sanguineus, spadix (*rouge de haute couleur*) igneus flammeus: Addo vltimo purpureum qui fit ex rubeo, albo, nigro.

5. *De viridi.*

Reliqui colores medij sunt, & compositi; flauus, viridis, cæruleus Inter hos principatum tenet viridis, qui in medio quinque præcipuorum iam dictorum positus est, & in eodem gradu quo rubeus, hoc discrimine quod rubeus simplex sit, hoc est, non compositus ex aliis; viridis vero compositus sit, nempe ex flauo & nigro: At viridis alius est virens seu splendens (*verd gay*:) componitur ex flauo & cæruleo; Alius est subnigrior (*ver brun:*:) & componitur ex flauo & violaceo. Ad viridem reuocantur prasinus, herbaceus cymatilis seu cumatilis à voce Græca κῦμα, id est, vnda; viri-

ridescit enim mare dum vehemẽtius agitatur.

6. *De flauo.* Flauus componitur ex albo & rubeo, inter quos duos medius iacet. Ad hunc reuocantur, luteus (*Iaune, paillé,*) Icteus, seu cytreus (*cytrin,*) Giluus (*Iaunastre*) Sylaceus (*de couleur de siliac* ,) fuluus, rufus rauus (*Iaune roux* ,) vt dicitur flauus aut fuluus leo, & fuluum aurum; Græce color hic dicitur χαροπὸς, quasi gratiosus, in quo sequor Andream Laurentium lib. 4. quæst 19. cuius ratio redditur quod color fuluus pulcherrimum efficiat.

Cæruleus dicitur quasi cælulleus, quia color cælestis est, quo nihil pulchrius est. Hebræi omnia pulchra sapphira vocant; Est autẽ sapphirus cærulæi coloris splendicantis; continet Venetum (*pers,*) leucophæum qui fit ex albo & nigro, (*gris*) & cæsium qui color proprie dicitur de oculis & ductũ nomẽ à cœlo vt vult Nigridius, verum à cæde ductũ vult Tylesius, & proprie quibus inest fulgor quidam visu horrendus, qui quasi cædem minitetur, cæsij vocantur, quales prælio & cæde gaudens habuit Minerua. Cæsius igitur quasi cælius, seu cœlestis, Græce dicitur γλαῦκος vnde Pallas γλαυκῶπις dicitur. quamquam fatear discrimẽ esse inter cęsium & glaucum, quod glaucus magis ad virorem accedat, cæsius ad splendorem igneum. Denique violaceus est qui fit ex cæruleo & nigro.

7. *Albus disgregat, niger congregat, viridis recreat visum,* Tantum hic attexo nigro colore visum congregari, albo dissipari; viridi, qui medius inter vtrumque, maxime recreari. Dissipat autem visum albedo, quia maxime affinis luci neque hanc vim ignorauit Homerus cum sæpe verbo μαρμαίρειν vtatur pro lucere, & splendorem iaculari: quod quidem verbum à diuisione est traductum; Sic enim eruditissimus obseruat Porphyrius in quæstionibus homericis 8. Iliados; Atque hinc fit, vt quod non diuidit quia obscurum est, dicatur ἀμαυρὸν; lucem item nominauit Homerus δαός, à verbo δαίειν, quod est diuidere, & quæ lucem concipiunt faces, δᾶδες; Adde quod Græcis familiare est pro albo & candido dicere μάρμαρον. De his, pluribus differit iam citatus Lælius Bisciola in suis horis subcisiuis.

PHYSIOGNOMIA HVMANA.

LIBER SECVNDVS.

HOc libro singulas corporis humani partes speciatim persequemur. Magni hic obices, frequentes remoræ, atque densissimæ tenebræ: Delio Natatore, seu solertissimo reconditorum indagatore opus, ne coniectationum porro afferendarum fides nutet, ipsæque Lesbyam regulam sapiant. Atque cum duplex sit methodus; compositiua, quæ à partibus ad totum; Resolutiua, quæ à toto ad partes progreditur: nos hic resolutiuam amplectemur, primúmque de tota corporis fabrica, tum de capite, capitisque partibus, de cæteris denique membris disputabimus.

De Corpore.

CAPVT I.

PLVRIMA in corpore humano generatim sumpto inuestiganda occurrunt Physiognomo: Paruitatem, magnitudinémque, ac similia hoc capite considerabimus.

Parui corpore.

ARTICVLVS I.

1. *Parui corpore ingenio celeres.*

PArui corpore, ingenio celeres: ita Aristoteles, & reliqui omnes. Ratio est ex eodem Aristotele, quod, cum parua sit intercapedo inter cerebrum & cor spirituum officinam, breui spatio feruntur spiritus à corde ad cerebrum, vbi gignitur cogitatio, vnde consequitur ingenij celeritas; & ex eadem parua intercapedine fit, vt capite sint calidiori, quæ capitis natura, audaciæ, fortitudini amica est.

2. *Vnde oritur corporis breuitas.*

Alexander Macedonum rex, Philippi filius; Vlysses, Agesilaus, Marcilius Ficinus, summi viri, siue bellica, siue literaria gloria, parui fuere statura. Melissum Thebanum, qui Isthmio equo vicit, Pyndarus Ode 4. Laudat, statura pusillum, animo magnum. Asinæus Iudæorum dux

paruæ

paruæ ſtaturæ, ſed animo excelſo, apud Ioſephum lib. 18. cap. vltimo antiquitatum. Bartolus Iureconſultorum recentiorum Princeps ſtatura corporis mediocri fuit.

Pipinus fortiſſimus Princeps Caroli magni pater, adeo paruus fuit, vt puſilli cognomen illi inditum ſit; Imo ſunt, qui exiſtiment nomen Pipini deductum à voce Germanica, quæ puellum ſignificat. Horatius Flaccus celeri vir ingenio, inter Lyricos Poëtas inſigniſſimus, habitu corporis breuis fuit, qualis à ſeipſo in ſatyris deſcribitur, & ab Auguſto, illa epiſtola, apud Suetonium quam de hoc Poëta ad ipſummet ſcripſit; *Protulit ad me Dionyſius libellum tuum, quem ego, ne accuſem te, quantuluſcumque eſt, boni conſulo: vereri autem mihi videris, ne maiores libelli tui ſint, quam ipſe es, ſed ſi tibi ſtatura deeſt, venter aliunde eſt*. D. Paulus, vt ait S. Chryſoſtomus homil. Encom. in Apoſtolos, tricubitalis erat, ac fortaſſe à ſtaturæ puſillitate (hoc enim ſonat vox Pauli, nimirum modicum & puſillum) nomen accepit; diui Antonini luſtricum nomen fuit Antonius; at, vt ſcribit Vincentius Mainardus, à breuitate corporis Antonius denominatus eſt; D. Hieronymus D. Chryſoſtomus D. Gregorius Nazianzenus, parui fuere. De his plura Theophylus Rainaudus l. cui titulus laus breuitatis; & in Heteroclytis.

2. Vnde oriatur corporis breuitas.

Obiter hic, & parerga velut opera adiiciendum ex Ariſtole ſect. 10. probl. 14. corporis breuitatem oriri poſſe ex loci, in quo formatur, anguſtia, aut ex alimenti inopia; *Quibus itaque cauſa locus eſt, hi pumiliones redduntur, ſunt enim latitudine quidem profunditatéque pro magnitudine Matrum, breues tamen omnino, cuius rei cauſa eſt, quod recta lineæ in aduncas ſe flectunt; at vero qui ob alimenti inopiam perfici non potuerunt, hos membris quoque puerilibus conſtare videmus; fitque vt aliqui, quamuis breues admodum ſint, modice tamen coagmentatas omnes ſui corporis partes habeant, vt Melitenſes catelli.*

3. Parui præcipites ſi tamen ſicci.

Qui parui ſunt corpore, ac ſiccam admodum carnem ſortiuntur, quæ ardoris effectus eſt, mirum quantum præcipites ſunt; Ratio; quia cum corpus breue ſit, & propter caloris ardorem celerrimus atque citatus ſpirituum, qui ſpecies deferunt, ad imaginationem appulſus, fieri nullomodo poteſt, vt ex his naſcatur bona perfectaque intelligentia; ſed potius confuſio maxima, & præcipitantia: nam in eo veloci motu repræſentantur ſpecies confuſæ propter nimiam agitationem, adeoque imperfectæ, ita vt minime res comprehendi poſſint huius rei illuſtriſſimum in hominibus ira commotis, qui, propter nimiam ſpirituum concitationem, de mentis ſtatu dimoti videntur, nec rationis compotes, ſed omnis rectæ intelligentiæ expertes.

4. Parui ſi tamen humidiores, mente melius habent.

Quicumque vero ex paruis humidam carnem ſortiuntur, cum ob frigiditatem corporis hoc ipſis accidit, mente rectius habent, quam præcedentes. Ratio quia nimia ſpirituum velocitas quæ confuſionem in imaginatione parit, temperatur frigiditate, & quaſi iuſta lance æquilibratur, ad recte mentis operationes obeundas.

5. De pygmæis potius.

Huius occaſione, de pygmæis quid ſentiendum videatur, paucis aperio: luſit ſane de illis, & quidem ſummâ licentiâ poëticâ Iuuenalis

Satyra 13.

Ad subitas Thracum volucres, nubemque sonoram,
Pygmæus paruis currit bellator in armis;
Mox impar hosti, raptusque per aëra, curuis
Vnguibus, à sæua fertur Grue; si videas hoc
Gentibus in nostris, risu quatiere, sed illic
Quanquam eadem assidue spectentur prælia, ridet
Nemo; vbi tota cohors pede non est altior vno:

At nescio, quare saltem non dixerit totam cohortem non esse vno cubito altiorem, cum pygmæus idem sit ac cubitalis; sed poëtico more lusit; verùm vt ad rem veniam: D.Thomas in 3. dist. 3. q. 5. art. 2. ad 3. minimum humanæ naturæ in conceptionis momento intra vterum maternum, vix excedere ait formicæ quantitatem; atque idem sentit Aristoteles à S. doctore laudatus; at propterea nihil conficitur, quasi sub cubiti mensura consistere potuerint pygmæi, nam aliud est infantem in minima quantitate concipi, quod exigit conceptionis ratio: aliud, tam effœtam esse naturam, & quidem in vno populo vniuerso, vt cum viginti, & eo amplius anni cremento corporis assignati sint, vltra portentosam illam paruitatem vnius cubiti non excrescant, tot tantique homines, qui populum componunt.

Probabile autem, imo indubium mihi videtur, propter tot tantorumque antiquorum scriptorum authoritatem fuisse olim aliquem populum hominum breuioris staturæ, quam sit communis & ordinaria: & vero hoc nostro seculo, an. 1600. in Peruuia, vt scripsit ex illa prouincia vnus è nostris, P. Ranzius, repertus est populus Nanorum, seu pumilionum; cur igitur prioribus sæculis similiter reperiri non potuerit, siue in Thracia, vt vult Iuuenalis; siue in extremis Indiæ oris, vt vult Solinus c. 65. siue in Africa, vt sentit Aristoteles, qui mihi hoc loco omnium instar erit; 8. de Historia Animalium c. 12. agit ipse de volucribus, quæ miro naturæ instinctu certis anni tempestatibus commodiora quærunt loca, atque, inter cæteras, de gruibus loquitur. *De Scythicis campis ad paludes,* inquit, *Ægypto superiores, vnde Nilus profluit, veniunt, quo in loco pugnare dicuntur cum Pygmæis nō enim id fabula est, sed certe* (Græcus textus habet, ἀλλ᾽ ἔστι κατὰ τὴν ἀλήθειαν) *genus, tum hominũm, tum equorum pusillum, vt dicitur, est, deguntque in cauernis, vnde Troglodytæ nomen à subeundis cauernis accepere*; ex quibus verbis Aristotelis patet ipsum negare fabulam esse quod de genere hominum pusillorum dicitur: at cur cum Gruibus bellum agitant? suspicor, quod præ nimia earum multitudine quæ in illam regionem conuolat nimis importunæ sint, vnde necesse sit eas abigi; quod vero in cauernis habitarint, nescio an feruentioris cœli intemperiei, quæ in hos frigidiores recessus compellat, tribuendum sit.

Iam vero quid de Nanis in vniuersum physiognomo censendum est? solent huiusmodi homines partes superiores, corporis sui ratione, maximas; inferiores vero, paruas habere. nimirum natura, quæ iustam corporis magnitudinem dare nequit, maxime in superioribus partibus efformandis laborat; vnde

non

non idem iudicij, ac corporis defectum patiuntur Nani, nam possunt, si non ingentes, at certe non adeo demissos, humilesque animos, angusto versare in pectore.

Magni Corpore.

ARTICVLVS II.

6. Proceri Corpore tardi mẽte, nisi sic ciores sint.

QVi sunt procerosa magnitudine, maxime tardi sunt; sententia est Aristotelis, quæ sane intelligenda est, nimirum quantum est ex ratione staturæ; vitium autem hoc aliunde elui potest. Ratio propositionis est; quia non nisi tarde spiritus ad locum mentis & æstimationis peruenire possunt. Referuntur ad strutiochamælum, grandius & stupidius animal; quod si hi staturosi homines humidiores sunt, ex frigiditate, in pessimo res est; quia tunc duplex est obex, vastitas, & humiditas ex perfrigeratione, quæ facit vt spirituum motus adhuc multo segnior sit; ac recte anus conspicata Iouianum Imperatorem, vasta & ardua proceritate, cum stupidum esse accepisset, ait, quanta est longitudo & profunditas, tanta est stultitia, vt refert Nicephorus l. 10. capite vltimo quod si sicciores sunt, non adeo male cum illis agitur; quia siccitas proceritatis vitium emendat. Talem legimus fuisse Georgium Scamderbec, bellica gloria illustrissimum principem, prudentia, fortitudine admirabili præditum: Tales quoque Agamemnonem, Nestorem, Neoptolemum, Romulum, Tamerlanem Scytharum Imperatorem, Zenonem Dialecticæ inuentorem; imo & Heroas omnes, vno Tydeo excepto; ea propter in Tragœdiis histriones cothurnis vtebantur, vt eius accessione Heroum magnitudinem æquarent; ita refert Scaliger l. 13. poëticæ, Valentinianus & Valens l. 3. Codicis Theodosiani de Tyronibus; *in quinque pedibus, & septem vnciis vsualibus delectus habeatur.* Pyrrus, vt procerus erat, ita ad militiam proceros homines eligi volebat, iactaturque ab eo dictum delectori suo; *Grandes elige, ego fortes reddam*, in Turno hanc formam commendat Virgilius Æneidos 7.

Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur, arma tenens, & toto corpore supra est

& 8. Æneidos

——— *Sed cunctis altior ibat Anchises*

Saül primus omnium Regum populi Iudaici dicitur 1. Regum c. 9. *electus & bonus, & non erat vir de filiis Israël melior illo; ab humero & sursum eminebat super omnem populum:* hæc omnia referuntur ad formam & pulchritudinem corporis, ad quam proceritas multum facit. nec dicitur fuisse melior vllus, quam Saül, quàm quia non erat quisquam altior, & pulchrior illo; vnde relata verba nonnulli vertunt ex Hebræo, *Saül iuuenis erat & pulcher, nec erat inter filios Jsraël pulchrior illo:* huic interpretationi consentit quod sequitur; *ab humero & sursum eminebat super omnem populum*; & capite decimo de habitu corporis loquitur Samuel, vt obseruat Estius in hunc locum, quando dicit ad populum; *Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit illi similis in omni populo*; populus autem solius corporis affectionem videre

poterat; Notum est in scriptura bonitatem, à qua commendatur Saül, sæpe pro pulchritudine vsurpari. *filia hominum pulchra* Genesis 6. at in Hebræo, & apud Septuag; *bonæ.* Genesis 1. *lux bona, omnia valde bona*, id est pulchra, vt explicat Augustinus 15. de Ciuitate c. 13. Saül igitur toto hoc loco à corporis dotibus laudatur, vt explicatum est: de Gigantibus qui mira volet legat Martinum Del Rio in disquisitionibus Magicis l. 2. q. 15.

7. *Proceri corpore lõgioris vitæ sunt.*

Magni corpore, vt plurimum, longioris vitæ quam parui. Ita Aristoteles lib. de longitudine & breuitate vitæ. Ratio est, quia plus habent humidi, nemo autem nescit vitam in humido calori contemperato positam esse. Palma, & cupressus proceræ arbores diuturnæ vitæ sunt; Elephantos, alij ducentos, alij trecentos annos viuere asserunt, vt idē scribit Aristoteles l. 8. histor. c. 9. & iam diximus l. 1. c. 1 1. art. 8. Rationem affert Ambrosius lib. 6. Hexaemeron cap. 5. quia omnia sibi ad magnitudinem membra conueniunt; ceruos autem vltra centum annos viuere probat Plinius lib. 8. cap. 32. Æthiopes, qui à vitæ longæuitate Macrobij vocantur, feruntur esse omnium hominum maximi nec è popularibus nisi maximum quemque deligendum, censent in Regem: ex Herodoto lib. 3. priscis sæculis vt proceriora corpora, ita vita diuturnior fuit.

Corpore commensurati.

ARTICVLVS III.

8. *De mediocri statura.*

QVi mediocri sunt statura, imo etiam & paulo maiori quam sit mediocris, si de reliquo omnia membra debitum commensum, & symmetriam obtineant, optimè cōstituti sunt ad omnia animæ munia. Hæc conclusio est corollarium duarum præcedentium superioris articuli. Atque ita Saul ab humero & sursum eminebat toti populo; Capitolinus in Pertinace staturam hāc, Imperatoriam vocat: Aristoteles 4. Ethicorum cap. 3. & 3. Politic. c. 4. paruos dicit posse esse vrbanos & venustos, non pulchros, nimirum non nisi in magno est dignitas. Solent autem antiqui vocare homines excelsæ staturæ, quæ multum mediocritatem non excedit, homines quadratæ staturæ, idque propter summam huius staturæ perfectionem. Commendat sponsa sponsum suum Salomonem à statura: *Species eius vt Libani, electus vt cedri*; Libanus autem mons est arduus, & sublimis inter reliquos Syriæ montes, sed non ingrata & enormi celsitudine, verum aspectu gratissimo. Sed iam ad promiscua transeamus.

Promiscua de eadem re.

ARTICVLVS IV.

9. *Longa & crassa corpora, multū habent caloris & humiditatis.*

PRimo: longa & crassa corpora, multum habent caloris & humiditatis: longitudo à calore, crassities ab humore nascitur. Sic caules, humidi calidi, folia habent longa & lata. Ignula, quia calida sicca, folia habet longiora quidem, at strictiora foliis caulium. Raphanus his duobus calidior longiora strictioráque habet folia: sic oua oblonga calidiora sunt, obtusa frigidiora: & verò illa mares, hæc fœminas generant.

Verum

Verum hæc non eo dico, quod dentur oua omnimode rotunda, nam semper acutiora sunt altera parte, quæ albumen continet, seu principium genitale, quod cedit in nutritionem animalis, & durior est hæc pars, quia principium generationis custodiendum operiendúmque est: At hoc dico, cum sint omnia altera parte acuta; quæ acutiora sunt, calidiora sunt. Atque ita de ouis philosophatur Aristoteles lib. 3. de Generat. animalium cap. 2. Huc referendum est, quod mulieres, quia frigidiores, vt plurimum breuioris staturæ sunt, immo & magnitudinem olim sibi dedecorosam existimarunt, vt & nimiam breuitatem. Vnde Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi cap. 2. *Est aliqua parua*, inquit, *suber in calceis insuitur; longa est aliqua; tenuem gestat scalam, caput in humerum demittens egreditur, hoc ei detrahit de longitudine.*

At contra Augustus, quia alia virum, alia fæminam decent; magnitudinem arte comparabat; nam de eo scribit Suetonius: *Calceamentis altiusculis vsus est, vt procerior, quam esset, haberetur, &c. Forensia autem, & calceos numquam non intra cubiculum habuit, ad subitos repentinósque casus parata.*

10. *Crassa & breuia frigida sunt & humida.*

2. Corpora crassa & breuia frigida sunt & humida; frigiditas breuitatem, & humiditas crassitiem parit. Alexander Aphrodizæus lib. 1. probl. 26. homines qui breui sunt corpore, magna ex parte prudentiores esse ait, quam qui longo; Imo & fortiores, quia spiritus virium corporis & intelligentiæ minister toto in corpore coactior & compactior manet, si breue est; si longum, diffusus per longitudinem exoluitur, & hebetescit. Vnde Homerus, Vlyssem breuem ac prudentissimum refert; Aiacem longum & stultissimum prodit. Hæc ille, qui commode addere potuisset, propter eandem rationem caloris in magno conceptaculo exolescentis (vt videmus, ventum expansum diffusumque per spatia ampliora laxioraque infirmum reddi & imbecillem; robur vero viresque augere, cum per loca spiratur angusta) magnos timidiores esse paruis, cum timiditas non adeo feruidæ naturæ adhærescat, & frigiditati congermanescat. Vt diximus supra lib. 1. c. 13. art. 11. & c. 14. art. 16.

11. *Parui fœcundiores.*

3. Parui fœcundiores sunt magnis; cuius rationem in simili accipe ex Aristotele lib. 3. de generatione animal. cap. 1. *Paruæ aues salaces perfœcundæque sunt, quomodo interdum plantæ minores, sunt fertiliores; quod enim incremento corporis deest, in excrementum seminabile exundat: quamobrem Gallinæ Adrianæ multum admodum pariunt; fit enim propter corporis exiguitatem, vt alimentum ad partionem sumptitetur.* Hoc vt plurimum verum est in omnibus animantibus, præterquam in apum genere; nam cum sint inter eas, Apes Reges & fuci; Reges magnitudine præstant tum fucis, tum apibus reliquis, vt & fuci apibus; suntque similes fucis magnitudine, apibus aculeo: At reges fœcundissimi sunt; generant enim & apes & reges; primum quidem totam multitudinem, ac postea reges: Apes vero tantum fucos, fuci vero nihil: sed in ternario ex solenni naturæ instituto generatio finẽ habet. ita Aristoteles lib. 3. de generat. animalium cap. 10.

Superiora maiora aut minora niferioribus.

ARTICVLVS V.

12. *Calidi qui superiora habẽt maiora.*

QVi superiora maiora inferioribus habent, calidioris naturæ sunt. Antequam hoc ratione conficiatur, ponendum est cum Aristotele lib. 2. historiæ cap. 1. & 4. de partib. c. decimo partem superiorem eam esse, quæ à capite vsque ad excrementi ostium protenditur, qua pectus etiam continetur; Inferiorem vero, quantum ab eo ipso subsequitur, reliquum corporis; Iam propositio sic conficitur: Solus calor sursum euocat, frigus vero, quia pigrum, deorsum trahit: hinc superna in maribus pene semper maiora infernis, contra in mulieribus, vtpote quæ frigidiori temperie constant, inferna maiora & crassiora supernis. Verissimum est in vniuersum Aristotelis effatum; calidum in superiori, frigidum in inferiori superat. Et vero parte superiori potius, quam inferiore sudamus, quia spiritus & calor sursum tendũt, propterea humorem secum trahere possunt: Ita Aristoteles sectione 2. probl. 4. Adde quod homo prius quam adultior sit, quia calidi innati plurimum habet, partem superiorem corporis habet maiorem quam inferiorem. Quamobrem serpunt infantes, & quadrupedes reptant, parte inferiore superioris molem non bene sustinente: & quò per ætatem magis augetur homo, quia caloris patitur detrimentum, eo pars inferior magis augetur quam superior; quare & bipes incedere potest; hinc vero etiam soluitur, quod nonnulli quærunt, cur pueri prono capite matris vtero in lucem prodeant, nimirum partes superiores ipsis longe maiores sunt, quam inferiores maiora autem plus ponderis continent Itaque, velut in statera dependentes, eo vergunt, quo trahuntur: nati vero vbi sunt pueri, maximam partẽ temporis dormiũt, quia incremento partis superioris exuperant; tempore autem procedente, & incremento transeunte in partem inferiorem, expergiscuntur ac sic, cum in vtero penè semper dormiant, paulatim transeunt à non esse ad esse: somnus enim talis naturæ esse videtur, vt viuendi & non viuendi interliminium sit; & neque omnino sit, qui dormit, neque non sit: de quo Aristoteles lib. 5. de Generat. Animal.

13. *Qui superiora maiora habent, non valẽt memoria.*

Præterea, qui superiorem partem maiorem habent, minus valent memoriâ, quam qui minorem. ita Aristoteles in Physiognomicis, in figura memoris. Sic nani & pueri primæ ætatis, in quibus superna infernis multo maiora sunt, lubricæ quoque memoriæ sunt: Ratio est, quia calor & vaporum abundantia, quæ calori coniuncta est, memoriam obnubilat; At vbi superiora maiora, ibi multus calor. Sunt etiã huiusmodi homines somniculosi ex Aristotele, in figura somniculosi; abundant enim vaporibus somni conciliatoribus. Dicuntur quoque à nonnullis loquaces propter abundantem calorem in superioribus.

De Corporis cremento.

ARTICVLVS VI.

14. *Qui cito multumque crescunt, calidi humidi.*

QVi cito multumque crescunt impendio calidiores & humidiores sunt; cum enim calor ex se sursum euocet, facile id quod humidum est sursum euocari se patitur: siccum vero non adeo facile; huius porro temperaturæ, vt consentaneum est arbitrari, fuit ea virgo, quam vidisse se scribit Ioannes Vierus Medicus in libro obseruationum Medicinalium, quæ, cum ad annum vsque duodecimum, vulgaris staturæ fuisset, eà tunc ætate quartana correpta fuit, qua tandem remittente, cœpit in Giganteam omnino molem excrescere, cunctis membris ęqua dimēsione in magnitudine debita sibi respondentibus. Similis huic virgini fuit Euthymius, qui triennio in tria cubita excreuit ex Plinio lib. 7. cap. 16. Pisces omnes, ac potissimum marini, quia in calido propter salsedinem & pinguedinem humidoque versantur elemento, celeri crescunt incremento. Quid cete illa immensa genera piscium, *æqualia montibus corpora*, vt loquitur Ambrosius lib. 5. Hexaemeron c. 10. & iterum cap. 11. *cete illa infinitæ magnitudinis, quæ si quando supernatant fluctibus, annatare insulas putes, montes altissimos summis ad cœlum verticibus eminere.* & vero prope oram Portugalliæ inuentum fuit cetum cuius lingua in frusta diuisa quattuor & viginti mulos oneraret. Ita Francisc. de Mendoça in Viridario l. 4 problem. 14. quid, inquam cete illa, cur tam facile in tantam magnitudinem excrescunt? nisi propter humoris calorisque copiam? Qui Crocodillus, vt reliqua taceam quandiu viuit, tandiu augetur, cumque maximum sit animal; minima hac origine euadit; ouum enim non maius quam anseris, & fœtus inde exclusus proportione ei respondet, attamen crescit ad quindecim, imo triginta cubitos. Homo tandiu crescit, quandiu calor humorque innatus in excellenti gradu conseruatur, nimirum ad ter septenos annos ex Plinio lib. 11. cap. 37. vel ex aliis ad vigesimum quintum.

15. *Quibus annis maxime crescant homines.*

Non est autem toto illo tempore eadem incrementi ratio; nam primis annis magis crescit puer, quam consequentibus, idque propter abūdantiorem calorem humorémque, Primo trimatu puer dimidiam suæ magnitudinis partem obtinet, vt ait Plinius lib. 7. cap. 16. Quamuis nonnulli eo loco pro trimatu, quimatum legant; Et sanè Aristoteles 1. de Generat. animalium cap. 18. vult hominem primo quinquennio dimidium magnitudinis suæ obtinere, quam tota vita sit habiturus: Basilius vero in hexaëmeron homil. 10. suam sententiam aperit his verbis: *Trimusne hic pusio est? ex eo quod pater futuræ proceritatis admetitur mensuram, nouit planè duplam illi iustæ staturæ proceritatem deesse; quantus enim triennis deprehenditur puerulus, bis tanto est euasurus procerior, compos factus plenitudinis incrementi.)* Gregorius vero Nyssenus à Basilio fratre suo non dissentit orat. 1, de hominis opificio, *Filiolum, cum tertium ætatis annum impleuerit, metitur mater; duplo enim maior, quam tunc sit, futurus est ille, cum erit perfectus vir.*

Nostrum non est hanc litem componere, parui refert, ad propositionis nostræ robur, vtros sequamur au-

thores. Inoleuerat mos vetus, vt legere eſt apud Plutarchum in Theſeo, vt qui Exephœbi eſſent, capillum & barbam fluminibus, & Apollini primum tunderent, quem Curothophum vocabant, hoc argumento quod ex humecta feruidáque natura conſtant animantium incrementa, capillúſque ſic reſectus deorum honoribus, Trepterius dicebatur, vt eſt apud Æſchylum. Cur vero Septentrionales maiores Auſtralibus? Cur animalia in locis frigidioribus multo maiora, quam in calidioribus? niſi quia plus habent caloris interni, quo medio fit accretio viuentium; ac ſæpe contingit, vt febricitantes in longum, licet minime in latum, creſcant, propter caloris exuperantiam, quæ humidas carnes ſurſum diſtendit. Verum ea accretio potius quædam adulterina rarefactio eſt, quam vera accretio, quæ non fit niſi conuerſione alimenti in ſubſtantiam viuentis, quod non contingit in febricitantibus: hac de re Philoſophi fuſius, cum de accretione, diſputant.

16. Qui tarde creſcunt non ita calidi humidi

Qui tarde creſcunt, non ita calidi & humidi; aut licet multum calidi, non ita tamen humidi: patet ex ſuperioribus. Hieronymus Dandinus lib. 1. de animati corporis temperatione cap. 38. inter longæ vitæ ſigna refert mediocrem corporis ſtaturam, non feſtinam & præmaturam, ſed tardam accretionem; poſt hoc eſt, ait, parum & tarde creſcere, tum multum & cito; poſtremo parum & cito, quod breuem plane vitam ſignificat. Hæc porro diligenti obſeruatione collecta omnia, diuturnáque experientia confirmata fuerunt, & naturali ratione nituntur, ſcilicet calore & humido eoque bono & optime cocto. ita Dandinus. Addo ego in viris eo lentiora & tardiora eſſe incrementa, quo robuſtiores futuri ſunt; &, vt ait Auguſtinus 15. de Ciuit. cap. 15. ante diluuium tanto ſerior fuit proportione pubertas, quanto vitæ totius maior annoſitas: tunc enim pueritia & adoleſcentia longè productior erat, & Iuuenilis ætas circa quinquageſimum annum inchoabatur; in vniuerſum dici poteſt, quo quid debilius & minus eſt, tum inter artis opera, tum inter naturæ effecta, eo citius ad finem peruenire; ſic olera citius, quam arbores debitam ſibi perfectionem & magnitudinem obtinent; robuſta poma ſerius matureſcunt, exilia citius; vt notauit Macrobius 7. ſaturn. cap. 7. & Theophraſtus lib. 4. cap. 9. tunc animal perfectum eſt, cum ſibi ſimile generare poteſt; hoc faciunt poſt vnum ætatis annum canes, feles, columbæ, breuiſſimæ vitæ animalia.

De ſtatura Corporis.

ARTICVLVS VII.

17. Statura corporis erecta calidiorem naturam arguit.

MEletius Philoſophus lib. de natura hominis ſtatim initio varias affert vocis Græcæ ἄνθρωπος etymologias: inter cæteras à verbo δρῶ ſpecto vnde ἄνθρωπος ſit quaſi ἄνδρωπος; præterea ab ἄνω ῥέπειν quod vultus ad ſydera tollat; vel ab ἄνω θρεῖν, quod explices etiam, oculos ad ſublimia eleuare; Sed quidquid ſit de iſtis etymis, certum eſt in homine, cuius proprium eſt, vt ait Poëta, os ſublime gerere, cum cętera animalia prona terram ſpectet,

ſtaturam

ſtaturam corporis erectam calidiorẽ naturam arguere. caloris enim eſt facere incrementũ ſurſum per lineã rectam, ſicut eſt motus ignis; vnde Iuuenes qui calidiores ſunt ſenibus, erectiores incedũt; ſenes vero, vt pote frigidiores, multo incl natiores, & ad hanc rem Ariſtoteles 3. de partib. cap. 6. *Calor*, inquit, *vim obtinet augendi: quamobrem homo cæteris erectior eſt, & viuipara reliquis erectiora incedunt*; & 2. libro cap. 7. *homo inter omnia animalia plurimum cerebri habet, ſcilicet proportione ſui corporis; & inter homines, mares pluſquam fœminæ; cordis enim pulmoniſque locum calidiſſimum, & ſanguine refettiſſimum homo habet; vnde animalium homo vnus erectus eſt: Caloris enim natura inualeſcens incrementum de medio agit pro ſuo impetu: Itaque, contra multum caliditatis, multũ humiditatis frigiditatiſque opponitur*; fateor eundemmet Ariſtotelem 4. de partibus cap. 10. aliam rationem afferre, quod hominis natura atque ſubſtantia diuina ſit, officium autem diuini eſt intelligere ac ſapere, nec intelligere facile poſſet homo, ſi ad terram pronus ſpectaret & vaſta corporis mole opprimeretur, ſic enim mens & ſenſus communis tardiores redderentur: verum hæc ratio ex fine petitur, illa prior ex cauſa efficiente. Indicia porro quibus confici poteſt hominem, vt erectiſſima figura, ita maximo calore præditum, ſi ſecundum ſe & omnes ſuas partes accipiatur, ſunt ex eodem Ariſtotele, locis citatis, plurimus eius ſanguis, & cerebrum eius maximum, atque humidiſſimum, quod non decuit eſſe maximum, niſi vbi maximus eſſet calor.

17. *Triplex in viuente tẽperatio.*

Quod vt plenius intelligatur, ſciendum eſt triplicem eſſe viuentium temperationem, innaram, aduentitiam, actuatam. Atque aliæ quidem partes debuerunt eſſe duriſſimæ, frigidæ & ſiccæ, vt oſſa; aliæ molles & humidæ, vt caro, vt cerebrum ad operationes animæ recte obeundas. Vt vero nutrirentur & creſcerent, debuerunt eſſe calidæ humidæ. Quare vt vtraque temperatio illis tribuatur, quoniam vna eſſe non poteſt, duplex ſtatuenda eſt; vna innata, quæ quatuor elementorum qualitatibus refractis conſtat, animamque antecedit, & ſub qua quæque partes aliquantiſper poſt abſceſſum animæ conſeruantur: Alia influens, aduentitia eſt, & naſcitur ex actione partis vnius in aliam, conſequiturque animam, vt proprius eius effectus, conſtatque non elementari calore, ſed vitali, proprio animæ. Atque hæc temperatio eſt operandi principium, & ab ea maxime pendet vita, nec poteſt niſi adſit anima diutius conſeruari: abundat autem calore potiſſimum & humore, quoniam ad operationem viuentiſque conſeruationem tota comparata eſt. In omnibus quidem partibus eſt, at in corde potiſſimum, vt in fonte & ſpiritus officina: maior eſt in propinquioribus, minor in remotioribus. Ex his duabus oritur tertia, quę, à Medicis vocatur actuata, & nihil aliud eſt, quam vtriuſque cõplexus, & cõiunctio, quę in quaque viuẽtis parte reperitur. [illegible] c quoniã, ratione aduentitiæ, in hac actuata ſemper dominatur calor, proprium vitæ inſtrumentum, ideo viuentia abundare ſemper calore dicuntur, non elementari quidem illo, ſed vitali: homo vero, cum calidiſſimus inter animalia dicitur, calidiſſimus intelligitur.

ligitur hoc postremo vitali calore; nam si de elementari sermo sit, forte leo, aliaque nonnulla animalia eo calidiora forent censenda, ita c. 4. libri primi Dandinus; consentaneè doctrinę Aristotelicę à nobis relatę.

19. *Cur in homine inferiora carnosa.*

Cæterum, ex eo quod homo erectæ figuræ est, petenda est ratio, cur, cum cætera animalia, non modo viuipara, sed etiam quæcunque cruribus constant, vacua carne hæc habeant, neruosa, ossulenta, spinosa, rigida, ipse tamen femora, crura, surasque habeat carnulenta; ratio, inquam, ex hac staturæ rectitudine petenda est, vt enim facile sustineri possint superiora, natura corpulentiam superioribus detraxit, inferioribus addidit; Itaque nates carnosas fecit, & femora, & suras, quanquam & nates ad corporis requiem vtiles reddidit; quadrupedes enim stare diu infatigatis viribus possunt, vt quæ quasi iaceant, cum quaternis fulcris nitantur, rigidis, neruosis, & ossulentis; at vero homines, non facile stando pedibus insistunt, sed requiem sedemue desiderant; ita philosophatur Stagyrita l. 4. de partib. c. 10. vbi etiam notat homini pedes, omnium animalium maximos esse, proportione magnitudinis, idque merito, quia solus erectus est, qui duo enim totum corporis pondus sustinent, longitudinem latitudinemne talem obtinere debuerunt.

De piloso, glabro, leui, grauique corpore.

ARTICVLVS VIII.

20. *Pilorum hirsuties*

Pilorum hirsutiem toto corpore sparsam, Aristoteles, in figura luxuriosi, maximæ ad libidinem procliuitati tribuit: Ratio est, quia immodicus calor igneus, multaque materia fuliginosa arguitur. Suetonius in Caligula ita pessimum hunc Imperatorem ad omnem libidinem pronum & præcipitem describit. *Pallido colore, gracilitate maxima ceruicis & crurum, oculis & temporibus concauis, fronte lata, vultu natura horrido; ac capillo raro, ac circa verticem nullo, hirsutus cætera; vt capram nominari capitale fuerit illo imperante.* Ioannes Tardinus hac de re ita philosophatur in sua disquisitione de Pilis cap. 16. pilorum seminisque materia analoga est, & proportionata, quod patet, quia vitium seminali materiæ impactum Pilis communicatur: ex quo fit vt iis qui probrosa lue laborant, Pili sint decidui: Deinde vbi seminalis materia abundat, abundant Pili; vbi deficit, deficiunt; hinc est quod Eunuchi caluitie non laborant. Et scribit Aristoteles 5. de generat. animal. cap. 4. mulieres sacerdotes in Caria barbam emittere, quod seminalis materia in corpore retenta, & in halitum diffusa in capillos conuertatur. Immo inde Philosophus 4. de generat. animal. cap. 5. in animalibus, ex hirsutie, seminis colligit abundantiam; semine etiam, inquit, abundat lepus, quod eius hirsutie significatur, copia enim pili exsuperat; nam hoc vnum animal pilos & sub pedibus habet, & intra genas: pili autem abundantia & hirsuties copiam indicat excrementi: quam ob rem homines pilosi libidinosiores, & seminis copiosiores sunt quam læues: contra autem qui nimis in libidinem effusi, cito caluescunt, quod materia formandis pilis necessaria effundatur.

libidinosioris naturæ argumentum.

Polemon

Polemon corpus aſperis denſiſque pilis contectum feritati belluinæ aſcribit: & quidem recte; nam nimius calor, cuius hæc pilorum exuperantia index eſt, feritatem facile ingenerat, & rectæ intelligentiæ munera præpedit: ita Eſau toto corpore in modum ferinum hiſpidus deſcribitur.

21. *Glabri toto corpore frigidi vel humidi.*

Glabri toto corpore, vel humore nimio abundant, vt ſpadones, vel frigiditate, vt mulieres: vtrumque autem meatus, per quos emittitur foras humidus vapor, craſſus, humectus, glutinoſus qui in pilos concreſcit, conſtipare poteſt: Aquatica omnia propter frigiditatem nimiam pilis inobſepta ſunt. verum tota hæc de pilis diſputatio melius illuſtrabitur, cum ex profeſſo de pilis agemus.

22. *Corpora agiliora ſpiritibus abundant.*

Corpora agiliora ſpiritibus abundantiora ſunt, vtpote calidiora; at connubiali quaſi fœdere leuitas & calor coniuncta ſunt. hinc ſuperiora duo elementa, ignis & aër, calida, leuia quoque ſunt; hinc videre eſt cur mortua corpora grauiora ſint quam viua; cur ieiuni & defatigati grauiores, quam liberaliter pranſi, & qui integris viribus; nimirum cadauera ſpiritibus carent; nimia inedia & defatigatione ſpiritus conſumuntur: quare ſuccedit frigus grauitatis aſſecla: hinc etiam fit, vt in duobus inferioribus elementis, terra, & aqua, in quibus vnis eſt frigiditas in ſummo, grauitas quoque reperiatur.

De Proportionibus Membrorũ.

ARTICVLVS IX.

23. *Mirabilis hominis fabrica.*

RECte Zoroaſter mirabilem hominis fabricam, & in ea diuinæ maieſtatis exuberantem prouidentiam contemplatus, exclamauit: ô *homo audacis naturæ miraculum:* nam, vt multa omittam, in quibus non obſcura viſuntur diuinitatis impreſſa veſtigia, quam affabre, ac quanta perfectione compactæ ſunt omnes corporis partes? qualis eſt infernarum cum ſupernis commenſus? quæ poſticarum cum anticis analogia? quæ læuarum cum dextris commenſuratio? quæ denique omnium membrorum, vt Græci vocant phya? Sane hanc abſolutam corporis concinnationem, adeo vt ſumma proportione omnia ſibi mẽbra reſpondeant, non nouere modo architecti; ſed etiam ex ea templorum ſuorum, ædium, domorum ſubſtructionem corriuarunt; cui abunde fidem faciet vnus, omnium inſtar. Vitruuius. Ego vero omnibus, quæ Albertus Durerus, nobilis pictor, libro integro de humani corporis proportionibus ſcripſit, recenſendis, non ponam operam: tantum ex illo amplo ſeminario, variiſque Ariſtotelis locis; ſecretas viuiradices eas transferam, quæ huic inſtituto noſtro accommodæ videbuntur: iuuat enim de corporis magnitudine paruitateque diſputantibus, rectam debitamque ipſius, aliarum cum aliis partibus proportionem aperire. Et vero Pythagoras ex veſtigio Herculis, magnitudinem eius collegit; ſicut ex vngue leonis, leonem Phydias expreſſit: Timander Poëta ex Pygmæis vlna pollicem Gigantis menſurantibus, magnitudinem Giganteã patefecit.

24. *Menſura arcæ Noë menſuram Corporis humani ſignificauit.*

Plerique omnes Sancti Patres, & ſcripturæ interpretes menſuras longitudinis, latitudinis & altitudinis arcæ Noë ſignificaſſe volunt corpus humanum: longitudo arcæ erat

cubitorum trecentorum, latitudo quinquaginta, altitudo triginta: ita vt sextuplo longior esset, quam pro latitudinis modo; decuplo autem longitudo altitudinem superaret.

Hæc autem hominis in terra iacentis secundum longum, latum & altum obseruata mensurarum ratio est A; deo vt longitudo, quę est à vertice vsque ad pedes & vestigia, sexies tantum habeat, quantum latitudo, quæ est ab vno latere ad alterum; & decies tantum quam altitudo, cuius altitudinis mensura est à dorso vsque ad ventrem.

25. *Vmbilicus centrum magnitudinis.*

Vmbilicus medium magnitudinis diribitorium est, imo centri rationem habet, adeo vt si hominem supinum statuas expansis manibus & pedibus, & alterum circini crus in vmbilico fixeris, circumagasque, orbem conficias absolutum, extremos manuum pedumque digitos contingendo.

26. *Altitudo hominis nouem capitum est.*

Altitudinem mediam designat furca corporis, seu partes generationi destinatæ: Tota autem altitudo nouem capitum est, quod de adultis intelligendum est; nam corpora puerorum sub primum ortum quatuor tantum circiter faciebus constant. vna autem ex his altitudinis partibus, est à radice capillorum ad mentum; secunda à clauicula colli vsque ad diaphragma; tertia ad vmbilicum; quarta ab vmbilico ad furcam: femur duas continet, totidem crus; nona denique constat collo, & ea parte quæ est à radice capillorum, ductâ in altum lineâ, vsque ad verticem capitis. Tota hominis altitudo æqualis est distantiæ ab vno extremo digito ad alium extremum digitum, dum homo diuaricat brachia.

27. *De facie.*

Facies æqualis est manui; quare nouem manus corporis magnitudinem æquant. Iterum facies triplici nasi longitudine constat; nam tantumdem est à radice capillorum ad summum nasum, & ab imo naso ad extremum mentum, quantus est nasus ipse. Huic longitudini respondet latitudo conueniens: nam quantum est à medio superciliorum ad exterioris anguli finem, vbi desinit oculus, tantum inde est ad aurium foramen: Sic faciei latitudo se habet ad longitudinem vt quatuor ad tria, seu est proportio sesquitertia. nasus, atque etiam frons est vigesima septima pars corporis. Aures occupant à summis oculis ad extremum nasum.

28. *De ore, vētre humeris, digitis.*

Oris longitudo pene æqualis longitudini oculorum; ipsorum distantia ab hirco ad hircum, duplum nasi est. Denique nasus & pollex æquales sunt. Rabbi Moses in libro præceptorum negatiuorum minimum digitum nasumque æquales esse ait; quod eodem recidit; nam pollex & minimus digitus pares sunt magnitudine.

Venter imus respondere assolet faciei in corpulentia vel gracilitate ex Aristotele 1. de historia c. 15.

Humeri ab humero latitudo ter repetita, longitudinem corporis à vertice capitis ad plantam pedum superat vno palmo.

Digiti longi longitudinem auricularum cordis, & magnitudo eorum magnitudinem iecoris ostendit, ita Auicenna lib. 3. fen. 13. cap. de hepate, idem dicit Albertus lib. de animalib.

29. *De pede.*

Pes quater nasi longitudinē continet, aut vt alij, & pene eodem recidit, longitudo hominis septies plantæ pedis magnitudinem æquat, vt & intestina quæ tantum sex numerantur,

merantur, aut potius sex variæ partes vnius & eiusdem; duodenum, ieiunum, ilios, cæcum, colon, rectum, septies longitudinem hominis continent. Atque hic Septenarius, tum in iliis, tum in pede pertinet ad arcana naturæ, quæ in homine quamplurima Septenario absoluit; nam septimo mense partus vitalis, vnde & eodem mense lac mulieris grauidæ vtile esse incipit; inter pueros ante septimum diem plurimi intereunt, eo autem die salutis eorum solet maior affulgere spes, vnde antiqui, vt ait Aristoteles 7. de Historia Anim. c.vlt.pueris tantum septimo die nomina imponebant; secundo septenario pubes incipit; circa tertium augmentum corporis absoluitur.

30. *De manus latitudine.*

Latitudo manus, circa radices digitorum, æqualis est longitudini medij digiti; at palmus, seu latitudo manus iam dicta, quater in pede continetur; pes autem septies in corpore, vt iam diximus: quare palmus, idem dico de medio digito, octies & vigesies in corpore toto continetur.

31. *Mensuræ Geometricæ.*

Quænam sint mensuræ Geometricæ, hac occasione paucis indicandum. Granum hordei, est minima mensura, digitus continet quatuor grana per latera continue disposita, vncia habet tres digitos; palmus, quatuor; dichas, duos palmos, spitama tres palmos; pes quatuor; cubitus sex seu pedem & dimidium. Reliqua, nempe gradus, passus siue simplex siue Geometricus ad rem non faciunt.

32. *De cruribus, & collo.*

Crura cum brachiis communem ineunt rationem: Itaque quibus cubiti breues, iis etiam femora vt plurimum breuia sunt; & quibus pedes exigui, iis quoque manus paruæ sunt, venter imus faciei respondere assolet in gracilitate, vel corpulentia. ita Aristoteles c. 15. lib. 1. histor.

Collum quoque breue vel longum est, pro crurum modo; quibus longa crura, iis collum longum; quibus breuia, breue: quod etiam in auibus reperitur (præterquam palmi-pedibus) collum enim nec breue cum cruribus longis, nec longum cum breuibus pastum administrare potest ex terra. Strictim hæc & commatim referre, ex capite 12. lib. 4. de partibus animalium, satis est.

33. *De Næuis.*

Commodum vero hic erit quæ diutinâ comperta sunt experientiâ de næuis hic inserere; facies imo ventri respondet, collum cum cruribus & brachiis eandem subeunt rationem, aures cum costis, oculus cum ano, ita vt cum pars aliqua in facie, collum, aures, oculus nonnullis signis imprimitur, eæ corporis partes quæ illis correspondent, iisdem etiam signentur. Præterea, vt obseruauit Hali antiquus author, næuus sub natibus alium inter cubitum & humeros, nota in supercilio aliam in pectore, præmonstrat. Melampus vero affirmat collum cum cruribus, brachia cum pedibus in næuis congermanescere, genas cum natibus: quamquam hic author in illis suis septuaginta Aphorismis, vbi ex næuis aliquam futurorum cognitionem haurire vult, nugacissimus est, & plane ridiculus.

De Capite.

CAPVT II.

1. *Capitis nobilitas.*

CAPVT non solum principale, sed etiam totum in corpore vocauit Plato in Tymæo. *Quid sine capite est homo, cum totus in capite sit?* inquit Ambrosius lib. 6. hexaem. c. 9. Sane principale est, cum sacra sit Palladis arx & sedes, rationis domicilium, Cerebri conceptaculum, nitidissimum animi speculum, intelligentiæ pontificium, hinc olim pilei vmbraculo Hippocratis imagines contegebantur, vt significaretur quam maximo studio partem hanc esse contegendam. *Ac primum omniũ cognoscamus* (Refero iam laudati Ambrosij verba:) *humani corporis fabricam instar esse mundi, siquidem vt cœlum eminet aëri, terris maria, quæ velut quædam membra sunt mundi; ita etiam caput supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, præstantissimumque esse omnium, tanqum inter elementa cœlum, tanquam arcem inter reliqua vrbis mœnia;* multo alia apud hunc sanctissimum ac eloquentissimum Antistitem videri possunt.

2. *Quid nomine capitis intelligatur.*

Porro hic capitis nomine intelligimus illud quod prima colli vertebra, & vertice circumscribitur, & dicitur latine, Caput, quia ab eo initium capiunt sensus; Græce κεφαλὴ à καλύπτω vt vult Apollodorus quod cerebrũ tegat. Meletius Phylosophus lib. de natura hominis aliunde deriuat nempe ἀπὸ τοῦ κάρφεσθαι, ὅ ἐστι ξηραίνεσθαι, quod siccitate præditum diceres, cum siccum osseumque sit caput; à quibusdam ἀπὸ τῆς κυφότητος nuncupatur, eo quod gibbum sit: nam quod circularis ambientisque figuræ est, κύφον, hoc est gibbosum denominatur. Hebræis Rosch dicitur; sumiturque eadem vox pro potentia, principatu, & Tyrannide.

3. *Cur rotundum.*

Cæterum caput orbiculari figura tornatum vult Auicenna, tum capacitatis ratione: (quam enim multa in capite recludenda erant.) tum vt nocumentis minus occurset; Plato qui animas in cælo præextitisse sentiebat, tertiam addit rationem in Timæo; ne, inquit, à supero cœli tractu ad inferiora tendens anima, peregrinum, locum & sibi dissimilẽ occuparet, figura ipsi cœlo compar destinanda fuit; ex quo patet Platonem grauiter hallucinatum, dum animam in solo capite, non autem in reliquo corpore constituit.

4. *Capitis ossa.*

Capitis ossa alia sunt cranij alia faciei. Cranium octo constat ossibus, sex propriis, duobus communibus. Propria sunt frontis, occipitis, syncipitis duo; temporum item duo. Communia Sphenoides seu cuneiforme sic dictum, non à figura, sed à modo insertionis, Alij multiforme vocant, barbari Basilare, quod in basi capitis situm sit; Arabes os colatorij vocant, quia ipsi glans pituitaria adiacet, quæ pituitam è cerebro, carne sua spongiosa excipit. Ethmoides ad summam nasi radicẽ situm est. facies maxillam vtranque superiorem, & inferiorem continet. Superior vndecim cõstat ossibus, Inferior duobus tantum, quæ ad medium mentum interiectu cartilaginis vniuntur; verum hæc cartilago in senibus sæpe in naturam ossium degenerat, adeo vt vnum tantum os esse videatur. Hæc omnia fusius

Andreas

Andreas Laurentius cum de ossibus, quæ necessaria Physiognomo, vt & sequentia.

5. *Ex Capitis magnitudine ossium natura æstimanda.*

Hippocrates 6. Epidem. ex capitis magnitudine ossium naturam ait æstimandam, quia proportione respondent capitis magnitudini; ossa enim coxendicis sacro; sacrum vertebris; vertebræ, spinali medullæ; medulla cerebro; cerebrum caluariæ respondet. Præterea collum respondet spinali medullæ: collo humeri: humeris brachia. Accedit & omnes neruos respondere capiti à quo oriuntur, recensentur à Medicis triginta septem eorum paria seu coniugationes & Syzigiæ, quarum septem à capite oriri dicuntur; triginta à spinali medulla, tamen omnes à cerebro oriri existimandi sunt; nam cum vehant spiritus, inde oriri par est, vbi eorum fit elaboratio; cum cerebrum male afficitur, statim nerui parem sentiunt affectionem: eorumque structura interior medullaris est, membranea exterior, vt & cerebri quoque.

6. *De spinali medulla.*

Si spinalis medulla, vt ait Andreas Laurentius lib. 4. cap. 12. suis tunicis spolietur, in aqua agitetur, à summo ad imum non erit continua in sua crassitie, sed, caudæ instar equinæ, separatis quasi capillis contexta, qui scilicet nerui sunt à cerebro ducentes initium; & deinde per vertebras suo singuli loco prodeuntes: Recte igitur censentur nerui respondere capiti; quæ omnia necessario dicenda fuerunt propter maximam ad sequentia opportunitatem, vbi non adeo commode dici potuissent.

De Capitis magnitudine & paruitate.

ARTICVLVS I.

7. *Caput vastius, somniculosum indicat.*

Caput quod iusto maius est, seu vastius colli & totius corporis habita proportione, somniculosum indicat. Ex Aristotele lib. de somno & vigilia; nam somnus ex copia vaporum oritur; somnus quoque humefacit, vt patet experientia & dicetur infra libro quarto cap. 14. Quò autem maius caput est, maius quoque receptaculum est vaporum, atque adeo plures suppetunt vapores propter maiorem humiditatem, vnde sõnus prolixior & frequẽtior est.

8. *Et præterea obtusũ, indocilem, ignauum.*

Præterea obtusi, indocilis, ignaui meticulosi argumentum est caput vastius; Referuntur, vt præclare recenset Ioannes Baptista à Porta, ad noctuas & bubones, quæ aues capita habent enormi magnitudine, & ex otio prodeuntes vix pedibus ingrediũtur nimio pondere capitis detentæ; falcones qui magnum caput habent, non laudãtur; quod ad auium nocturnarum speciem accedunt, quę omnes capitatæ sũt timidæque: Inter pisces referuntur ad Vranoscopum magni capitis, & stolidissimum; ad Cephalum, qui à magno capite capito vocatur, & adeo stolidus est, vt capite occultato totum se occultari credat. hæc ille. Ratio huius rei esse potest quod huiusmodi capita abundent humiditate; Multa autem humiditas hos animi næuos conciliat, vt patet in pueris, qui propterea timidi sunt, ignaui, & inepti ad rationis opera; Alia quoque ratio esse potest, quod cum vastius caput est non potest sufficien-

ter, pro tanta vastitate, subministrare spiritus ad officium rationis, vnde oritur debilitas iudicij, ac proinde indocilitas; his autem duabus maculis adiuncta est & tertia vt plurimum, nimius metus scilicet, ex eodem spirituum defectu.

9. *Ex duplici causa oritur nimia capitis magnitudo.*

Porrò vastius esse potest caput, siue propter ossium & ambiētis carnis molem exuberantem, quæ parum cerebri contineat, siue propter nimiam & exundantem cerebri copiam; Propositio nostra de vastitate vtroque modo sumpta intelligenda est, & quidem rationes secundum posteriorem modum progressæ sunt, sed non minus etiam & hoc ipsum, de vastitate secundum priorem modum sumpta, intelligi potest. nam si cerebro corpulentius sit sepimentum carnis circumiectum, carnis copiâ totū ipsum cerebrū intepescit, & humescit iusto amplius. Nec tam facile fumi poterunt exhalare, vnde putrefiunt, vitiantque organa operationum mentis. Adde quod tanta carnis copia signum est modici caloris, qui materiam humidam non potuit attenuare & resoluere.

10. *Caput magnū optimi ingenij indicium est.*

Caput magnum optimi indicium est: voco hic magnum, quod mediocri paulo maius est, seruata proportione reliquorum membrorum corporis; Ratio conclusionis est, quia cum facultates rationales exerceantur in cerebro vbi magna erit cerebri copia, (sine vllo tamen excessu) vt sane est in magno capite, æquum erit eas quoque vegetas esse, & probe habere in magno capite; nam cum instrumentum recte affectum est, potētia recte agit; vnde facultas visiua recte videt, oculo perpurgato. Fateor vero non mihi videri ista magna capita tantæ subtilitatis, quam magni iudicij, propterea quod non videtur posse habere tam celeres ingenij motus, in quibus subtilitas consistit.

11. *Obseruatio de hac capitis magnitudine.*

Porro hic maximopere obseruandum est nonnunquam magnitudinem capitis ex sola materiæ carnisque abundantia oriri, deficere autem virtutem formatricem in partibus internis, cuius iudicium ex eo peti potest, quod male conformatum concinnatúmque sit exterius: tunc vero laudem nullam meretur; imo si paruum sit, at bene conformatum, multo laudabilius censendum est; quia paruitatem materiæ supplet virtutis formatricis perfectio.

Magnitudinem igitur in hac propositione intelligo ex cerebri copia ortam, cum de reliquo caput ipsum exterius bene conformatum, macilentum, minimeque corpulentum sit exuberante carnis ossiumque mole. Ac propterea, si Auicennæ credimus, vt iam insinuauimus, caput à natura rotundum formatum est, tum vt nocumentis minus occurrset, tum capacitatis ratione: figura enim hæc, vt omnium simplicissima, ita perfectissima, æquabilissimā, fortissima, & capacissima est.

12. *Soluitur obiectio.*

Neque verò obiicias mihi quod communiter dicitur vulgari dicterio; magnum caput, parum sensus habere: potest enim hoc dici per Antiphrasim, quod ordinarium sit magna capita multum sensus habere, id est, iudicij & ingenij; Turpe autem omnino, propterea sit aliquem prægrandi capite parum sensus habere, ingenioque deficere; sicuti stolido scholastico dici potest; tam doctum virum audisti, & adeo stolidus es & ignarus:

vsu

vſu enim venit vt docti magiſtri doctus ſit & diſcipulus. Quod ſi non placet hæc expoſitio, intelligatur per magnum caput, vaſtius, & procerosius altero duorum modorum, quos ſupra expoſuimus. Huiuſmodi enim caput valde ſtupidum eſt: vnde & ignaui homines vocari ſolent cucurbitino capite: cucurbita enim intumeſcit in magnam aluum, atque hoc prouerbium vſurpant Hermippus Comicus, & Apuleius lib. 1. metamorph. *nos cucurbitæ caput non habemus*, (hoc eſt, non adeò ſtolidi) *vt pro te moriamur*.

13. *Paruum caput mali ominis eſt.*

Paruum caput cum ſit ſignum debilitatis virtutis formatricis, & paucitatis materiæ, mali ominis eſt; *Paruum caput, paruum perpetuo habetur*, inquit Meletius.

Referuntur ad bubalum, quod eſt animal ferox, impotens ſui, capite paruo, & cauda parua, paruiſque cruribus proportione corporis. Referuntur etiam ad Camelum, grande animal, longo & gracili collo, capite exili, altis cruribus, pelle dura. Denique ad ſtuthionem, de cuius ſtoliditate videri poteſt Iob cap. 39. & Plinius lib. 1. cap. 1. Ratio concluſionis eſt, quod paruum caput ſiccam & calidam temperiem cerebri arguit, cum valde cito incaleſcat, vt pote quod habeat valde anguſtos ventriculos, quibus conſtricti ſpiritus non liberè ſpatiantur, ſed facilè turbinantur, & rotantur, vnde ſequitur nimius calor, & confuſio. Adde quod cum exiguum cerebrum ſit, non adeo cor ſpirituum officinam refrigerat; vnde fit vt qui paruo capite ſunt, indociles, præcipites, atque adeo iracundi cenſendi ſint, maximè ſi latius ſit pectus atque adeo calidius cor. Præterea verſuti, & callidi ſunt: ſcilicet cum propter paucitatem cerebri prudentia non polleant huiuſmodi homines, propter caliditatem nimiam, celeres habent motus & verſatiles, in quo aſtutia poſita eſt; vulpes inter quadrupedes aſtutiſſima, fraudum architecta, minimo capite eſt.

Miſcellanea de paruo & magno capite, atque aliis huiuſmodi.

ARTICVLVS II.

14. *Paruum caput multa naturæ arguit incommoda.*

PRimo, paruum caput virium imbecillitatem arguit, & multa naturæ incommoda; nam capitis paruitatem ſequitur cerebri paucitas, hinc ventriculi stricti: ceruix, collum, dorſum, coſtæ & nerui; quæ omnia ab ipſo oriuntur, anguſtiora; At vbi ventriculi anguſtiores, ibi principes operationes, nempe, ratiocinatio, imaginatio, memoria grauiter læduntur; de quo ſtatim poſtea. Vbi ceruix parua, ibi tenuitas neruorum motiuorum, vnde imbecillitas; Ibi quoque eſt tenuitas coſtarum ſeu exiguitas, ex qua pectus conſtrictius; ex hoc anhelitus difficilius, & maximum nocumentum.

Adde his omnibus paucitatem cerebri comitari tenuitatem neruorum ſenſibilium & paucitatem ſpirituum, ac proinde omnis ſenſitiuæ operationis miram debilitatem. huic toti doctrinæ anſam dedit Hippocrates, quem iam citauimus ſupra initio huius capitis. nec omittendum quod notat Meletius, in animali cerebrum eſſe loco Aurigæ, neruos lori officium explere, pro fre-

nis

nis esse musculos : equi vero reliquas corporis partes rationem habere : cum autem corpus transuersum circumferre seu retrahere:siue in anteriora mouere, contigerit cerebro, nerui ceu lora huic officio inseruiunt;frœnum vero, cum trahentia se lora sequatur, facit, vt partes corporis illum qui primitus mouet, sequantur. Ex quo patet motū in animali neruis musculisque perfici.

15. *Caput iustæ magnitudinis, virium corporis, & optimæ intelligentiæ indicium est.*

Secundò, caput iustæ magnitudinis, virium corporis & optimæ intelligentiæ indicium est; atque hic aduertendum est ex Roderico à Veiga in quauis animalium specie, vsui præstantiori, à natura intento in ea specie, præstari compositionem exactiorem; quandoque magnitudinem præcellentem, vt dentes apro, armorum vice; neruos odoratorios cani ad venandum, cerebrum homini triplo quam bouillum maius ad cogitationes: Quandoque compositionis varietate & numero, vt musculi crurum lepori, & ceruo ad fugiendum: quandoque temperie prouidet magis accommoda, vt visum concessit feli noctu venaturo, & homini cutem temperatissimam ad tactum; ergo causa intelligentiæ humanæ supra bruta petenda non est ex maiore varietate constructionis cerebri: alioqui non potuisset cerebrum asini, & arietis formari cum tantis mæandris & anfractibus, ac cerebrum hominis, quos tamen similiter humano cerebro, habet: petenda igitur est ex amplitudine cerebri, tenuitate spirituum, & similibus.

16. *Varia de paruo capite.*

Tertiò: Caput paruum sed optime conformatum longe præstat capiti magno, sed male conformato: nam signum est defuisse quidem materiam, at virtutem formatricem vegetam omnino fuisse.

Quartò: Caput paruum simpliciter malum est, at si occiput aut syncipue tantum paruum est, fieri poterit vt non sit simpliciter malum: Ratio est, quia paritas capitis simpliciter paruitatem omniū ventrium indicat;paruitas autem vnius partis non ita necessariam arguit dispositionem malam, quia alter venter amplior supplere potest alterius paruitatem.

17. *De Variis affectionibus substātiæ Cerebri.*

Quintò: Substantia cerebri subtilis, hominis ingeniosi est; crassa, tardi; formarum facile susceptiua, memoris; calida, mobilis; frigida, stabilis; humidior, stulti; ita Galenus in arte medica cap. 11. Ratio vero, aut ex dictis satis patet, aut ex dicendis patebit.

18. *Vnde dolores capitis oriantur.*

Sextò: Dolores capitis sæpe ex suturarum paucitate, aut ex earumdem nimia constrictione oriuntur. quinque sunt, vt plurimum, in hominis capite suturæ: coronalis, lābdoides, sagittalis, & duæ squammosæ, earum multiplex est vsus: hic præcipuus, vt exhalent fuliginosi vapores: quare cum homo plus, quam cætera animalia caloris habeat, vt diximus superiori capite art. 7. ideo & plures in capite suturas, vt cerebrum, pluribus exhalationibus abundans magis, perpurgetur: & mares quidem, quia calidiores, plures suturas habent, quam fœminæ, ex Aristotele 2. de partib. c. 7. Sæpe vero in senibus concrescunt, adeo vt vix vllæ animaduertantur, ac visi sunt nonnumquam viri, quorum caluaria solida sine suturis; quod contingit maxime in æstuosis locis, vt Æthiopia; Ac forte suturis carebat Adrianus princeps, qui adeo patiēter frigora & tempestates ferebat,

ferebat, vt caput nunquam tegeret, vt legimus apud Dionem: dico, forte, quia, vt mox videbimus, alia huiusce rei afferri potest ratio. Iam vero propositio probatur; quia dolores capitis sæpe ex nimia vaporum fuligine oriuntur, quæ, si spirantior esset locus ex suturarum, aut multitudine, aut dilatatione, facile exhalarent, neque dolorem capitis procrearent

19. *Durities caluariæ vnde oriatur.*

Septimò: Durities Caluariæ arguit suturarum paucitatem, aut constrictionem: quæ quidem constrictio à magna siccitate ortum habet, vt patet in senibus. Herodotus aliam rationem affert; spectauit ipse ad Pelusium ossa eorum, qui in acie illa occubuere; testaturque Persarum capita adeo fragilia fuisse, vt talitro perfringerentur; scilicet pileis, mitrisque semper capita tegebant: Ægyptiorum contra adeo solida, vt, ne lapidis quidem ictu, temerè comminuerentur; nimirum ea gens ab initio radebatur, & ad solem obdurescebat, neque pileis mitrisque vtebatur; legendus Sabellicus l. 7. Enneadis 2. Massinissa, Numidiæ Rex, nullo frigore, aut imbre adduci potuit, vt caput tegeret; ita Cicero l. de senectute. Hãnibal, Iulius Cæsar, & alij summi duces: detecto semper capite, seu sol, seu imber esset, velut contra frigora tempestatesque indurato incessere, vt ait Alexander ab Alexandro l. 2. Genialium Dierum c. 19. non prætermittendus hic Plinius l. 28. c. 6. *Capita*, inquit, *aperiri aspectu Magistratuum, non venerationis causa iussere*, (antiqui) *sed, vt Varro author est, valetudinis, quo firmiora, consuetudine ea fierent*; ac forte, tum Adrianus, tum Massinissa, atque alij longo vsu & consuetudine hoc consecuti sunt, vt à cæli iniuris non læderentur, cum aperto semper capite incederent.

20. *Magnum caput longæ vitæ signum.*

Diutina obseruatum experientia magnum caput longam vitam protendere: Ratio est; quia, vt patet ex iam dictis, inde maxima consequitur amplitudo Thoracis, vbi sunt partes vitales; cerebrum quoque, propter amplitudinem Caluariæ, optime affectum est; quid ergo deerit ad vitæ longitudinem? quid quod in plantarum, arborumque genere obseruatum est eas, quæ caput prægraue habent, magnum, ac ponderosum, longius vitæ cursum protrahere: caput vero, radicem voco, quæ in ipsis principium nutritionis est, vnde capitis & partis superioris ratio sumitur; breuioris vero vitæ sunt, quæ exiguas radices habent.

De Capitis figura & inclinatione.

ARTICVLVS III.

21. *In Anteriori parte capitis exercentur Imaginatio, & omnes sensus.*

CApitis forma seu figura multum cõfert in omnem partem: quam ad rem sciendum est in anteriori parte exerceri imaginationem, cuius signum est, quod qui acriter imaginatur, ea capitis parte incalescat, & doleat; præterea exerceri omnes sensus, vnde & omnes sensitiui nerui ex syncipite oriuntur; nempe septem paria; primum ad oculos fertur, videndique spiritum ipsis infundit; secundum in oculorum musculos, illorumque, præficitur motioni; Tertium ad gustatum pertinet, compluresque in linguam propagines mittit, quæ in latitudinem fusæ tunicam eius con-

ſtituunt guſtandi ſenſum communicantes; nonnullæ in frontem, ſupercilia, maxillas, labiáque ad motum communicandũ pergunt; Quartum in oris & palati veſtientem tunicam; Quintum ad aures; Sextum inferioribus corporis partibus tangendi ſenſum ſuppeditat in multos diuiſum ramulos, cuius quidem ramuli per coſtarum fines, in lumborum interiores muſculos, & oſſis ſacri extremum abeunt, ramulis tenuibus ad interiora viſcera demiſſis, alij, ſoporali arteria, & iugulari vena primum comitati, in pectus delabentes ad œſophagum inclinant, atque oſtiolum ventriculi, tandémque in reliquum eius corpus per exiles ramulos effunduntur. Septimum linguæ motioni præſidet; huius vna propago fertur in villos muſculorum linguæ, quos multifariam intexit, minima in rectos laryngis muſculos, quædam in lacertos, alia ad tonſillas & fauces.

22. *In poſtica parte exercetur memoria, in medio capite cogitatio.*

Porro in poſtica capitis parte exercetur memoria, quod, quaſi natura duce, monemur, cum memoriam alicuius rei reuocaturi occiput leuiter defricamus; Præterea ex occipitio ducuntur pene omnes nerui motiui ſeu motorij, & medulla cerebri, quæ eſt quaſi forma exemplárque magnitudinis totius corporis, vt dictum eſt ſupra initio huius capitis ex Hippocrate. At vero in medio capite ratio, & cogitatio exercetur.

23. *Nonnulli defectus, qui ex praua capitis conformatione oriuntur.*

Verum quia, male affecto inſtrumento neceſſe eſt male affici actionem cauſæ, fit, vt qui occiput depreſſum habent, patiantur debilitatem virium & memoriæ, quia nerui actiui & ſedes memoriæ nimis comprimuntur. Qui vero ſyncipvt humile & cauum habent, imaginationis & ſenſus; qui vero nimis compreſſa tempora, rationis & cogitationis: tunc enim propter nimias anguſtias comprimuntur ſpiritus. Quod ſi ſphæricum caput eſt, neceſſarium eſt ventriculum medium ampliſſimum eſſe: quare nec in eo ſpiritus bene vniri poſſunt; vnde confuſio & turba in operatione conſequitur; Albertus ſenſu, memoria, ſapientia, carere ait ſphæricũ caput.

24. *Quæ optima capitis figura.*

Quare optima figura eſt, quæ oblonga eſt ante & retro, leuitérque ad tempora ſeu latera compreſſa, cuiuſmodi figura malleum refert; quã pene omnes Pariſini obtinent, quod non ab obſtetricibus, ſed potiſſimum iam à natura oriri arbitror: Refert enim Hippocrates de aëre, aquis & locis, fuiſſe in Ponto Macrones populos, ita dictos, quod Macrocephali ſeu oblongo capite eſſent, & primo quidem, cum communis eſſet apud eos exiſtimatio, pulchritudinem ſitam eſſe in capitis longitudine, primum in eam figuram tenellorum puerorum capita conformabant: (nam, vt ait Philoſophus lib. 1. de hiſtoria animal. cap. 7. ex omnibus corporis oſſibus ſinciput omnium vltimum concreſcit & induratur:) natura vero poſtea eorum ſtudiis exancillata, quaſi eos hoc labore leuatura, fœtus ſuos oblongo capite formauit, & effudit: Idem exiſtimo contingere poſſe in capitibus Pariſinis.

Quod autem dictum eſt talem figuram optimam eſſe, ſententia eſt Palæmonis, Auicennæ, Adamanti, Galeni, Coclitis, Portæ: Et ratio eſt quia ſic ſedes nec memoriæ, nec imaginationis, nec rationis læduntur, nec origines neruorum, ſiue anteriorum, ſiue poſteriorum coarctantur.

Porro

25. *Actiones imaginationis, memoriæ, cogitationis fiūt in tota cerebri substātia.*

Porrò quæ hactenus dixi, non ita intellecta velim vt varias actiones mentis, varia in cerebro habere sibi à natura destinata organa existimem; de quo videri possunt Conimbricenses lib. 3. de anima cap. 3. quæst. 1. probabilius enim est imaginationem, memoriam, æstimationem, sensum communem, & omnes actiones sēsuum internorum, ad quas consequuntur actiones rationales, in tota cerebri substantia exerceri; non autem in ipsis ventriculis qui non sunt animati, nec in meningibus, vt vult Fernelius, tamen nonnullas esse in cerebro partes ad actionem vnam magis accommodatas, nonnullas ad aliam, & sic memoria dicetur exerceri in occipitio, imaginatio in syncipitio, & harum facultatum operationes lædi his partibus læsis, quod ipsæ sint aliis partibus earum actionibus, propter suam temperiem, accommodatiores. Conimbric. ex Galeno exempla memorant, quibus hæ facultatum læsiones confirmantur.

26. *De capite pineato.*

Caput pineatum & proacuminatum inuerecundorum est, iracundorum, audacium, stolidorum: Ratio est, quia hæc capitis dispositio exuberantem calorem, & siccitatem demonstrat, prauamque organorum dispositionem ad imaginationis, & iudicij, operationes. Referuntur ad aues rapaces ex Aristotele. Atque homines istiusmodi dicuntur Phloxi ex flammæ vi, quæ Phlox appellatur. Argiuæ mulieres & Atticæ erant tales ex Athenæo, vt refert Cœlius lib. 3. cap. 23. Talis quoque stolidus & impudens Tersites ab Homero describitur.

27. *De capite cauo ad synciput, &c.*

Caput cauum in syncipite & occipite, adeo vt neque anteriorem, neque posteriorem eminentiam habeat, pessimum est, vt iam satis patet: Caput etiam ad coryphem seu verticem humile & planum, mali indicij est: contra qui eminentias habent in occipite, & syncipite, probe affecti sunt: nam illa eminentia robustorum est, ista bene sensatorum; vtraque autem simul, prudentium, magnanimorum, robustorum: Sicut contra cauitas in occipite timidorum, in sincipite imprudentium est: quorum omnium ratio iam insinuata est.

28. *Variæ figuræ innaturales capitis.*

Innaturalis figuræ capitis species quatuor numerat 9. de vsu partium cap. 17. Galenus; prima est, in qua deest anterior gibbus seu bregma: Secunda, in qua posterior: Tertia, in qua vterque, ita vt maneat rotundum caput: Quarta maximè innaturalis, in qua extuberat ad latera, quam vtpote summe à natura recedentem, non putat Galenus dari cum vita. At vidit Vesalius conciliator, & Vgo vt refert Thomas Rodericus à Veiga in artem medicam Galeni.

29. *De capite naturaliter inclinato, aut erecto.*

Iam vero quod attinet capitis naturalem inclinationem, signum est hominis naturaliter timidi, & pudibundi, quoniam capitis inclinatio timoris pudorisque argumentum est.

Stes capite obstipo, multum similis metuenti, inquit Horatius lib. 2. serm. satyra 5. Sicut enim se habet signum fugax ad passionem transeuntem, ita signum permanens ad passionem naturalem.

Contra erectum naturaliter caput confidentiæ, audaciæ ac similium passionum indicium est.

De Capillis.

CAPVT III.

1. Pilorum laus.

QVOD homo inter omnia animalia maxime piloso sit capite, referendum esse ait Aristoteles lib. 2. de partibus cap. 14. tum ad necessitatem, tum ad præsidij rationem; ad necessitatem quidem propter cerebri humiditatem, & commissuras caluariæ, vbi enim humoris calorisque plurimum, ibidem ortum pilorum copiosum esse necesse est; sed præterea præsidij ratio habita est, cum enim hominis cerebrum proportione maximum atque humidissimum sit, maximam quoque tutelam desiderat, quod enim humidissimum est, & referuescere, & refrigescere maxime idoneum est; dati sunt etiam pili, ad eiusdem capitis leuamentum; sic enim excrementitiis depurgatur humoribus, imo etiam ad ornatum, qua de re præclare Ambrosius 6. Hexaëmeron. cap. 9. *Quam speciosa cæsaries, quam reuerenda in senibus, quam veneranda in sacerdotibus, quam terribilis in bellatoribus, quam decora in adolescentibus, quam compta in mulieribus quam dulcis in pueris; alium sexum crinita, alium tonsa non decet. Ex arboribus licet, quæ humani sit gratia capitis, æstimare: In capite arboris omnis est fructus, ibi omnis est pulchritudo; tolle arbori comam, tota arbor ingrata est. Quanto igitur maior humani corporis ornatus est? qui cerebrum nostrum, hoc est, sedem originemque nostrorum sensuum capillis capitis munit, & vestit, ne, aut frigore vexetur, aut æstu; illic enim fons vniuersorum est, & ideo vbi iniuria nocet, ibi gratia præeminet.* Hæc Ambrosius.

2. Ethymon.

Dicuntur autem pili à pelle, quia cutis, seu pellis eorum subiectum est ex Aristotele 5. de Generatione animalium cap. 3. Quare ea abscissa nunquam pilus nascitur, capilli vero quasi capitis pili; Cirri, capilli retorti, crines fœminarum sunt, quæ vittis pilos discriminant; Cæsaries virorum propria, quia comam cædunt.

3. Origo.

Nascuntur ex vapore crasso, terreno, fuliginoso (est autem fuligo ex Aristotele pinguis) euaporescente, addensato ad extremam cutem. Duplex sane cutis est, interior & exterior, illa dermis, ista epidermis, seu cuticula vocatur. Certum vero est oriri pilos ex interiore, quia humido pingui aluntur, quod sub cute interiore latet, At inter interiorem, exterioremque cutem nullus adeps, ergo, inquit Ioannes Tardinus, sicuti plantæ agunt radices in eas vsque partes, ex quibus alimentum possint prolectare, ita necessarium est vt pili ex interiore erumpant cute, in qua scilicet copiosum ipsis suggeritur alimentum.

Porro pili pro varietate cutis varij oriuntur, crassi ex crassa, tenues ex tenui, ait Aristoteles lib. 5. de generat. animalium cap. 3. cum enim rarior est cutis, multum materiæ exhalat; si vero crassior est, longiores moras trahit materia in meatibus; quare magis crassatur, & addensatur; ouium lana tenuis est, quia tenues meatus; pili suum crassi, quia cutem densam meatusque valde apertos habent.

De Coloribus capillorum.

ARTICVLVS I.

4. *Difficilis de pilorũ coloribus disputatio.*

PRimum de coloribus disputatabimus: quod studium est, in quo feliciter decurrere sine naufragio perquam operosum est: Labyrinthus mille dubiis viarum anfractibus implicatus, vnde vix pateat exitus; tamen, ne hic præcipuæ officij nostri parti defuisse videamur, capillitij colores breuiter perstringemus: Eos ego ad album, nigrum flauum,rufum, tanquam præcipuos referendos existimo.

5. *Tinguntur capilli ab interna temperie, & ab aëre.*

Verum occurrit quod monet Auerroes, tingi capillos, non tántum ab interna temperie sed etiam ab externi aëris affectione, adeo vt in temperatis duntaxat regionibus, de pilorum colore, propriæ animantis temperaturæ coniecturã ducere liceat; In intemperatis, cuiusmodi sunt Æthiopia,Polonia,nõ liceat;sed ad frigus aut calorem regionis capillaturæ color referendus sit;quo fit vt in sequentibus propositionibus de variis coloribus dicturi quidem simus,ex quibus quisque qualitatibus oriatur:Cæterũ intrinsecas intellige,si de regionibus temperatis sermo fit; extrinsecas si de intemperatis.

6. *Vis aëris in immutandis pilis.*

Huius vero occasione quis non miretur tãtam esse aëris vim in immutandis pilis,vt nonnulla animalia certum in locum translata, natiuo colore deposito nouum assumãt. VVorca,vt ait Scalliger exercitatione 211. Sarmatorum est regio, à Nouigrod Septentrionem versus; In eam quæcunque animalia commigrant aliunde, vel transferuntur, albescere pro confesso est; quamquam forte hoc ex certa aquarum proprietate oriri dici posset; qua de re videatur Aristoteles 3. de historia animalium cap.12.vbi agit de fluuio Thraciæ, quem præ nimia frigiditate, Psychrum, vocant,quique talis est, vt cum ex eo biberint oues moxque inierint;nigros agnos generent; subiungit, in Antandria duos esse fluuios,quorum alter candorem, alter nigritudinem pecoribus facit: videatur etiam Strabo l. 10 de Cireo & Neleo Eubϧæ fluminibus; & Seneca naturalium quæstionum lib.3.cap. 25. de duobus aliis fluuiis in Bæotia, quorum alter Melas, vocatur ab effectu nigredinis,qua ouium lanas,aliorumque animalium pilos inficit.

7. *Niger color vnde vt plurimum oriatur.*

Niger color capillorum oritur vt plurimum à calore; qui halitum vehementer deurit, & quasi fuliginosum reddit; & sic Æthiopes, qui continuis torrentur,ardoribus, cutẽ extimam pilosque nigerrimos habẽt Ipsi autem non multum calidi sunt intensiue propter continuam spirituum iacturam, quam, solutis à calore poris, faciunt: & quia timidi, ideo prudentiores sunt; nam timor parit consultationem, consultatio prudentiam: Si qui vero in regione temperata nigricant capillitio, eos vt plurimum, calidos siccos interna temperie cerebri indicarim: cum adustio hæc ab externo calore non possit, oriri; dico autem, vt plurimum; nam fieri potest, vt propter opacas fuligines occupantes meatus pili nigredine inficiantur: quod si loco harum fuliginum atrarum aer subingrediatur, de quo statim postea,flauescit capillus.

8. *Vnde sit pilorũ varietas.*

Sane hic valde notandum est,pilos, pro varietate partis, vnde exeunt,varietatem colorum subire sci-

licet in brutis propter crassitiem cutis, quæ ideo vim loci pilorum obtinet, cuti sunt concolores. At in homine magis sequuntur temperamẽtum membri substrati cuti; non autem cutis ipsius, cum maxime tenuis sit. Quare color capillorũ capitis temperamentum indicat, pili thoracis, præcordiorum hepatis temperiem. Verum interdum in homine fit, vt pili sequantur temperamentum cutis; vnde in adolescentibus sæpe flauescunt propter cutaneæ pituitæ copiam.

9. *Ex caloris interni defectu canities oritur.*

Canities signum est debilitatis caloris, humidum abundans decoquere non valentis; ac Aristoteles 5. de generatione animalium, cum primum dixisset, canitiem oriri ex putredine humoris quo pili aluntur. Hoc deinde fuse explicat cap. 4. & 5. Ego vero paucis in hæc contraho. In cæteris animantibus quæ natura, non autem affectu pilos albos habent, cutis causa est, nempe vbi alba est albi sunt capilli; vbi nigra, nigri; & vbi varia, varij & ratio, est crassities cutis, quæ alimentum retinet diutius, ac propterea pilis suum colorem impertitur. At de homine id dici nequit, cum etiam nigerrimi cute canescant: longe igitur alio tramite ingrediendum est. Exoleta præcipitique ætate, cum inclinatur cõsenescitque corpus, superabundat humor, deficitque calor natiuus, & quidem humor à loco calore interno dissolui potest, ab externo vero corrumpitur: quare cum calor natiuus, qui modicus est tantam humoris copiam decoquere non possit, humor ab externo aëre ambiente vitiatur & putrescit; & sic putridus, pilorum canitiem affert, quasi quandam eorum cruditatem & ægritudinem; quod si pili teguntur pileo, citius canescunt, quia arcetur flatus, qui putredinem impediret; scitum est autem omnia quæ cariẽ & putredinem patiuntur, alba esse; succedit enim flatus qui, inclusus in terreo, albescit; quam ad rem legendum est libri primi caput decimum nonum art. 2. vbi de putredine. Cæterum quod canities non sit ariditas, nec pilum vt herbam albescere, hinc manifeste colligitur, quod nullum oritur aridum, cum humor solus, cum calore causa sit, & ortus, & incrementi, at pili oriuntur in senectute.

10. *De subita nonnullorũ canitie.*

Sed forte adhuc pendet animus, quomodo ex caloris interni defectu canities procreetur; Sed habeo quo anxie mentis salum sistam; vt ad Aristotelis sententiam accedas; plerisque per ægritudinem (quæ aduẽtitia quædam senectus est, vt senectus morbus naturalis) pili canuerunt, mox valetudini restitutis nigruerunt. At cur? per ægritudinem caloris naturalis inopiâ laborat corpus ac maxime pilus: vnde ab externo calore corripi potuit; cum tamẽ postea per probam alimoniam reparari potuerit calor internus. Idem ex timore natum est aliquando, vt contigit Ludouico Bauariæ duci, vna nocte, postquam Mariam Brabantinam occidi iussisset ob falsam suspicionem; dormiens enim ex visione horrenda subito incanuit vt refert Cuspinianus. At preterea, vt refert Scaliger exercit. 32. Franciscus Gonzaga Mantuæ princeps affinem suum suspectum coniurationis cum in turri portæ Cæsareæ, ad quæstionem, aut supplicium seruari iussisset, nuntiatum est mane totum repente canum factum; vnde misericordia motus veniam dedit. Sæpe etiam fit, vt hoc traduce generatio

nerationis à parentibus in filios propagetur: vnde in Albania canescunt pueri ex Plinio lib. 7. cap. 2. Cardinalis Palæotus testis est vidisse se puerum sexennem vel septennem apud Faliscos capite admodum cano.

11. *Nonnulla corollaria doctrinæ praecedentis, de canitie.*

Summa sermonis hæc est: Pilus albus signum est frigiditatis & phlegmatis seu humiditatis, quæ ab interno calore non concoquatur & putrescat; ex hac eadem doctrina Aristotelis recte à Porta colligit pueros, vt primum nascuntur, caput & supercilia habere alba, vt senes; habent enim tunc valde debilem calorem, non quidem simpliciter, sed respectiue, ad conficiendum humorem, cui complicatus est; verum adolescente ætate paulatim flauescunt, tunc enim præualet calor, quare non multum miror, quod Numam Pompilium, dicitur canum esse natum, ita Seruius ad illud Æneidos 6.

——*Nosco crines incanaque menta*
Regis Romani,

Qui primus, Senecæ nomen apud Romanos obtinuit, canus quoque in lucem venit; in hoc vero parum à communi aliorum infantium, cum primum nascuntur, lege aberrarunt; omnes enim pilos albos habent, at isti, Numa & primus Seneca, paululum supra cæteros in albedine excesserunt, ita vt cani dicti fuerint. Præterea idem Ioan. Bapt. à Porta ex eodem principio colligit, si qui pili ex vlceribus enascuntur, eos albos esse, propter interni caloris imbecillitatem in ea parte, vt etiam habet Aristoteles sect. 10. probl. 9. qui ibidem probl. 26. recte ait, vbi vitiligo est, canitiem quoque esse, quia in vitiligine cutis morbo laborat, ac pilum quoque laborare necesse est, vnde putrescit propter imbecillitatem.

12. *Alia corollaria breuitatem vitæ, & temperiem spectantia.*

Quamobrem iam clarum est, qui cito albescunt, pituita abundare: cum contra qui bile, tardissime canescant: mulieres, spadones, in quibus pituitæ copia, facile canescunt, ac de illis dici potest quod habet Ecclesiastes c. 12. *florebit Amygdalus*. Ex his colligere est, qui cito canescunt in iuuentute eos breuioris esse vitæ propter caloris tenuitatem, & humoris aquei abundantiam. Et vero Persius qui anno ætatis trigesimo mortuus est, vt ait S. Hieronymus in chronico, canus erat, ipsomet Poëta teste.

Tunc cum ad canitiem, & nostrum
istud viuere triste
Aspexi.——

Breuitas autem ista oritur ex caloris tenuitate & humoris aquei abundantia, cuius specimen aliquod habemus in lucerna, vbi humiditas aquea cito flammam extinguit; aëria, qualis est olei, flammam nutrit.

13. *De Pilorum animatione.*

Atque hæ experientiæ iam relatæ maxime faciunt ad solutionem celebris illius quæstionis, an pili sint animati: negant quidem Galenus cap. 7. artis paruæ; Aristoteles 3. de histor. cap. 11. Fernelius lib. 2. Physiolog. cap. 2. Fracastorius, Valesius atque alij. Affirmant idem Galenus, forte sui immemor 2. de Anatomiæ Administ. cap. vlt. D. Thomas in 4. dist. 44. Bonauentura, Durandus, Conciliator, Ioannes Tardinus in disquisit. Physiolo. de Pilis cap. 20. vbi probat eos habere meatus & cauitates, in quibus alimentum attractum, concoquant, vnde & fissiles sunt, vt scribit Aristoteles 3. de histor. cap. 11. (qua de re videndum est quod diximus

capite

capite penultimo libri primi) Præterea nutriri probat idem Tardinus per intus susceptionem,& non tantum per iuxta positionem. Hæ, inquam, experientiæ iam relatæ maxime faciunt ad quæstionis solutionem : quomodo enim ex alimento corrupto possunt canescere pili tam subito, vna nocte, ex timore; aut paucis diebus per ægritudinem si alimentum quod putrescit, non est in intima ipsorum substantia (quod est nutriri per intus susceptionem propriumque est viuentium) sed tantum in radice & in substantia capitis ? deinde quomodo, vt interdum fit, canities à cuspide pilorum incipit, nisi quia cum deficit calor, maxime deficit in remotioribus partibus, vbi alimentum concoqui nequit ? cum autem (vt hoc obiter dicam) incipit canities à radice, hoc est ex peculiari vitio cutis, aut ex nimio ad eam pituitæ appulsu.

14. *Palpebræ non canescunt.*

Quæri hic posset occasione canitiei, cur cum caput & mentum canescant, palpebræ non canescant. Respondet Placentinus hoc oriri, quod abundent probo alimento ex oculorum pinguedine, quod non adeo facile corrumpitur ab extraneo calore vt putrescat.

15. *Mentum citius canescit quã caput.*

Quæri præterea potest, cur fere semper citius mento quis canescat quam capite. Idem author putat debilius esse mentum, ad nutricatum conseruationemque pilorum : vnde fit vt barbæ color remissior sit colore pilorum capitis; quare quibus mentum nigricat, multo etiam magis nigricat caput, non tamen è conuerso, quamquam & hoc perpetuum non est.

16. *De flauo & rufo*

Flauus & rufus color medij sunt colores inter nigrũ & album,& quia niger oritur à calore, albus à frigore, flauus & rufus in medio positi sunt caloris & frigoris Flauus magis ad albedinem accedit, rufus ad nigredinem, & vt peruagata Medicorum doctrina est, flauus (quod intellige secundum normam supra traditam in regionibus temperatis) fit ex halitu non magnopere adusto; rufus ex humore inter pituitosum & biliosum medio, ad biliosum tamen magis accedente ; & ideo flauus pituitam saltem cutaneam denotabit, rufus bilem, eóque maiorem, quò magis rufus erit, vnde rufi capilli procliuitatem ad iracundiam, ex Polemone, denotant; quare cum Falconem Regem Hierosolymitanum admodum rufum fuisse dixisset Maximus Tyrius lib. 14. cap. 1. & tamen eius mansuetudinem laudare vellet, subiunxit, contra leges illius coloris affabilem fuisse, benignum & misericordem. Typhon ille, qui Osiridem, apud Ægyptios frugum & fructuum inuentorem, necauit, rufus fuisse traditur à Diodoro Siculo lib. 2. cap. 4. quare ad eius sepulchrum boues rufos, rufosque homines mactabant. Quod si moderate rufus sit, aut aureus capillus, non possum non laudare; nam, propter moderatum coleræ temperamentum, erit animus ad fortitudinem, audaciam, subtilitatem, acuménque natus; & quidem Dauid, quem, non natura Regem fecit, sed diuinum numen, rufus fuit, & pulcher aspectu, omnibusque præclaris ingenij dotibus cumulatissime ornatus; quamquam in Hebræo textu, vt notauit Lyranus, loco, rufus, dicitur rubeus, & rubicundus, quod non ad pilorum, sed ad faciei colorem referendum est.

colore capillorum.

17. *Qui rem marinam*

Qui rem marinam exercent, piscatores & purpurarij, rufo sunt capillo

exercent rufi sunt

capillo: At cur? satisfacit Aristoteles probl. 2. sect. 38. *Vtrum*, inquit, *quod mare sua salsugine calidum, & squallidum est? tale autem pilos conficere rufos potest, vt lixiuia, & auripigmentum. An parte exteriore calidiores interiore frigidiores redduntur, eo quod summa corporis vicissim, modo madefiunt, modo à sole resiccantur, idque perpetuo agitur*; ita Philosophus.

De pilorum crispitudine, simplicitate, mollitie, duritie.

ARTICVLVS II.

18. *Causa varia crispitudinis pilorum.*

CRispitudo oriri potest ex multis causis; Primo, ex obliquitate meatuum cutis quæ præfringat halitus, vt & ipsa præfracta & tortuosa est. Secundo, vt vult à Porta, ex vaporis debilitate, & cutis duritie, cum adeo tenuis vapor est, vt per duram cutem arctósque poros transiens, se minus valens tolerare, contorqueatur, quod filo contingit si per arctum transeat. Tertio, vt vult Aristoteles 5. de generatione animalium cap. 3. ex imbecillitate halitus sicci calidique: tunc enim facile inflectitur, quoniam duplici delatione fertur; terrenum enim deorsum, calidum sursum fertur, cumque præ sua imbecillitate inflecti facile possit, contorquetur, quod pili crispitudo est. Quarto, ex eodem Aristotele, quoniam parum humoris, multum autem portionis terreæ inest efficitur vt pili resiccati ab aëre ambiente contrahantur: inflectitur enim quod rectum est, si euaporatur; & contrahitur, atque conuellitur pilus, quemadmodum cum igne aduritur, vtpote cum crispitudo conuulsio sit ob humoris inopiam ab aëris continentis calore; indicium rei est, quod & duriores sunt pili crispi quam recti: durum enim, quod siccum est; ita Aristoteles, ex quo patet crispitudinem oriri posse ex calido vel externo vel interno: vnde Æthiopes, quia loca incolunt calidissima, crispis sunt capillis: & balneatores sæpe crispi; immo cum quis in balneum ingreditur, licet habeat planissimos pilos, crispantur tamen postea propter calorem. Huc referendum est quod iam dixi lib. 1. cap. 19. artic. 4. ad finem, de ligno quod oppositum ad ignem flectitur.

19. *Vnde oriatur simplicitas.*

Simplicitas oritur ex contrariis omnino causis; nempe ex multo minore calore & siccitate; vnde & fœminæ quæ maxime frigidæ sunt & humidæ, simplicissimo capillitio sunt. hinc patet habere capillos modice crispos omnium optimum esse cuiusmodi habuit Aiax & Achilles, ex Darete Phrygio; & Vlysses, ex Homero: imo & Suidas optimorum authorum testimonio prodit tales habuisse Christum: Atque hoc ad pulchritudinē conciliandam multū valet. Quare fuere olim artifices qui capillum vibrarent, structores capillaturæ vocat Tertullianus, Ciniflones Horatius, cincinnatores capillorum Columella, Alij cinelones, aut cinerarios ab officio calamistrorum in cinere calefaciendorum. Qua de re videri potest Pineda lib. 6. c. 3. n. 3. de rebus Salomonis.

20. *Quibus crispi capilli cito caluescunt.*

Quibus crispus est capillus, cito caluescunt, tarde canescunt, quia sicciore capite sunt; Contra qui simplici capillo, cito canescunt, tarde caluescūt, quia capitis humore abūdant. ita Alexander lib. 1. probl.

21. *Quibus capilli surre-*

Qui timent, subito horrescunt capillis: contrahitur enim calor ad

ctiores, timidi sunt.

cor subito motu spirituum, ad officinam pectoris, vnde orti sunt, recurrentium; quare extima cutis pallet, contrahitur, multumque densatur; Ex quo fit vt pili intra poros constricti rigeant; hæc ratio mouit Aristotelem vt omnes eos censeret timidos, frigidosque, quibus capilli surrectiores essent, cui nemo aduersabitur, qui considerabit, quemadmodum signum fugax est signum fugacis effectus; ita permanens permanentis quod toties toto hoc opere inculcamus.

22. Mollities capillorum ex multo humido oritur.

Mollities capillorum, vt plurimum, oritur ex, frigido & humido, saltem ex multo humido: cuius signum est, quod aër & aqua mollissima sint. Et recte Aristoteles 2. de generatione, vult ignem esse magis calidi quam sicci; aërem humidi quam calidi, aquam frigidi quam humidi, terram sicci quam frigidi; quia ab igne potissimum oritur calor mixti; ab aëre, qui maxime terminabilis est, terminabilitas, quæ potissimum tunc est: cum res maxime humida est; ab aqua frigiditas à terra consistentia, quæ oritur ex siccitate.

23. Signũ est Timidæ naturæ,

Ex his fit vt hæc mollities sit quoque signum timiditatis; vnde ceruus, Ouis, Lepus, Glis, (quod est genus murium), Cuniculus, pilo mollissimo sunt. At in Æthiopibus valetne hæc eadem causa? minimè. Aliam pro ipsis affero, scilicet maximum calorem externum, absumentem maximam vaporum copiam qui pilescerent; quo fit, vt pili valde tenues sint; quod autem tenue est, molle est; vt quod crassum est, duritiem contrahit.

24. De pilorũ duritie.

Durities capillorum oritur ex calore sicco; quare biliosi, leones, Tauri, Apri, canes venatici, pilo durissimo conteguntur: Aquila durissimas pennas habet. Hæc autem durities audaciam notat. Recte Aristoteles 4. Meteororum; *quorũ animalium sanguis est fibrosus & crassus*, (quod est à calore,) *illis duri sunt pili:* Tauri sanguis adeo fibrosus est vt subito extra venas coaguletur Hinc fit, vt ingeniosi viri, capillos habeant, neque nimia duritie asperiores; neque nimia mollitie tractabiliores.

De Pilorum ortu, copia, Raritate, & caluitie, Ornatu, & neglectu.

ARTICVLVS III.

DE pilorum ortu agit Cocles I. 2. quæsito 2. & Hieronymus Dandinus lib. 1. cap. 9. hæc sufficiẽt nobis in præsentia. Pilus qui tarde, aut parce oritur in capite, frigiditatem, arguit & humiditatem; frigiditatem, quæ materiam excrementitiam non potest trudere foras, porosque recludere; humiditatem, quia humor aqueus, vt pote nimium fluidus spissari non potest in pilum: Quamquam fateor & hoc oriri etiam posse ex nimio calore absumente totam materiam.

25. Pilus, qui tarde, aut parce oritur frigiditatis & humiditatis signum.

Pilus qui copiose & celeriter oritur, contrariæ complexionis signum est; nempe caloris moderati & siccitatis temperatæ: Caloris quidem qui materiam pellat; siccitatis vero quia materiam sicciorem esse oportet, cum facile densetur. Atque hinc est quod qui valde pilosi sunt, libidinosi quoque sint; vt sæpe dicetur infra hoc libro, cum de

26. Pilus qui copiose & celeriter oritur, calorem arguit & siccitatem.

dorso

dorso & similibus partibus: videndum etiam huius libri caput primum artic. octauo: dicti ratio est, quia calore abundant mordaci ad libidinem proritante.

27. *Calui libidinosi, & cur.*

At Ioannes à Porta magnā turbā refert multorum virorū libidinosorum, qui calui fuisse memorantur. Tyberius caluitio deformior erat, proinde in spectaculo quodam ad eius ludibrium Seianus per caluos toto die effici omnia curauit, vnde Seiani ex eo dicti omnes calui: Dion Socrates ex Hieronymo ad Iouinianum, recalua fronte fuit; quare eum Zopyrus præstabilis physiognomus luxuriosum pronunciauit: Caligula valde raro capillitio fuit, imo circa summum capitis verticem, nullo; cui autem non sunt cognitæ huius imperatoris libidines? Sergius Galba homo valde impurus caluus fuisse scribitur. Sed respondeo homines densi capillitij propter rationem allatam libidinosos esse, & homines caluos libidinosos quoque esse, quando caluities oritur ex calore humorem consumente: immo quando quis nimis in libidinem effusus est, tunc deficit materia pilorum, vt diximus supra. Quam ad rem maxime facit quod Venus calua ab antiquis adorata est; Cyprianus de vanitate Idolorum: *Est & Venus calua:* & Sanctus Augustinus epistola 44. *habes apud nos magnam materiam facetiarum deum Stercutium, deam cloacinam, Venerem caluam.*

28. *Cur pars anterior capitis caluitio obnoxia est.*

Cæterum capitis pars anterior caluet, (vnde caluaria nominata est) idque propter vnam ex sequentibus rationibus: primo, quia partes corporis eminentiores pingui humore indigent; vnde suos continere pilos non possunt: humore autē pingui cur indigeāt, postea videbitur. Et recte Aristoteles vult caluitiem respondere defrondationi arborum, desquamationi piscium, depennationi volucrum, exuuiæ serpentum: at horum omnium causa est defectus humidi pinguis, alentis partes has excremētitias? Quare arbores resinosæ & oleosæ, vt pinus, cupressus, laurus, oliuæ, Terebinthus, ros marinus, numquam suo velamine exuuntur, & vt loquitur Ambrosius, *inhorrentem comam etiam hibernis seruant temporibus*; ac palma propterea ἀείφυλλος vocata est, quod eadem semper folia custodiat. Secundo, capitis pars anterior caluet, quia terris fuliginibus abundat ex corruptis humoribus, quæ pilo materiam subministrare non possunt: Tempora autem vix depilantur, propter sufficientem humorem: Pili ciliorum numquam defluunt; numquam, aut tardissime canescunt; quia oculi multa & copiosa adipe vestiuntur, à qua cilia fouentur, & nutriuntur. Tertio: Propter defectum caloris qui materiam capillarem propellat vt in senibus sæpe contingit, quorum caluaria nimis infrigidatur, atque ita philosophatur Ioannes Grāmaticus in quintum de Generat. Animalium cap. 2.

19. *Illustratio doctrinæ iam tradita ex Aristotele & Medicis.*

Ioannes Tardinus totam hanc doctrinam mire illustrat ex Aristotele, Hippocrate, & Galeno: Aristoteles quidem problem. 54. sect. 10. Eunuchos, pueros, mulieres, ait numquam caluescere, quia cerebrum humidius habent; Hippocrates vero 6. Epidemio. *cerebri*, inquit, *consumptio, ideo & caluities.* quæ verba ita explicat Galenus: *Mihi quidem istud significare videtur, cum cerebrum seipso longe minus*

euadit (istud vero ipsum naturaliter siccius habentibus euenit) tunc ab ossibus superiacentibus recedit, quæ ab artis dissectoriæ professoribus βρέγματα vocantur, latinè syncipur dicunt. At cur cerebrum in suam basim subsidens recedit à sincipite, non ab occcipite? ratio est duplex; vna, quod pars anterior cerebri sit multo humidior, & mollior, quare citius exsiccatur: altera est, quod propter motum systoles & diastoles, quo perpetuo cerebrum agitatur, quique maior, & manifestior est in sincipite, quam in occipite, debuit esse maius interstitium inter os & cerebrum, ne continuo illo motu, cerebrum ad caluariam allidens, læderetur, & attereretur. Igitur dum cerebrum per siccitatem minus fit, magis recedit ab ossibus occipitis, cum iam ante etiã remotius esset: hinc vero colligi potest cur occipiti & temporibus caluitium non accidat, siquidem subsidens in suam basim cerebrum, potius ad illas partes accedit, quam recedat.

30. *Qui varices habent minus caluescunt.*

Qui varices habent, minus reliquis caluescunt; quia caluities sæpe oritur ex defectu humiditatis: at humiditatis signum certissimũ sunt varices: non raro etiam oritur ex terris humoribus fuligines terras emittentibus; at varicosi per varices purgantur satis.

31. *Copia pilorum in iuuentute melancholicam senectutem præsagit.*

Non erit abs re hic monere copiam pilorum in iuuentute signum esse, quanquam nõ omnino certum, futuræ melancholiæ, cum prouectior erit ætas, periculum enim est, ne cum sit magnus calor, cuius testimonium fert copia pilorum, nimis adurat humores, & sic procretur melancholia adusta; si quis vero senex valde pilosus est, vide num melancholicus sit, nam calidus est, vt arguitur ex pilis, & siccus ex cõditione senectutis. Denique quid de ornatu neglectuque comæ dicendum? vt nimio studio compta coma mollem & effœminatum, ita neglecta fortem & erecti animi virum indicat, hinc Horatius l. 1. ode 12. fortitudinis gloria illustres viros laudans.

Hunc & incomptis Curium capillis,
Vtilem bello tulit & Camillum
Sæua paupertas, & auitus apto
Cum lare fundus.

Atque Ouidius fastorum 5. de Numa inter Reges Catone

Intonsi Regia magna Numæ.

Contra Marcus Tullius Pisonis mollitiem reprehendens, ait, *Erant illi compti capilli*; & proprium hoc fœminarum esse Lucanus l. 1.

——————*Cultus gestare decoros*
Vix Nuribus rapuere mares.

Laudatur Philippus Macedo, quod Iudicem à Magistratu remouerit, quia capillos inficere soleret, addito Elogio, qui in pilis infidus est, qualem in negotiis existimamus futurum: hæc & plura alia Franciscus Mendoça in Viridario l. 8. saturnaliorũ Decade 4. capite quarto.

32. *Ortus pilorũ similis ortui plantarũ.*

Ex tota hac de pilis disputatione patet, quam vere dicatur à Philosophis, & Medicis, vt notauit Ioannes Tardinus, oriri pilos è cute vt plantas è terra: illi in cute, istæ in terra certam dispositionem requirũt: per summos æstus è terra nullæ prodeunt plantæ, & quæ prodierunt, tabescunt; per febrium incendia, nimis calefacta cute, defluunt pili: sæuiente frigore hyemali tempestate, stirpes è terra ali non possunt, ita deficiente natiuo calore senes caluescunt: plantæ neque in vdoso, neqne in arenoso solo proueniunt,

ueniunt; ita pili neque in humidiſſima, neque in ſicciſſima cute generantur.

De Facie.

CAPVT IV.

1. *Quid facies, quid vultus.*

ALIQVANDO facies pro totius corporis forma ſumitur, & vt ab aſpectu ſpecies, à fingendo figura, ita à faciendo, vel à factura corporis, dicitur facies. Aliquando, quemadmodum hic ſumitur, eſt anterior capitis humani pars, conſtans fronte, oculis, naſo, genis, labris, ore, mento, binis temporibus, differtque à vultu, quod vultus ſit voluntatis indicium, ſeu habitus ſtatuſque faciei, qui pro animi affectibus alius, atque alius oſtenditur, dicitúrque à volo quia voluntatem indicat.

2. *Quid magna, quid parua facies ſignificet.*

Porrò in facie multa ſunt conſideranda, quantitas, variæque qualitates: ſed quod attinet quantitatem, iam exiſtimo me ſatisfeciſſe cum de capitis quantitate dixi paulo ante cap. 2. art. 1. & 2. adeo vt, quod in capite valet, in facie quoque locum habeat; Et ſic magna & longa facies ignauum, pigrum, humidum, timidum, notabit; referétque boues & aſinos; ita Ariſtoteles. Ratio autem eſt, quia ex magnitudine arguitur magnæ materiæ terreſtris, quantitas ad oſſium capitis formationem; & præterea caloris debilitas quæ in vnam tantum partem materiam protendit, nempe in eam, vbi facilius agit; quare ſpiritus craſſiores erunt, tenuiſque calor, vnde ingenij hebetudo, pigritia, ignauiáque oriuntur. Parua facies hominem callidum, præſumptuoſum, rixoſum notabit; atque ad ſimias ab eodem Philoſopho refertur, in lib. de phyſiognomia; at libro 1. de hiſtoria animalium c.8. hæc Aphoriſmi in modum perſtringit: *quibus facies magna, ſegnes: quibus parua mobiles; quibus lata, mente moueri idonei: quibus rotunda iracundi.*

3. *De qualitate & colore in vniuerſum.*

At verò inter qualitates conſiderari poteſt, quod macilenta, vel craſſa, carnoſáque ſit; & quod varie colorata; de coloribus peculiariter agemus, de macie & craſſitie non exiſtimo hic peculiarem eſſe debere quæſtionem, poſitis iis quæ de adipe dicemus lib.4.cap.1.

Igitur quod attinet colores, repeto quod monui ſupra cap. 3. art. 1. ex Auerroë, colorem ſignum eſſe temperamenti interni tantum in regionibus calidis & frigidis temperatè, non autem intemperatè: Quare nos de coloribus ſecundum hanc moderationem hic agemus. Et ſanè rectè Hippocrates libro de humoribus, ait, qualis apparet color in cute, talem ſub cute deliteſcere humorem; quod veriſſimum eſt, niſi aliqua paſſio accedat, vt ira, timor, verecundia: At ex humoribus, qui in corpore principatum tenent, facile temperamentum præiudicatur, ex temperamento facili coniectura animorum propenſiones colliguntur. Porrò fugaces tranſeuntéſque colores quos ſubitæ paſſiones excitant, nihil hic moror; ipſos tantum conſidero permanentes, quos nec morbus, nec paſſio, nec inedia, aut ſimile quid peperit.

4. *Albus color ex pituita oritur.*

Albus color faciei oritur ex humore multo pituitoſo; quare fœminæ, quæ ſexus conditione pituita abundant, ſupra viros albicant, vi-

róſque ſupra modum albos, effœminatos vocat Philoſophus. Hic color mollitiei, & timiditatis certiſſimum ſignum eſt, quæ duæ labes genti fœmineæ natiuæ ſunt: Ratio eſt, quia pituitæ copia frigidum facit; quod autem frigidum eſt; quia calore caret, timidum eſt, deficit enim ſpiritibus; qui ſoli fortitudinem adminiſtrant: conſentit Hippocrates libro de ſtructura hominis: *qui pituitoſi, inertes & frigidi ſunt.* Sanè Virgilius in Georgicis de equorum coloribus diſſerens, ait de albis.

———*Color eſt deterrimus illis.*

Et in vniuerſum animalia alba deterioris conditionis ſunt quã niga, vt pote non adeo generoſa & robuſta: Immo oua à gallinis nigris edita ſuauiora ſunt, quia melius decocta.

Sed vt ad rem, valde demiror Poëtam, qui vult albos pilos eſſe luxurioſorum; propenſio enim hæc oritur ex calore, & licet humorem quoque poſtulet, qui in pituitoſis abundat, humorem tamen calidum poſtulat & ſpirituoſum quo pituitoſi carent: Quod ſi fortè Cæſar & facie albicarit & ad Venerem propenſus fuerit, recte reſpondet Fontanus hoc oriri potuiſſe ex maxima calore partium huic rei dicatarum, qui totum ad ſe ſanguinem eliceret, vnde extimarum partium pallidus color conſequeretur.

5. Pallidus color timiditatẽ arguit.

Pallidus color illaudatus ſemper fuit maximéque ad albedinem accedit; timiditatem arguit; fœminarum magis proprius eſt; apud Horatium l. 1. Satyr. 2. legitur Vepallida mulier, id eſt valde Pallida; hoc enim ſonat, ve, in compoſitione, vt illud Virgilij.

Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ.

Et apud Ciceronem de lege Agraria, hominem vegrandi macie torridum, id eſt, valde grandi macie cõfectum: hic color oritur ex copia pituitæ, ſanguiniſque inanitate, & ſpirituum paucitate; hinc eſt, quod, qui timet, pallet. Catilina ex Saluſtio exangui colore fuit; Porta ad Cameleontem refert, qui candidus, & timidiſſimus eſt; cauſam vtriuſque habet Ariſtoteles, lib. 2. de hiſtoria animalium cap. 12. quod ſanguinem non niſi in corde pauculiſque venulis habeat; quo fit vt minime carnoſus ſit; muſca quoque, cancer, aranea, quia ſanguine carent, timida ſunt. Cæterum ſi color albus pellucidus ſit, & quaſi ſcintillans, non iam pituitæ ſed bilis indicium eſt.

6. Subniger melãcholiam indicat.

Subniger color oritur ex melancholia, vel bile aduſta; ſi ex melancholia quæ eſt frigida & ſicca, præter Saturnicam inclinationem, timiditatem notat, quam conſequitur verſutia, & ſi quando inflammatus eſt hic humor, tenacior ira ſequitur: Si vero ex bile aduſta, hominem quidem turbulentum notat, cætera ingenioſum. At quomodo dignoſcendum, vtrum ex melancholia, an ex bile aduſta? Si aliquid rubedinis admixtum nigricanti colori, oritur ex bile aduſta; ſin minus, ex melancholia.

7. Liuidus ex frigore oritur.

Liuidus color ſemper ex frigore oritur, quod vel ſit in toto, vel in ſola parte liuida; quod poſtremum ſæpe contingit; nam propter viſcerum inflammationem, attrahitur ad ipſa ſanguis à partibus extremis, vnde ſequitur caloris extinctio. Oritur autem ſæpe hic Liuidus color ex pituita frigidiſſima, vt eſt vitrea.

8. Rubeus color optima temi-

Rubeus color plurimi ſemper factus eſt, maxime cum albedini admiſcetur.

perici argumẽtum. miſcetur. Alexandrum refert Plutarchus aſpectabilem fuiſſe candore qui in facie pectoreque purpuraſcebat; Et color in niueo corpore purpureus. Galenus in arte medica, candirubrum colorem bonæ indolis & viri ingenioſi notam affirmat, omniumque conſenſu optimæ temperiei argumentum eſt, nempe humidæ & calidæ, quæ ſanguinea eſt. Quare Alexander cute, ore, totóque corpore miram redolebat fragrantiam, quam interiores tunicę retinebant ex Plutarcho, idque propter concoctos humores in corpore exiſtẽtes, qui putredinis fœtoriſque materia ſunt; Ac ſummus ille Sapientiſſimuſque Salomon candidus à ſponſa fuiſſe dicitur; nec immerito, cum laudetur ob veſtimentorum fragrantiam. exiſtimat hoc Pineda non tantum de factitiis intelligendum vnguentis, ſed de natiuo etiam ſudore, Dauidem rubicundum fuiſſe iam ſtatim ſupra diximus; cæterum Dolor hic, quia optimæ eſt temperiei, ſubtilitatis ingenij, morumque probitatis index eſt; Quare Philoſphus ingenioſum virum vult eſſe candirubrum; quod ſi forte nimium aduſtus ſanguis ſit, ſtatim puſtulæ, vitiligo & lentigo oriuntur.

9. Malæ rubent cum pulmo inflammatus eſt.

Quorum pulmo inflammatione laborat, iis malæ rubent, inquit, Alexander probl. 4. lib. 2. quoniam ſanguis cum in pulmone ebulliat, vaporem ſibi ſimilem emittit: quod enim oritur, ſimilitudinẽ ſuæ originis præ ſe ferat, neceſſe eſt. hic igitur vapor, cum præ ſua leuitate ad malas ſe extulit, conſiſtit, atque ita per cutis tenuitatem veluti per vitrum, ſuum colorem aſpectabilem reddit.

10. Purpurata facies verecundorum eſt.

Quibus ſupererubeſcens eſt, ſeu purpurat facies verecundi ſunt: referuntur ad paſſionem, quoniam verecundantibus ſupererubeſcit facies. Ita Ariſtoteles, cuius Apoteleſmatis occaſione commodum hic in vnum colligere, quæ ſparſa variis in locis à nobis dicuntur.

11. Varia de ſanguinis & ſpirituũ motu in variis paſſionibus.

Quamuis calor naturalis, ſanguis & ſpiritus per totum corpus diffunduntur, nullaque ſit corporis pars ab illis vacua, tamen quemadmodum in præliis quandoque vt ait Camillus Baldus, apud quem hæc fuſius diſputantur, Imperatores agmen militum extra pugnam locant, vt inclinanti aciei præſidio eſſe poſſit, opemque ferat; ita portio quædam eſt ſanguinis & ſpirituum à natura quaſi deſtinata ad ſubſidium ferendum variis partibus corporis, prout eas varie affici contigerit. In lætitia fertur ſanguis in caput, in faciem: Idem fit in verecundia: hoc diſcrimine, quod iis qui verecundantur, ſanguis ad aures & ad faciem, deſtitutis ſpiritu oculis, & lingua, fertur: vnde erubeſcentes, vt dicemus paulo poſt cap. 11. art. 1. claudunt oculos, vultum deiiciunt, vixque loqui poſſunt At in lætitia maxime ſpiritus ad oculos feruntur.

In omni affectu qui naſcitur ex apprehenſione mali corruptiui, aut ſaltem alicuius rei iniucundæ, recurrit ſanguis ad cor, tanquam ad arcem totius vitæ; ſic in ira, cum qua ſemper coniunctus eſt dolor; ad cor confugit, tum poſtquam aliquantiſper æſtuauit, in totum corpus diffunditur, maxime ad partes ſuperiores, ac potiſſimum ad oculos; Atque interdum fit vt propter nimiam affluentium ſpirituum copiam, lingua balbutiat, contraria omnino de cauſa ac in verecundia ſicut improportionatum mouens, tam in exceſſu, quam in defectu, motum

motum ineptum facit; quod patet in eo qui vellet vel ſaxum ducentarum librarũ, vel plumam proiicere. In vehementi pauore ſpiritus (atque adeo calor, & ſanguis) tamquam impotentiæ ſuæ ſibi conſcius, metuens ne penitus extinguatur, aut grauiter offendatur, ad inteſtina, quaſi latebras quærens, confugit: vnde fit ſæpe vt venter & veſica ſoluatur: proprium eſt enim caloris dilatare; tunc autem partes ſuperiores frigeſcunt, vox hæret faucibus, horreſcunt pili, titubantque pedes. Propter inanitionem nimiam aut repletionem, aut propter obſtructiones, ſpiritus & ſanguis confluunt ad hepar; quare interdum manus pedeſque præter ſolitum incaleſcunt. Denique cum circa Diaphragma contingit ſpiritum & ſanguinem paulo liberalius affluere, exoritur riſus; riſuque fit vt multo copioſius ad Diaphragmatis motionem tum ſanguis, tum ſpiritus accurrant. Sed ad inſtitutum redeamus.

12. *Rufus color oritur à cholera.*

Rufus color ſeu fuluus oritur à prædominio bilis ſeu cholęre, quæ quia calida eſt & ſicca, ideo & qui huiuſmodi eſt, iracũdus, audax, aſtutus, facile mobilis, & inconſtans eſt. Si ſit color rufus cum lentiginibus, adhuc maior bilis copia deſignatur.

Maculoſæ autem facies in vniuerſum aſtutiam denotant, referunturque ad belluas aſtutas, quæ pene omnes maculoſæ ſunt, vt eſt Pâthera, ſtellio, dipſas, qui ſerpens eſt longitudine palmi, nigris in dorſo diſtinctus maculis; vt eſt etiam Tygris quæ, colore ſubfuluo eſt, maculis nigris orbicularibus, & eleganti nitore fulgidis. Denique vt eſt Pardus, qui, vt inquit Ambroſius lib. 6. hexaemeron cap. 3. *varietate coloris varios animæ ſuæ motus prodit.*

13. *Flammeus color Maniæ indicium.*

Flammeus faciei color propenſionem denotat ad Maniam; ita Ariſtoteles. Ratio eſt; quia maniacis interiora & præcipue, vt ait Camillus Baldus, quæ circa meninges cerebri & ventriculos poſita ſunt, vehementer æſtuant, & incẽduntur: At quibus interiora exæſtuant, illi flammeum colorem in ſuperficie corporis habent, & circa faciem, ergo Maniâcis facies eſt flammea, quare & quibus flammea facies eſt, illi ad maniam ſunt propenſi.

De Fronte.

CAPVT V.

1. *Frõs animi Ianua, pudoris ſedes.*

FRONS maximi momenti & conſiderationis eſt in Phyſiognomia, cum ſit animi ianua, vt ait marcus Tullius de petitione Conſulatus ad Quintum fratrem, & ſolent homines verſipelles, & ſimulati ingenij vocari bifrontes; vt olim famoſiſſimus ille latro Mercurius bifrons vocitabatur. Frons eſt Genio ſacra vtpote pudoris ſedes; vnde & impudentes dicuntur perfricuiſſe frontem, id eſt, quaſi manu pudorem omnem à fronte abſterſiſſe. Martialis l. 11.

——*Perfricuit frontem poſuitque pudorem.*

Dicuntur quoque ferream habere frontem; Iſaiæ 48. *Sciui enim quia durus es, & neruus tuus ferreus; & frons tua ærea.* Dicuntur præterea ſine fronte vnde nata eſt vox infrunitus quam vſurpat Eccleſiaſticus c. 23. verſ. 6. *animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradas me*; ſignificat autem

tem

tem impudentem quasi sine fronte. Accedunt istis hæ loquendi formulæ; Exporrigere frontem, quod est animi remissionem, ac lætitiam indicare. Terentius in Adelphis:

Mitte iam isthæc; exporrige frõtem.

Et Plautus:

Ego te porrectiore fronte volo mecum loqui.

Item obducere frontem, corrugare, contrahere: *Est enim frons* (vt ait Plinius lib. 11. cap. 37. *tristitiæ, hilaritatis, clementiæ & seueritatis index: nullibi magis, quam in oculis & fronte pudor conspicitur*; &, vt de oculis sileam, frons est propugnaculum omnium neruorum à cerebro descendentium: nerui autem hi spiritus sensibiles ad sensus deferunt, & iterum eosdem spiritus ab eisdem sensibus ad cerebrum; quapropter citissime ab anima frons alteratur.

Est autem frons illa pars corporis, quæ capillorum radicibus, superciliis & vtrimque temporibus continetur in qua quantitatem, figuram & alia accidentia considerare debemus. Cæterum quantitas posita est in longitudine & latitudine: latitudo sumitur à capillorum radicibus ad supercilia; longitudo temporibus duobus continetur. de Metoposcopia, seu ea physiognomiæ parte, quæ frontem considerat, librũ integrum scripsit Tadæus Hagetius, Medicus Boemus.

De frontis magnitudine, & paruitate.

ARTICVLVS I.

2. Parua & angusta

PRimo, Parua & angusta frons, ex Polemone & Adamantio imperitiam & stoliditatem indicat; intelligo hic angustam frontem secundum longitudinem: Ratio conclusionis est, quia tunc signum est ventriculos cerebri esse paruos: vnde spiritus nimis constringuntur, & incalescunt, vt in simili supra dictũ est; præterea hinc ostenditur anteriorem partem cerebri esse valde phlegmaticam; vnde spiritus debilitantur nimio phlegmate. Qui angustam frontem habent, referuntur ad suem, animal valde stolidum, quod numquam erigit caput sursum, nisi forte cum mactatur, & tunc, rei nouæ visæ insolentia stupet; sue nullum animal magis sordidum, nec est aliud magis indocile proinde non ad vsum aliquem, vt nonnullæ pecudes, sed ad epulas tãtum donatum videtur. Testis Plinius lib. 8. cap. 5. *animalium*; inquit, *hoc maxime brutum, animamque ei pro sale datam, non illepide existimatur*. sunt nonnullæ bestiæ, in quibus aliqua fulget virtutis species, in suibus nihil; vnde sues vocamus homines bardos & stupidos. Quid illud? sus Mineruam; satis notum est. A sue tantum setæ, clamor, & lutum, quod à Platone Comico dictum refert Clemens 7. stromatum.

frons, stoliditatem indicat.

Secundò, longa frons, id est, valde protensa ab aure ad aurem, indicat ingenij præstantiam, imaginationis vigorem, talis fuit Plato, vt notat Plutarchus: immo Neanthes, grauis author scribit Platonem ita nominatum à fronte ampla, amplaque facie, atque hoc nomen prius illi à Diogene fuisse datum: quamquam quod satis vulgare est, volunt plerique ita nominatum à latis humeris vt infra dicetur c 20. Ioannis Baptistæ à Porta insignis Medici &

3. Longa frõs ingenij præstantiã indicat.

Physiognomi figura hæc fuit; frons in longum porrecta, capilli neque duri, neque nigri, neque recti, neque crispi; aures exculptæ, facies macilenta, mediocris, supercilia magna; rara, commensurata; oculi charopi, sublimes, magni, splendentes, caro colorata.

Quod hic dictum est de longa fronte, de lata quoque intelligendum volo. Sanctus Ambrosius corporis statura mediocris fuit, aspectu graui, & pulchro naso, paululum oblongo; capillis flauis; fronte lata; vnoque oculo superciliis elato: ita habetur eius effigies, ex antiquis imaginibus Mediolani olim depictis ad viuum expressa, quæ præfigitur eius operibus: Ratio totius nostri dicti clara est, à contrario superioris dicti iam explicati.

3. Impense magna frons, pigritiam denotat.

Tertiò, Qui impense magnam frontem habent, torpidi sunt; Referuntur ad boues, qui sunt latissima fronte. Ratio est, quia spiritus in vasta fronte, & vasto cerebro sunt sparsi, virtus sparsa minor est vnitâ atque in sese collectâ. ergo torpidi sunt, qui vastam habent frontem.

4. Qua magnitudo frõtis laudabilis.

Quartò: Ex Meletio Philosopho qui frontem habent plus accedẽtem ad paruitatem, quam ad magnitudinem, ingenij acumine pollent. Ratio est, quia multo sunt contractiores spiritus, & vegetiores.

De figura frontis.

ARTICVLVS II.

5. Rotunda frõs iracundi hominis est

PRimò, quibus rotunda seu sphærica frons, iracundi; ita Aristoteles & Galenus causam reddit Cocles; frons rotunda deficit in longitudine, & spiritus facile reuerberantur, & inflammantur in anterioribus capitis finibus; vnde sequitur inflammatio sanguinis & cerebri, atque adeo cordis; quid autem est ira, nisi sanguinis inflammatio circa cor? Diuus Thomas rotundam quidem frontem habuit, at magnum caput, quod rotunditatis vitium emendabat.

6. Magna & carnosa stupidi.

Secundò, Magna & carnosa frõs, stupidos homines designat. Ita Porta, Polemon, Adamantius; Referuntur ad Asinum, stolidum animal: vnde & veteres stolidum hominem per truncum humanum asinino capite superimposito significabant. Ratio est, quia licet cum tali fronte sit multum cerebri in capite, arguitur tamen caloris tenuitas, nimiaque humiditas ex tanta carne, vt in simili diximus 2. capite artic. 1. Ioannes Ingegnerus Episcopus in suo præclaro opere posthumo de Physionomia alias rationes adfert.

7. Quadrata in medio subconcaua ingeniosi.

Tertiò, frons ad amussim quadrata, mediocris, in medio subconcaua aliquantulum, ingeniosum designat, & magnanimum. tribuitur hæc frons ab Aristotele leoni generosissimo animali, continetque multum cerebri & spirituum. Lucianus, frontem exporrectam, renidentem & lætam, comicã vocat.

Promiscua de aliis accidentibus frontis.

ARTICVLVS III.

8. De Rugosa & striata fronte.

PRimò, caperata, seu rugosa, & striata frons, cogitabundum indicat, ex Adamantio, Aporta, Polemone, Hagetio. Aristotelicum axioma est in physiognomicis, quo

nos hic frequenter vtimur;cui ineſt apparentia conſequens actum alicuius paſſionis, ei quoque naturaliter ineſſe propenſionem ad talem actum, At nemini non notum eſt, cum quis ſerio de re aliqua cogitat, quod contrahat, rugétque frontem, ergo qui naturales rugas habet in fronte, naturaliter cogitabundus eſt, & melancholicus; nam hæ duæ affectiones valde affines ſunt & germanæ.

9. *De valde exporrecta, nebuloſa, tenſa ſubtili.*

Secundò, à contrario frons valde exporrecta ſine rugis, hominem à curis remotum oſtendit, cuiuſmodi fuit Epicurus, vt refert Sidonius Apollinaris ſcribens ad Fauſtum.

Tertiò, nebuloſa, torua frons homines audaces ſignificat, cuiuſmodi fuit Carolus Burgundiæ dux ſupercognominatus Audax. Ratio eſt ex apparenti more, quia cum ad audaciam nos prouocamus, & aliquid audacter aggredimur, obnubilamus frontem, id eſt, totam ad ſupercilia deprimimus.

Quartò, frons tenſa, ſubtilis, & leuore ſplendicans, ingenioſum, iracundum notat; frons tenſa oritur à complexione cholerica, quæ extendit; ſubtilitas lucida à ſpirituum copia, humorúmque paucitate, quod ingenij eſt argumentum.

10. *De protenſa, rugoſa, confuſa.*

Quintò, quicunque protenſam habent, ſeu tranquillam ſerenamque frontem, adulatores; referuntur ab Ariſtotele ad canes domeſticos, quibus aſſentatio connata videtur: hoc ex apparenti more ductum eſt; nam qui aſſentantur, frontem explicant.

Sextò, rugoſa frons vel ex humore nimio oritur, vel ex ſiccitate, ſed hoc diſcrimine, quod ſi ex humore, tota rugis vno ductu per longitudinem protenſis occupatur; ſi ex ſiccitate, minime, ſed plures rugæ ſunt interciſæ, vt in ſenibus contingit.

Septimò, confuſa, tumida, nimia vultus pinguedine, phlegmatici eſt, craſſi & hebetis.

11. *Frons valde prominens.*

Octauò, frons valde prominens, optimæ imaginationis indicium eſt; ſic Chriſtophorus Clauius, & Paulus Guldinus, duo Societatis noſtræ lumina, præſtantiſſimi Mathematici, frontones fuerunt; iam autem lib. 1. cap. 11. art. 9. diximus Mathematicas diſciplinas potiſſimum imaginatione conſtare; frons vero imaginationis eſt officina.

12. *De aſpera.*

Nonò, Aſpera frons cum foſſiculis, & monticulis, morum non adeo bonorum augurium eſt; ita Albertus, Polemon, Adamantius, Porta; Ratio vero fortaſſe eſſe poteſt, quod maxima inæqualitas, & intemperies cerebri arguatur. Apud Thraces olim frontem habere multis punctis notatam, nobile iudicabatur; non habere notatam, ignobile, ita Herodotus lib. 5.

13. *De lineis frontis.*

Decimò, vtplurimum ſunt tres lineæ tranſuerſales in fronte; ſi plures, earum ſorores cenſentur, quod ſi vna per totam frontis longitudinem porrigitur, ſpes eſt vitæ annorum ſexaginta; ſi duæ, ſeptuaginta; ſi tres aut quatuor, multo plurium annorum, ita Ptolomæus, cuius vnius hac de re erit hoc loco iudicium. Ego verò, quid hac de re iudicandum ſit, relinquo lectoris arbitrio; vbi, quæ de inciſuris manuum lib. 3. cap. 9. dixerimus, ſedulo penſitarit. Sed quidquid ſit, mihi non placet tam exacta annorum computatio.

14. *Cutis in fronte m-*

Vndecimò, cutis in fronte valde mobilis valde muſculoſum homi-

bilis, valde musculosum hominem testatur.

minem testatur. Sanè, vt habet Dandinus lib. 3. c. 6. cutis ex senō mouetur, sed mouetur, subiectorum musculorum beneficio, & in reliquo quidem corpore ita ossibus musculi inseruntur, vt vbique cuiuspiam ossis aut inflexio, aut extensio, aut alius motus conspiciatur; At in fronte, cum cranium immobile sit, musculi dum suo funguntur munere, cutem quoque secum trahunt, sicut etiam in ventre dum abdominis musculi mouentur, cutis ipsa mouetur; sed in fronte eo magis, quo magis est cum subiectis musculis implicita, ac in reliquis quidem partibus ita carni adhæret, vt detrahi fere tota possit, si frontis & labiorum cutem exceperis, optimum ergo signum expeditorum & validorum musculorum est cutis, quæ in fronte valde mobilis est.

De Temporibus.

CAPVT VI.

1. Quid sint tempora.

TEMPORA sunt quæ frontem vtrimque terminant; nomenclaturæ ratio est, quod in eis ætatis tempus certo cognoscatur; nam tempora primo canescunt, occiput sane humore vacat, cum non contineat tantum cerebrum; Syncipnt vero habet multum humoris, quod autem multum est, difficile id putrescit, vt diximus lib. 1. cap. 19 art. 2. At in temporum pilis, nec tam parum humoris est, vt concoqui possit; nec tam multum vt putrescere nequeat. Verum de canitie antea egimus hoc libro cap. 3. art. 1.

Tempora compressa, frontem curtam, & mandibulas amplas qui habent, in proximo sunt periculo scrophularum. ita Henricus, & Guido in capitulo de scrophulis. Ratio est, quia tunc prompte materia deriuatur ad collum, & maxime si accedat ciborum ingluuies caputque magnum, & male conformatum.

2. Tumida, indicij defectum arguunt.

Tempora tumida, & orbiculari figura erotundata sapientiæ & sensus defectum arguunt. Ratio est, quia, vt supra diximus, tunc necessarium est ventriculum medium capitis amplissimum esse: quare nec in eo spiritus bene vniri possunt ad principem, vt vocant Medici, ratiocinationis actionem obeundam; eapropter confusio in operatione consequitur. Deinde signum est nimiæ abundantiæ sanguinis, calorisque immodici, vnde ille tumor nascitur.

3. Mediocriter caua, boni ominis; multū caua, mali.

Tempora mediocriter caua optimum signum sunt, vt diximus supra cum de capite, hoc libro cap. 2. art. 3. Tempora multum caua, vt habuit Caligula Imperator ex Suetonio cap. 50. maximam capitis siccitatem indicant, quod ex eo colligo, quod in senibus visantur: est autem senectus sicca; imo & decimo anno, cum iam siccescere incipit caput, cauari incipiunt tempora: At quoniam substantia cerebri ex se humida est, fit vt qui tempora habent caua, sint pertinaces: siccitas enim mixta cum partibus humidis, tenacissima est figuræ impressionisque acceptæ: At vero quoniam hæc siccitas, vnde cauantur tēpora, cum calore vt plurimum coniuncta est, fit vt qui tales sunt, promptissimi sint ad iram.

4. Pilosa, procliuitatē ad libidinem indicant.

Tempora pilosa luxuriosum indicant: ita Polemon, Porta, Aristoteles, qui talem luxuriosi figuram descripsit: *Subpallidus est & hirsutus*

hirsutus rectis, crassis, ac nigris tectus capillis hirsutáque etiam tempora habens, atque oculos pingues stupidósque. Ratio est iam satis insinuata supra, c. 1. art. 8. cum de piloso corpore egimus, facitque ad rem quod pilorum copia in ea parte nascens humoris seminisque copiam maxime indicat; nam illac fit è cerebro seminis fluxus ex sententia nonnullorum Medicorum, & qui libidini nimis indulgent, tempora habent compressiora propter maximam iacturam humoris, & spirituum, quibus ante intumescebant, aut saltem æquabiliora erant, quod si hæc sententia de semine non placet, cum vna hac in re errasse deprehensum dicat Hippocratem Auicenna, quod ex toto corpore exprimi semen dixerit, satisfaciet generalis ratio allata iam cap. 1. huius libri. Afris porrò pastoribus, vt refert Cœlius lib. 10. cap. 38. mos ille vetus, quadrimis filiis verticis venas, aut etiam temporum, lana, quam succidam dicimus, adhibita inurere, compescendis è capite fluxionibus; proptereáque inter omnes prosperiori vti se putant valetudine, atque ita res habet: Et verò qui dentibus, ex humoris defluxu, dolent non alia parte defluxum sentiunt, quam circa tempora.

5. *Venæ iuguli & temporũ turgentes, temperiẽ cholericã arguunt.*

Quibus venæ iuguli ac temporum distentæ, seu turgentes & sanguine plenæ apparent, illi sunt vehementer iracundi: hoc Aristotelis Apotelesma probatur à signo, quoniam qui vehementius irascuntur, hoc modo venas affectas habent, ergo quibus turgent venæ circa collum & tempora, propensiores sunt ad iram, eamque sæuam & difficilem, vt ait Philosophus.

De Superciliis.

CAPVT VII.

1. *Supercilia data ad protectionẽ oculorum.*

SVPERCILIVM est pars extrema frontis, quæ super oculos prominens, vestitur pilis ad oculi protectionem, quo aliorsum deciduos corriuent humores, qui superne incidere possunt, velut vallum quoddam aut potius imbricamentum à natura concessum, vt habet Aristoteles 2. de partib. cap. 15. quare cum coeunt in summitate nasi, aut longius ad tempora protenduntur, vitium est, & præter naturæ intentionem, quæ potissimum oculorum tutelam præsidiumque spectauit, ad quod ista coitio, aut nimia protensio versus tempora nihil facit: quare indicium erit alicuius excessus in qualitatibus quæ corporis conformationi deseruierunt.

Dicata fuisse Iunoni supercilia tradit Festus Pompeius l. 17. quia iis proteguntur oculi, per quos luce fruimur, quam dare Iunonem credebant, vnde & Lucina dicta est.

2. *Ad decorationẽ & pulchritudinẽ frontis.*

Addendum est præterea, & ad decorationem & pulchritudinem frontis data nobis supercilia; quemadmodum & pilos capitis, tum ad cõmodum, tum ad pulchritudinem Sed audiendus Ambrosius cap. 9. lib. 6. Hexaemeron: *Eam* (, id est, frontem) *gemina sepes superciliorum sequuntur; quæ oculis munimenta prætendunt, prætexunt gratiam, vt & venustas decoris arrideat & diligentia protectionis assistat; si quid enim de capite sordium decidat, aut arena puluis, aut ros nebulæ, aut*

humeſcentis verticis ſudor, excipitur ſupercilio; ne teneras offenſa acie viſiones mollium perturbet oculorum. Dicuntur ex Iſidoro lib. 11. Etymologiarum, quod ſuperpoſita ſint ciliis; quod vero medium inter ſupercilia & cilia glabrum & ſine pilis, intercilium vocatur.

3. *Duo ſunt, qui Silones vocentur.*

Duo ſunt ſupercilia, vt & multæ aliæ partes geminæ. Dextrum altius eſt & magis curuum ſiniſtro, vt notat Philoſophus lib. 3. de partib. cap. 4. quod contingit ex eo quod dextra pars multo calidior eſt. Qui habent ſupercilia multum prominentia, ſilones vocantur; à Sileno, quem hirſutis fuiſſe ſuperciliis ferunt. Authore Feſto; quamquam & interdum, Silonem, quidam hominem naſo repando dicunt, quod & Plinius lib. 11. ſenſiſſe videtur.

4. *Non infimum locum tenēt in phyſiognomia.*

Sunt attendenda valde Phyſiognomo ſupercilia: nam ex Marco Tullio oratione in Piſonem; *Frons, oculi, ſupercilia, vultus denique totus, quidam tacitus ſermo mentis eſt. Supercilia*, inquit Plinius l. 11. c. 17. *homini pariter & alterne mobilia: hæc maxime indicant faſtus; ſuperbia alicubi conceptabulum; ſed hic ſedem habet; in corde naſcitur, huc ſubit, hic pendet, nihil altius pariter abruptiuſque inuenit in corpore, vbi ſolitaria eſſet.*

5. *Præſentes animi affectus ex ſuperciliis cognoſcūtur.*

Ducendum exordium in his noſtris coniecturis à præſentibus animæ affectibus. Attollere ſupercilia, ſuperbiæ, hilaritatis, & iræ ſignum eſt: deprimere vero, triſtitiæ & abiectionis animi. Mira omnino res, vt cum effertur animus, efferantur ſupercilia; cum deprimitur, concidant. huius rei ratio, quantum conſequi poſſum, petenda eſt ex natura paſſionum iam dictarum: Cum enim triſtamur, cogitur calor in corde, rigentque, aut ſaltem frigent aliquantulum reliquę corporis partes: vnde ſignum eſt non ſuppeditari ipſis magnā ſpirituum copiā, qui ſunt inſtrumenta virtutis motiuæ & retentiuæ: quare cum deficiunt capitis ſpiritus, concidunt ſupercilia: labat enim tunc & infirmatur virtus retentiua: At vero cum hilareſcimus & ſuperbimus, panditur cor, hiatque toto ore: quare effundit magnos ſpirituum turbines potiſſimum in partem ſuperiorem; & tunc virtus motiua maxime vegeta eſt, & à calore copioſo, quem habet, qui ſemper ſuperna petit, adiuuatur, & ſollicitatur ad tollenda ſupercilia: Adde cum ſubinde ſupercilia mouentur, ancipitique motu ſcintillant, maximam animi perturbationem indicari, quod plerumque contingit in ira: hoc enim oritur ex valde perturbato ſpirituum motu.

Iam de permanentibus affectibus ſeu propenſionibus naturalibus, hęc videntur dicenda.

6. *Supercilia coniuncta in origine naſi audacem indicant.*

Primò, Supercilia coniuncta in origine naſi, maxime ſi pili denſi ſunt, audacem, cholericum indicant. Ratio eſt, quia ſignum eſt maximi caloris fuliginoſam materiam præter primariam naturæ intentionem foras protrudentis: qui autem tali complexione præditus eſt, quomodo audax & cholericus non eſt; Cedrenus anno vltimo Phocæ Imperatoris, eum deſcribit deformem terribilem aſpectu, coëuntibus ſuperciliis, rubente capillo, ſanguinarium, mulieroſum, cicatrice in mala notatum quæ eo iraſcente denigrabatur: Alexius Ducas Imperator Conſtantinopolitanus, qui à latinis anno milleſimo ducenteſimo

impe

imperio priuatus est, à suis coæqualibus Munzufli cognominatus est, propter imminentia naso supercilia.

7. *Parua pusillanimē, diuulsa, stupidum.*

Secundo, supercilia parua & tenuia, pusillanimitatis sunt indicium propter rationem contrariam modicum scilicet calorem.

Tertiò, qui iuxta nasum diuulsa habent, & ad tempora extensa supercilia, sunt parui ingenij, neque boni Genij: Albertus stupidos & negligentes esse ait, Aristoteles immundos & cum eodem videntur ad sues, ita affectas superciliis, reuocandi. Potest autem ex similitudine cū animantibus aliquando sumi indicatura, vt probauimus lib. 1. c. 9. neque est quod quis hic curiosius rationem quærat, quasi omnium rerum dari possit: nam *qui de omnibus*, vt ait Theophrastus 1. metaphysic. cap. 5. *rationem quærunt, rationem tollunt.* porro quam multa sunt quæ doctrice tantum experientia assequimur? nec de omnibus confessas & compertas demonstrationes habemus?

8. *Demissa, tristē, raris vestita pilis, natura debilitatem.*

Quartò, qui habent demissa supercilia, sunt tristes; Ratio ex apparenti more ducitur; quia qui tristitia tenetur & inuidia, ita demittit supercilia. Notat vero Aloisius Nouarinus in Agno Ecclesiastico l. 5. numero 894. ex Rabbi Mose in libro præceptorum negatiuorum, qui superciliorum pilos demissos habuissent, in seruitutem Dei adscribi non potuisse.

Quintò, rari pili in superciliis notant internam sanguinis corruptionem vt leprosis contingit, aut consumptionem humidi radicalis, vt patet in laborantibus febre ethica, aut nimiam humorum copiam, quibus intercludatur via, quominus exonerari possint, vt patet in exsectis; vno verbo naturæ debilitatem.

9. *Pili recti in superciliis calorem indicāt, &c.*

Sextò, qui habent pilos rectos, in superciliis, aut crispos, aut flexos ad frontem, maxime calidi sunt: scitum est enim quod ex maximo calore oriatur hæc pilorum crispitudo.

Septimò, quibus videntur modicum subagitari, illi animositatis signum præ se ferunt, propter calorem & spirituum copiam.

10. *Cur senibus auctiora supercilia.*

Octauò, Supercilia in senibus auctiora fiunt, quia cohæsioni apposita sunt ossium, quæ senescente ætate laxantur, & inde plus humoris transmitti patiuntur. ita Aristoteles. cap. 11. lib. 3. de historia: in iuuentute vero ossa illa propter abundantem humorem optime cohærent, & constipantur: quare non adeo facile vapores promuntur, atque hoc etiam cogitabundis euenit quoniam caloris vi, plus vaporum ad superna emittitur. At vlterius quæri potest ad pleniorem quæstionis solutionem, cur senes sincipite caluescant, cum tamen ea capitis parte patentissimas suturas habeant. Respondetur, quia in senibus, arescentibus omnibus membris, arescit etiam cerebrum, atque adeo diminutum in suam basim subsidet, receditque ab sincipitis ossibus; quare non potest conueniens alimentum pilorum radicibus subministrare. At supercilia ad cerebri basim propius accedunt, atque ideo maior alimenti copia ipsis suppeditatur.

11. *Arcuata supercilia magnanimitatis indicium.*

Nonò, supercilia arcuata sunt magnanimi, audacis, iracundi; supercilia in longum porrecta, timidorum: Ratio est, quia caloris est eleuare: hinc lunata calorem prodant,

dunt, porrecta in rectum, frigiditatem; & vero fœminæ ſupercilia gerunt in rectam pene lineam diducta; vt plurimum vero, quia omnes partes dextræ calidiores ſunt, ſupercilium dextrum magis arcuatum eſt ſiniſtro, vt notat Ariſtoteles c. 9. lib. 3. de partibus animalium. Mahumetes ſecundus, Bizantij expugnator, vir bellica gloria inſignis, & ſummus Imperator, curuatis fuit ſuperciliis. Magni Baſilij effigies apud Baronium in Annalibus anno trecenteſimo ſeptuageſimo octauo ex antiquo codice Vaticano ſic deſcribitur: procero habitu & porrecto, ſiccus, gracilis, colore fuſco, vultu ſubpallido, iuſto naſo, ſuperciliis in orbem inflexis, & adductis, cogitabundo ſimilis, paucæ in ore rugæ, eæque renidentes, genæ oblongæ, tempora aliquantulum caua.

12. *Superſtitionē ſapit, modus loquendi de upercilio,*

Ad extremum hic noto modum illum loquendi, ſupercilium ſalit, quo ſignificatur aliquid nobis probe ſuccedere, in quo ſenſu vſurpatus eſt à Subdolo apud Plautum, ſuperſtitioſum eſſe & ductum ab inepta & vana antiquorum opinione, qui ad res proſperas ſupercilium dextrum ſalire exiſtimabant, quemadmodum & aurem dextram tinnire, cum aliquid laudabile de nobis etiam remotiſſimis diceba tur; cum vero aliquid turpe & culpabile, aurem ſiniſtram.

***

De Ciliis.

CAPVT VIII.

1. *Quid cilia; ad quid; Naturæ prouidentia.*

CILIA ſunt pili, qui è palpebris prominent, vt minutarum rerum incurſum, tamquam ſtipatores quidam, repellant; Et vero etiam ad acumen viſus plurimum conferunt *Cilia*, inquit, Iſidorus lib. 11. Etymologiarum, *ſunt tegmina, quibus Oculi cooperiuntur, & dicta cilia, quod celent oculos, tegantque tuta cuſtodia.* Atque hic cum Cælio l. 3. cap. 27. beneficium debemus penſare naturæ, diuinique numinis clementiam: ſummo enim ſtudio cautum eſt, ne iuſto plus increſcerent hi palpebrarum pili, cum inde viſus præpediendus foret. At quomodo cautum? palpebrarum ambitum, hoc eſt, forulum ſolidiuſculo communiit corpore, ac cartilaginoſo, tum ne vapori fumido, vnde eſt pilorum materia, pateret exitus, tum vt duro innixi obfirmatique pili ſtabiliores, rectioreſque redderentur? nam & ſolo innata molliculo, producuntur facilius, & obliquantur in quoduis latus, propterea feſtiuiſſime Galenus lib. 11. de vſu partium cap. 14. *num igitur*, inquit, *noſtri opifex, ſolis his pilis æqualem ſemper ſeruare magnitudinem præſcripſit, hi autem ſiue imperium præſcribentis, metuentes, ſiue Deum ipſum præcipientem reueriti, ſiue faciendum id eſſe perſuaſi, quod mandatum ipſis fuit, obſeruent?*

Huic mirabilitati accedit alia, quod cum pro temperamentorum diuerſitate

diuersitate, vt notauit Ioannes Tardinus, plures, aut pauciores erumpant pili; calidæ enim naturæ multos &, copiosos, emittūt; frigidæ, perpaucos: hi in omnibus tēperamentis, frigidis, calidis, humidis, siccis, semper eodem numero & ordine proueniunt, ne si pauciores essent, non satis externum lumen retunderent, vel si copiosiores, ne pupillam obtenebrarent.

2. *Cur duplex ciliū*

Cilium homini in vtraque palpebra est, cæteræ animantes carent inferiori, vnam Simiam si excipias, quæ hac in re in re homini consimilis est: quanquam vtrumque, ac maxime inferius, multo tenuius & prolixius habet ex Aristotele 2. de Historia cap. 1. & 8. Facit vero hic duplex pilorum ordo in homine, vt species melius vniantur, & corpora obiecta melius conspiciantur, ab eo scilicet cui contemplandus est mundus vniuersus, quod ad reliquas animantes non attinet, cum pronæ terram spectent, rationis expertes.

3. *Varia cōiectura ducta ex Ciliis.*

Cilia naturaliter plicata deorsum ita vt quasi sint crispa, significant hominem inuerecundum, fallacem; ita Michaël Scotus: ratio est, quia hæc complicatio & crispitudo dominium summæ caliditatis arguit.

Salaces hi sunt, quibus cilia defluunt (salitium vocatur in ciliis, quod in pilis capitis, caluitium) satisfacit Aristoteles sect. 4. probl. 19. quia partes superiores libido refrigerat, materiamque pilorum absumit, vt patet ex superioribus; sic pilis deficit alimentum, siue in capitis parte superiore, siue in palpebris.

Cilia nigra, densa, recta optimam oculorum aciem testantur; infixa sunt scilicet palpebris cilia, velut sepes, tum vt externos præsentiant incursus, vt in limacibus exporrecta cornua; tum vt ad videndum conferant, quemadmodum iam diximus: nigrities autem densitati iuncta lumen egregie fouet, atque contemperat; eadem vero densitas atque rectitudo melius visiuum dirigit spiritum, quare mirum non est arbitrari Galenum in Medicorum Isagogico, ciliis reuulsis, vel quauis ratione procidentibus aut obliquatis, remotiora longe imbecillius internosci visu.

De Palpebris.

CAPVT IX.

1. *Cur & quibus data palpebra.*

VT oculi iniuriis minus obnoxij forent, ossibus vndequaque & palpebris (quas nonnulli, vt Plinius, oculorum genas vocant, Gærci βλέφαρα, quia oculos contegunt) quasi propriis sepimentis obuelati sunt, & in antrum quoddam cui nomen orbita, reconditi: nonnulla animalia palpebris carent, vt quæ duros habent oculos: natura enim vt necessaria non negat, ita superuacanea non concedit: Oculis mollioribus, qui facile ab externis concursionibus lædi poterant, palpebras prouidit iis vero qui sua habitudine se facile tueri possent, non apposuit; frustra enim apposuisset, ac præterea sine causa, sine vsu & commodo animalibus illis viuendi impedimentū attulisset, vt piscibus, crustatis, insectis, quorum nulla palpebram habent, ita Aristoteles c. 13. l. 2. de partibus animalium.

De crassis, tumidis, breuibus, carnosis palpebris.

ARTICVLVS I.

2. Palpebra tumentes somnolentum indicant.

PRimo, qui habent palpebras tumentes vesiculis, somnolenti sunt: probatur, quia, vt ait recte Fontanus, palpebræ constant, vt cute, ita membrana, quæ oritur ex pericranio, & tenuibus musculis, qui penè membranei sunt, tota autem membranæ natura sicca est, & quod consequens est, difficile extenditur; vt igitur palpebræ facile extendantur, & tumeant, quasi vesiculæ, oportet, humectentur, At de humiditate palpebrarum licet præiudicium ferre humiditatis reliqui totius corporis (corpus autem humidum valde soporosum est,) aut saltem cerebri, ad quod quod delati vapores cito infrigidantur, & incrassantur: somnum vero vocamus refrigerationem vaporum ad caput ascendentium; refrigerati autem vapores in humorem conuertuntur. Præterea qui expergiscuntur, oculos habent præ humore tumentes, ergo qui semper tumidos habent, natura sua paulo somnolentiores sunt. Nescio autem quomodo Aristoteles & Fontanus ex palpebris turgidis temulentos ominentur, nam ex humore palpebrarum licet quidem præiudicium ferre de corporis aut cerebri humore; qui somnolentiæ proximus est, sed non licet hunc humorem quasi ex nimia ingurgitatione natum augurari.

3. Inferior palpebra retracta, breuis vita signum.

Secundò, qui inferiorem habent palpebram retractam ita vt oculum non cooperiat, breuis vitæ sunt: oritur enim hoc ex debilitate musculi, qui palpebram inferiorem surrigere nequit, debilitas musculi debilitatem cerebri arguit, quo male affecto diuturnior vita esse nequit: Et verò instantem mortem prænuntiat ex Hippocrate deciduum mentum ex infirmitate, deficit enim tunc musculorum vis, qui multum laborant in surrigendo mento, vt pote graui. Idem de retracta inferiori palpebra ex morbo pronuntiandum autumo, nimirum proximæ mortis indicium.

4. Sanguinea palpebra inuerecundiã notant, sicut & rugosa.

Tertiò, quibus sanguineæ crassæque sunt palpebræ, inuerecundi sunt ex Aristotele: dixerim ego, esse quoque tardioris ingenij: ratio vtriusque eadem, ni fallor, quia oportet sanguinem esse crassiorem, vlterius oportet esse crassos spiritus, quorum sanguis materia est, crassorum autem spirituum celeres non sunt motus, vnde ingenij tarditas manifesta est; quod si celeres spirituum motus non sint, eo deterior est imaginatio, quæ tota in spirituum agitatione consistit: At verò in imaginatione potissimum, sedem habet pudor, quare antiquitas frontem vtpote partem maximè propinquam imaginationi, quasi thronum duobus superciliis suffultum pudori assignauit: quod si male habet imaginatio, male quoque pudorem constat esse affectum.

Quartò, qui valde rugosas habent palpebras, pariter inuerecundi sunt; eadem est huius, quæ superioris, ratio ex crassitie sanguinis ducta, quæ crassam rugosamque cutem parit.

5. Maiores & crassiores acumini vitæ inseruiũt.

Quintò, commentator, cum præmisisset datas oculis palpebras ad custodiam, subdit, qui maiores, & crassiores habent, acutius seu res remotius

remotius positas cernere posse: quia tunc oculi contra calorem, frigus, iniuriasque externas occursantes multo melius communiuntur, & conseruantur, multóque magis obumbrabantur, minusque patiuntur à luce externa; quod vt patet ex superioribus, multum facit ad visus præstantiam.

De nictatione palpebrarum.

ARTICVLVS II.

16. Obseruatio Aristotelica circa palpebras.

ANtequam coniecturas in medium afferam, operæ pretium erit, quod habet Aristoteles lib. 2. de partib. cap. 13. breuiter hic referre. quæ animal pariunt, geminam habent palpebram, & vtraque conniuent, Aues tam leuiores quam grauiores, & quadrupedes ouiparæ palpebra inferiori conniuent; salutis gratia palpebræ operiunt oculos, ideóque omnia conniuent, & omnium maximè homo, omnia, inquam, vt quæ incidunt, prohibere palpebris possint, idque non consulto, sed naturæ instinctu agitur: homo vero, inquam, frequentius, quia cutem tenuissimam habet. Iam venio ad coniecturas.

7. Celer motus palpebrarum tenuitatẽ cutis arguit.

Primò, qui celerrime, & concitatissime ad arbitrium palpebras mouet, summæ tenuitatis cutis habet argumentum, nec vero tenuitas hæc sine magna spirituum calorisque exuperantia esse potest; ratio est in aperto; quod enim tenue, celerius, quod crassum, tardius mouetur. Porrò hic insigniter obseruandum palpebrarum motum non esse prorsus voluntarium, contra quam sensit Galenus: nam sæpe sine consilio & voluntate mouentur, siue in vigilia siue in somno; subest vero ex ea parte voluntati & appetitui, qua concitatius, & tardius ex arbitrio nostro fieri potest: imo vero interdum provt collibuerit, palpebras claudere & aperire possumus.

8. Frequens nictatio timiditatem arguit.

Secundò, qui naturaliter & frequenter nictant oculis, timidi sunt: Ratio est, quia nictatio hæc pure naturalis oritur ex humiditate & debilitate cerebri; oportet enim musculos oculares debiles esse, qui tales non erunt, nisi debile sit cerebrum & humidum: At debilitas & humiditas cerebri sociam habent timiditatem: ita Aristoteles. Prætere probari potest ex eo, quod qui timent, conniueant oculis & maximè pueri, si quisquam eis minas intentet. Verum hic monendum est coniecturam hanc esse ancipitem & dubiam: fieri enim potest vt non tantum ex imbecillitate natiua musculi oriatur hæc palpebrizatio, seu palpebrarũ mobilitas, sed etiam ex calore nimio earumdem. Verum cum hoc discrimine, quod, cum ex calore orietur, prompte aperientur oculi, cum ex imbecillitate seu frigore, prompte claudantur: Cæterum cùm quis propter inflammatum ventriculum aut septum transuersum delirat, oculis maximè nictat propter maximam neruorum in cerebro insertorum connexionem:

Mens delira magis, si sit nictatio visus.

Ita Petrus Holtzemius in sua prognosi vitæ & mortis.

9. Nõ cõniuere oculis fortitudinẽ arguit.

Tertiò, qui non conniuent oculis, fortes sunt, generosi, & magnanimi: narrat Plinius viginti gladiatorum paria in Caij principis ludo fuisse, atque in iis duos maximè spectabiles, qui, quantumlibet mi-

næ intentarentur, nunquam nictauerint: & vero victores extitere. Hoc signo olim fortissimi Danorum milites cognoscebantur, qui, ne clauæ quidem, ne dum pugni ictu oculos claudere cõsuerunt. Hacquinus Noruagiorum Rex, vt refert Saxo l.10. victis nauali prelio Danis, & non paucis captis, cum audiuisset eos, vel receptis in vultum ictibus, ne leues quidem nictus edere; huius rei periculum facere voluit. Prior Siualdus dux Danus satellitis fuste percussus oculos motu vacuos præbuit. Ratio propositionis est, quod hoc arguat robur musculorum, quod oritur ex generosa, rectaque constitutione calida, quæ formidinem excludit. Quod si oculi non nictantes grauiter intuentur, feritatem quandam præ se ferunt.

De Oculis.

CAPVT X.

1. *Oculorum præstãtia.*

VIsvs inuentionis sensus est, sicut auditus disciplinæ: per oculos Deus cognoscitur, per auditum creditur. Nobilissimus est inter omnes sensus, vt satis probat obiecti maxima amplitudo atque nobilitas: Præterea modus agendi, qui fit in instanti, & ad longissima interualla: Plato *præcipuos duces ad Dei lucisque cognitionem*; Hesiodus oculos *solis portas* vocat: Galenus nunc *organum lucidum*, nunc *solarem animalis particulam*, nunc *diuinum membrum*, aliique *naturæ speculum*, vt speculum, Artis oculum appellant. *Carcer est totum corpus, tenebroso inhorrens situ, nisi oculorum illuminetur aspectu*, inquit Ambrosius: *quod ergo Sol & Luna in cœlo, hoc sum oculi in homine; Sol & Luna duo mundi lumina; oculi autem quædam in carne sydera fulgent desuper, & inferiora claro illustrant lumine, nec patiuntur noctis quibusdam nos tenebris implicari, speculatores quidam nostri die ac nocte excubant.*

2. *Precipui ad physiognomicas coniecturas.*

Nec vero frustra hic nos præcipuum laborem ponemus in sumendis coniecturis ex oculorum organo, nam fores animi sunt; & recte nonnulli: vt vultus animi imago, sic oculi vultus indices sunt Philostratus in vita Apollonij l. 2. cap. 12. *oculi* (inquit) *mores hominum plerosque indicant* Roxus signa oculorum ait potentissima, & summam physiognomiæ perfectionem ex oculis petendam: cum enim animi sint fores, per eos potissimum dabitur nobis aditus ad introspiciendas in penitissimis animi finibus reclusas latitantesque affectiones. Oculis, vt ait Zimara problem. 67. vix dissimulare potest, qui male agit, quia est nuncius cordis, & animæ speculum, in quo omnia refulgent atque emicant, & quia corporis particula infirmissima est, & laxior refertaque meatibus: quo fit, vt omnis alteratio, quæ ex corde exordium sumpserit (quod omnis sensationis, motus, atque cogitationis principium est) ad oculos illico pertingat. Et vero Albertus de historia animalium lib. 1. tractatu 2. cap. 3. oculorum, ait iudicia, si confirmant cæterorum membrorum iudicia, rata sunt; si non confirmant, oculorum iudicia præualent: denique Plinius l. 11. c. 37. dum de oculis, *Neque vlla ex parte maiora*

maiora animi indicia cunctis animalibus, sed homini maxime, id est moderationis, clementiæ, misericordiæ, odij, amoris, tristitiæ, lætitiæ. Contuitu quoque multiformes, truces, torui, fragrantes, graues, transuersi, limi, summissi, blandi; profectò in oculis animus inhabitat. Ardent, intenduntur, humectant, conniuent. hinc illæ misericordiæ lacrymæ. hos cum osculamur, animum ipsum videmur attingere, hinc fletus & rigantes ora riui: Animo autem videmus, animo cernimus, oculi seu vasa quædam visibilem eius partem accipiunt atque transmittunt. Hactenus Plinius.

3. *Natura esta quea*

De oculis consideranda nobis sunt, colores, quantitas, situs, motus, atque aliæ huiusmodi affectiones. Verum hîc suponenda nobis duo sunt; vnum est oculorum naturam esse aqueam, nam cum constent circiter viginti partibus, musculis sex, tunicis sex, duobus neruis, duabus glandibus & venis, humoribus tribus, cristallino, aqueo, vitreo, præcipuum ac longe maximum in eis obtinent locum hi humores, & quidem cristallinus, qui est quasi anima & mens oculi, glacialis est, & immergitur vitreo humori, vterque autem cingitur postea integra tunica cornea, & inter corneam & albuginem est humor aqueus. Præterea si forte perpurgatur oculus, quidquid affluit, aqueum est, vt habet Aristoteles c. 2. de sensu: additque propterea in animalibus sanguine prædicis, album oculi esse pingue, ne humor ille quem cristallinum vocamus, congeletur, refutatque Democritum, qui organum visus non ad aquam sed ad ignem referebat: Ratio eius erat, quia compresso & agitato oculo, igneus quidam fulgor apparet, vnde oculum igneum esse sentiebat; sed facilis responsio; fulgor ille apparet propter spiritus, qui naturæ sunt igneæ, compressoque oculo subsiliunt: non apparent autem nisi in tenebris, aut cum palpebræ oculos integunt; nam tunc quoque tenebræ sunt. Cæterũ oculi non adeo proximi sunt cerebro, nisi vt abundanter ipsis suppeditetur humor, & præceptum est Medicorum, ne debilitetur oculorum vis, non esse nimis calefaciendũ, & crassioribus tegumentis operiendũ caput; sic enim siccescit cerebrum: vnde abundanter humorem oculis nõ subministrat. Denique recte summus Medicinæ dictator Hippocrates de locis: *visus à cerebri humido alitur:* & propter cerebrum oculus in capite positus, quoniam aqueæ naturæ est vt cerebrum.

4. *Mira compositio.*

Alterum est, compositio oculi, qui in homine globi perfectam figuram obtinet, in aliis autem animalibus non ita perfectam; cristallinus humor in lentis formam potius quam globi; cuius pars vna demergitur in vitreum humorem, qui pone ipsum est: altera eminet ad partem oculi anteriorem: hunc humorem cristallinum cingit vndique aranea tunica, vitreum retina, in modum mediæ sphæræ cuius extremitates cum humore cristallino connectit circularis quædam pellicula, seu membranula quæ ciliaris nominatur à quibusdam, qui eam quoque volunt esse distinctam à sex enumeratis: vnde & septimam vocant; sed existimo eamdem esse cum vitrea, quæ ambit retinam, & ad hanc vsque partem pertingit, vbi extremitates illas iã dictas cõnectit: vitreum humorem & cristallinum pariter, & easdem tres tunicas vuea

tunica vndequaque ambit, nisi quod foramen habet, vbi ad humoris cristallini, supereminentem vitreo, partem supremam accedit: Totum hoc cingit integra tunica cornea, neque foramen vllum habens, quæ est concentrica quidem humori cristallino; sed aliis excentrica, vnde vacui multum relinquit, quod explet humor aqueus. Extremo, adhæret huic corneæ alia pars quædam tunicæ, quæ albuginea vel adhærens nominatur, & coniunctiua, quæ totum oculum suo loco figit & retinet, & non operit eam partem oculi, quæ iris vocatur propter multitudinem colorum; nascuntur pleræque harum tunicarum ex optico neruo. In vniuersum in omnibus animantibus oculi sunt valde pingues; ex vno vnius Balænæ oculo, vndecim lagenas adipis quas totidem viri vix ferre potuissent effluxisse Albertus affirmat.

De Oculorum quantitate.

ARTICVLVS I.

5. *Oculi magni pigritiam denotant.*

PRimò, qui habent oculos ingentes & valde magnos proportione ad reliquum corpus, pigri sunt: ita Rhases, Aporta, Fontanus Aristoteles. Probatur, quia significatur humoris abundantia quæ virtutem motricem debilitat, & quasi lassitudine afficit; quod maxime verum est, si oculi promineant; nec propter aliud pueri neque ingredi celeriter, imo nec ingredi in prima infantia, neque stare in vestigio possunt, propter, magnam humiditatem, quæ in ipsis est, quáve toti opplentur, & quasi ingurgitantur: sic ex Plinio Melanurus piscis maxime imbecillis, & ex Apiano timidissimus est, habetque proportione corporis ingentes oculorum fenestras.

6. *Parui astutiam.*

Secundò, qui oculos paruos habent, ingeniosi sunt, & astuti: referuntur à Baptista Porta, ad vulpem vafrum in primis animal. *Ad astutiam*, ex D. Thoma 2. 2. quæst. 55. art. 4. *pertinet assumere vias non veras sed simulatas & apparentes ad aliquem finem consequendum; cum contra ad prudentiam pertineat assumere vias rectas, ad rectum finem consequendum; assumptio autem viarum rectarum considerari potest vel in excogitatione earundem, vel in executione operis: excogitatio proprie pertinet ad astutiam, executio ad dolum & fraudem, vnde omnes astuti sunt pusillanimes.* Et vero Aristoteles inter notas timidi oculos paruos refert. Porro ratio conclusionis est, ex eo quod per paruos oculos indicetur paucitas materiæ humidæ; nam oculi aluntur humido, at quando cum paucitate materiæ humidæ est magna siccitas coniuncta in cerebro, ex siccitate oritur ingeniositas quæ facile deflectit ad vafritié, & astutiam, ex eo quod siccitas nimis magna est, vt in simili diximus supra

7. *Ex paucitate humoris oculi sæpe visu carent, vt in catulis contingit.*

Hic obserua quoniam humor oculis amicus est, ex paucitate humoris oculos non tantum fieri paruos, sed & sæpe visu carere; hinc canes cœcos effundunt catulos, quia corporis humor non sufficit ad irrigandas has corporis partes; quamquam alij volunt hoc fieri ob festinationem, qua nimis propere effunduntur, in ortum: vnde prouerbium canis festinans cœcos parit catulos. Formantur enim vltimi oculi, imo tardius visum recipiunt, quo plures

vno

vno partu eduntur, si vnus gignatur, nono à partu die oculi illi aperiuntur, & dehiscunt: si duo, decimo, & quo maior numerus eo in plures dies prorogatur cœcitas, imo ex Aristotele 4. de generatione animalium, ab iis potissimum animalibus qui multifidis sunt pedibus (sunt autem valde sicca) cœci catuli generantur; contra Elephanti quia annum & sex menses, aut etiam plus vterum gerunt, pullos pariunt, qui statim videant & ambulent: ex eodem Aristotele lib. 6. historiar. cap. 27.

8. *Magni oculi valde laudabiles.*

Tertiò, magni oculi iique concinni aut saltem decora mediocritate spectabiles valde laudabiles sunt, & potissimum si fulgeant, ratio est, quia oculi magni fulgentésque testantur perfectionem virtutis formatricis, & debitam contemperationem humidi in cerebro magnámque spirituum abundantiam; de quo infra, cum de luceo culorum artic. 4.

9. *Galeni sẽtentia de oculorum quãtitate.*

Galenus de quantitate oculorum sic philosophatur: *Magnitudo oculorum vbi concinnitas & operationum virtus, multitudinem bene temperatæ substantiæ ostendit, ex qua sunt conformati: quæ si desint multam quidem substantiam, non tamen bene temperatam ostendunt. Paruitas vero oculorum, adiuncta quidem concinnitate ac virtutum operatione, paucam quidem substantiam sed bene temperatam ostendit, ex qua sunt conformati; si vero sociam habuerit inconcinnitatem quandam atque operationum vitium, tum paucam simul, & vitiosam materiam ostendunt:* In quibus verbis animaduertendum est, cum paruitas in capite damnetur omniũ iudicio, non tamen semper in oculis damnari, causa est varietas vsus, & formationis vtriusque membri; vsus quidem, cerebrum enim gignit spiritus, in vsum facultatum, propterea quod in capite sunt, & in vsum sensuum & motus arbitrarij: oculi vero solius sunt vsus gratia; distant etiam formatione; nam cerebrum membrum cauum est, in quo semper paruitas reprobatur, nam quæ talia sunt, vt cerebrum, de quo est quæstio, pectus, ventriculus, si parua sunt, angusta sunt, si angusta, non recipiũt sufficientem materiam, non facile distribuunt, obstructioni obnoxia sunt: oculi autem non sunt caui. Atque hæc licet vera sint, tamen in vniuersum à Medicis & Physiognomis in membris quibuslibet plus laudatur magnitudo, quam paruitas.

De angulis, pupillis, & situ oculorum.

ARTICVLVS II.

10. *Coniectura Aristotelis & Galeni de Angulis.*

PArs communis superioris inferiorisque palpebræ, angulus est, quem duplicem vterque oculus habet, alterum intra nasum, alterum iuxta tempora; qui si iusto sunt longiores, notam morum maleficorum præbent; si carnosi more pectunculorum sunt, qui naribus iunguntur, malitiam præferunt: ita Aristoteles 1. de de Histor. cap. 9. Sed vt eius coniecturas non morer Galenus attendendus est, qui in arte medica inter signa timiditatis refert oculos molles, id est, facile illacrymantes (at potissimum lachrymæ in angulo eo visuntur qui ad nasum est. vnde & lachrymale vocatur.) argumentum est, quod

timidæ

timidæ naturæ leuissime plorant, pueri, mulieres, & homines magnis oculis prædìti.

11. *Magnæ pupillæ hebetioris visus & Ingenij.*

Iam quod attinet pupillas, hæc pauca tenenda sunt, primo, quibus magna pupilla, hebetioris sunt visus,& ingenij tardioris. Ratio est, quia magnum patiuntur spirituum dispendium & cerebrum humidius habent; vnde, deficiente instrumentorum adminiculo, visio & cogitatio ægrè, & cum labore fiunt *Noctua*, inquit Ambrosius lib. 5. Hexaemeron cap. 24. *magnis est oculorum pupillis, nocturnarum tenebrarum caligantem non sentit horrorem, & quo fuerit nox obscurior, & contra vsum auium cæterarum, inoffensos exercet volatus: orto autem die & circumfuso splendore Solis, visus eius hebetatur, & quasi quibusdam errat in tenebris, quo indicio sui declarat esse aliquos, qui, cum oculos cordis habeant ad videndum, videre non valeant, & visus sui officio solis funguntur in tenebris.*

12. *Paruæ. contra.*

Secundo, à contrario; quibus parua pupilla, ingeniosi sunt: referuntur à Baptista à Porta ad Serpentes, Ichnemones, Simias, Vulpes: signum enim est non adeo humidos esse, nec tantum pati spirituum dispendium: quare & cotem habent ingenij siccitatem, nec ex iam dictis dubitari potest quin acutioris sint visus.

13. *Quid de pupillis inæqualibus sentiat Albertus.*

Tertio, vt vult Albertus, qui habent pupillas inæquales, mali genij sunt; an quia, vt nonnulli olim dixerunt, monstrum in corpore, monstrum est in anima? hæc autem inæqualitas in illustrissima corporis parte monstruosæ deformitati appropinquat; an quia cum maxime laboret natura in concinnatione cōmensuque partium corporis nostri geminarum, signum est cum oculorum orbes non adæquarit alterum alteri aut debilitatione, aut praua vitiositate affectā vim formatricē partium anteriorum? quibus autem aut deficit aut praue afficitur vis formatrix, non adeo bene habent in anima propter corporis & animæ miram symphoniam, ac sympathiam, de qua libro 1. capite octauo.

14. *Quis verus & naturalis oculorum situs*

De situ oculorum, recte Canticorum 5. cum quæreretur à sponsa qualis esset, dilectus, respondet, *oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.* Alij legunt iuxta plenitudinem; nam debent oculi opportuna & idonea quantitate iustum suum orbem implere, vt neque turgiduli, multum prominendo, neque nimium recedendo intus foueati, concauique sint. Cæterum oculi vtriusque situs directus est, ne gemina, quæ simplicia sunt, conspiciantur, nam qui oculos deprauatos habent, alterum sursum, alterum deorsum versum, adeo vt non in eodem situ directo radij coruscare possint, illis conspectus rei geminatur: qui Strabones ab ortu naturæ sunt, gemina non vident, quia dextrorsum & sinistrorsum, non autem sursum & deorsum deprauatos habent, quare tunc quoque directus est oculorum situs.

15. *Prosiliētes oculi obtusi sunt visus.*

Prosilientes oculi debilitatem cerebri arguunt, quod oculos apud se continere non potest, vel nimiam & superfluentem sincipitij humiditatem, propterea valde obtusi sunt, visus, quia spiritus nullo negotio dissipantur à luce externa, quæ se tota nihilque refracta in eiusmodi oculorum tubera insinuat. Leo decimus Papa habuit oculos extantes, conuolutosque & hebetes; At si ad

pupillam

pupillam inſpicienda propius admoueret, ſupra fidem, acutiſſimos: ſupplices enim libellos vel minutiſſimis literis, & crebris ſyllabarum compendiis properanter exaratos celerrime & diſtinctiſſime legebat, vt refert Iouius.

16. *Concaui contra.* Secundo, concaui oculi, & in orbitam retracti, maxime ſi parui ſint, perſpicacia obtutus pollent: referuntur ad Aquilas, quibus altùm vt ita loquar, incauernati ſunt oculi: Ratio eſt, quia facile magna fit ſpirituum cõgregatio in concauis oculis, cum quaſi ſub vmbraculo lateant, quo lux quæ ſpiritus diſſipare valeat, refringitur; Et vero, ſi quid acrius intueri volumus, ſupercilia oculoſque contrahimus, manum ſuperponimus, per medios digitos anguſtumque foramen aſpicimus. vt maior vmbra captetur, quæ ſpirituum effuſionem & euaneſcentiã prohibeat & ne viſus diſſipetur impediat; atque hoc vocatur acute cernere, nempe procul videre; acute etiam cernere dicuntur, qui differentias rerum, quæ cernuntur, quam maxime ſentiunt: hoc autem oritur ex eo quod cutis, quæ pupillæ obtenditur, valde tranſlucida eſt talis autem eſt, quæ tenuis, alba, & læuis eſt; tenuis, vt ſpecies obiecti recto tramite feratur; læuis, ne rugis obumbret, ſenes enim propterea acute non cernunt, quia illis vt cæterarum partium cutis, ita oculorum quoque obrugatur, craſſiorque redditur; cur autem alba eſſe debeat, patet; quia nigrum non poteſt eſſe tranſlucidum, vnde nec laternæ lucere poſſunt, ſi ex tali cute confectæ ſint; in ſumma, vt in veſte mundiſſima, vel minima macula conſpicua eſt ita in puro ſinceroque oculo vel minima ſpecies ſenſum afficit; ita Ariſtoteles 15. de Generat. Anim. cap. 1.

De motu & Quiete oculorum.

ARTICVLVS III.

17. *Stantes oculi cogitationem anxiã indicant.* PRimo, ſtantes oculi acriter defixi ſignum præbent cogitationis anxiæ, ſiue ex amore, ſiue aliunde oriatur; atque inde ſequuntur alta ſuſpiria; illud per ſe notum eſt, iſtius vero ratio eſt; quia, cum animus valde intendit in aliquam cogitationem, quod fit beneficio facultatis intellectiuæ, reliquæ facultates debiliores fiunt in ſuo munere perfungendo; vnde & facultas motiua, quæ inſpirationem & reſpirationem efficit, debilitata, non adeo frequenter ac ſolito pulmones mouet; qui nimium à grauitate motus concalefacti acriter naturam ſtimulant, & ſollicitant ad expirandum, exufflandúmque calorem; quo fit, vt grauiſſimus conſequatur motus pulmonum, & hoc ipſum eſt ex imo ſuſpirare; quare cum in vehementi cogitatione, vndecunque tandem oriatur, fixi ſunt oculi, clarum eſt animum nullo modo diſtrahi.

18. *Celeritas motus oculorum calorem arguit.* Secundo, Oculi celeriter ſe mouentes in omnem partem ex Auerroë quodlibeto 4. calidam complexionem cerebri, tarde ſe mouentes, frigidam; moderate vero, moderatam indicant. At calida complexio ingenij acuitatem audaciam, aut magnitudinem ſecum adiunctam; At frigiditas vero ſtupiditatem, timiditatem, vt veras ſui exancillatrices, habet, vt patet ex ſæpius dictis: fieri autem poteſt

vt hic frequens motus non ex calore interiori oriatur, sed ex infirmitate natiua musculi mouentis: sic sæpe fit vt qui infirmos habent palpebrarum neruos, continuo nictent, qui mandibularum, per somnum dentibus frendeant; qui reuersiuos, somniantes loquantur; qui labiorum, labiis tremant, & sic de cæteris: quare coniectura Auerrois infirma erit nisi alia signa conueniant in caloris indicatione.

De luce oculorum.

ARTICVLVS IV.

19. Referuntur nonnulli quibus oculi lucidi, & qui in tenebris viderint.

ANtequam ad coniecturas veniam, videndum est, vnde hic splendor oriatur. Sane Augusto clari nitidique fuere oculi, in quibus diuini aliquid inesse vigoris credi volebat, gaudebátque si quis sibi acrius intuenti, quasi ad fulgorem solis, vultum demisisset: immo eorum acies, clarissimorum syderum modo vibrabat: atque ab eius facie dum quidam miles se auerteret, & interrogaretur ab eo cur ita faceret, respondit, quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum; ita refert Sextus Aurelius. Herculem igneum splendorem ex oculis emisisse tradit, Ion Chius: Tyberio Cæsari ea fuit oculorum natura, vt expergefactus noctu paulisper, haud alio modo quam clara luce, contueretur omnia paulatim tenebris sese obducentibus, vt author est Suetonius. Nemini mortalium præterea contigisse hoc ipsum scribit Plinius, vt de nocte videret: Sed Baptista Porta ex illo se numero mortalium eximit, sæpissime enim scribit sibi contigisse, vt expergefactus omnia viderit, quasi collustrata: Idem de seipso narrat Cardanus lib.8. de varietate cap. 45. nec dubito id multis aliis contingere; vt de se mihi interdum commemorauit clarus in primis Mathematicus, noster Athanasius Kircher. De lupo, ita scribit Ælianus; *acerrimis atque acutissimis præditus est oculis: Enimuero intempesta nocte, vel ipsa silente, lucis vsura perfruitur, & licet omnibus tenebræ offundantur, non huic tamen lux eripitur. hinc lycophos id temporis appellatur cum lucem is solus naturæ munere perceptam habet.*

20. Lux oculorum à spiritibus.

At quænam huius lucis in oculis causa? Oritur hoc à spiritibus, quibus & quidem subtilissimis, supra omnes alias corporis partes, abundant oculi, ac maximè cum de nocte quiescimus, eorum magna copia in oculis aceruatur, quam statim vbi euigilamus, largiter effundit in tenebris; At spiritus quia ignei, lucidi quoque sunt, maximéque in tenebris natiuo micant splẽdore: fulgent igitur oculi qui sunt spiritibus abundantes. Porrò venosi, translucidi, diaphani, sunt oculi, & facile per eorum læuorem spiritus dilabuntur.

21. Cur maximæ fascinationes oculis perficiuntur.

Hinc videre est cur maximæ fascinationes oculis perficiantur; nam vt loquitur D. Thomas 1. parte, quæst.117. art.3.ad 2. Ex forti imaginatione animæ immutantur spiritus corpori coniuncti; quæ quidem immutatio spirituum maxime fit in oculis, ad quos subtiliores spiritus perueniunt; quamobrem aspectus noxius & venenosus euadit, oculi autem inficiunt aërem contiguum vsque ad determinatum spatium, maximéque lædunt pueros, qui corpus tenerum habent. His adde basiliscum visu nocere, catablepam

visu

visu ad centum passus interimere, cum vix caput surrigat, vnde hæc nomenclatura manauit; lippitudo etiam oculos inficit alienos, & recte Iuuenalis satyra 2.

Cum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi;
Multaque corporibus transitione nocent

His positis ducendæ sunt nobis coniecturæ.

22. *Quid de siccis & splendentibus dicendum*

Primò, qui oculos habent siccos splendentésque, ingeniosi sunt; splendentes hic voco, qualia sunt læuigata omnia, speculorúmque superficies, cum lumine feriuntur. Ratio vero propositionis est, quod arguatur siccitas cerebri, copiaque spirituum. Aristoteles inter inuerecundi characteres, oculum splendidum numerat: Rationem reddit Camillus Baldus, quia inuerecundus multa melancholia abundat, quæ dum exuritur, multi spiritus ad caput feruntur, quibus oculi splendescunt; quod genus passionis conspicere licet in iis qui melancholico morbo afficiuntur, quem vocant hypocondriacam passionem; in hominibus enim huiusmodi oculi splendentes & maximè aperti conspiciuntur.

23. *Quid de albis & parum splendentibus.*

Secundò, cum oculi albi sunt & parum splendentes, arguunt spirituum inopiam, & aquei humoris abundantiam, atque adeo valde frigidam temperiem, ratio in promptu est. Rhasius & Auicenna summi medici, experientia se didicisse testantur frequentem capitis tonsuram, (quam semper sequitur maior promptiórque pilorum producto) multum conferre visui: cuius ratio est, quod pili humorum fuliginem ebibant, & absorbeant, vt ait Ioannes Tardinus: nec dubium est, quin nimia humorum fuliginosorum copia, nisi à pilis absumatur, luci splendorique oculorum officiat.

De oculis apertis inter dormiendum.

ARTICVLVS V.

24. *Vnde Lagophthalmus oriatur.*

SVnt qui laborant Lagophthalmo, vt vocat Celsus lib. 7. seu qui apertis oculis dormiunt, quod contingit, ex breuitate palpebrarum, vel, quod licet palpebræ satis longæ sint, non tamen inferior satis surrigitur, vt oculum contegat, vel quòd superior nimis contrahitur. Atque olim Corybantes Iouis custodes non modo excubare, verum etiam oculis apertis dormire cogebantur.

25. *Coniectura ex Lagophthalmo.*

Porrò Physiognomi omnes huiusmodi timidos esse volunt, & ad naturam accedere leporis, qui inter omnia animalia sola timiditate nobilitatur, oculisque apertis dormit, vt ait Xenophon, vnde notat Orus Apollo, Ægyptios, si quid patens significare volunt, leporem pingere, propterea quod semper apertos oculos habet; & vero leporinus somnus dicitur de iis, qui maximè intendunt in rem, cum altius sopore detineri videntur, volúntque nonnulli Grammatici leporem dictum ἀπὸ τοῦ λάειν, hoc est, aspicere: Quod autem timidissimum animal sit lepus; iam supra diximus lib. 1. cap. 9. Cæterum natura prouida parens rectè prouidit animalculi huius timiditati, dum prolixas aures concessit, quo longius pericula insidiasque prospiciat, & velocissimum cursum benignè largita est, colorémque, vt ait Telesius, terræ

recenti ab aratro valde confinem: vnde, miro naturæ mysterio edoctus, campos vomere recenter versos quærit, vbi nulla re abditum, facile venatores, canesque mira sagacitate omnia perquirentes fallit. Accedit tutissimum domicilium rupeum, quod concitatissimo cursu petit,& ad quod antequam aspirarit, numquam timorem dimittit: quare Sapiens Prouerb. 3. quatuor ait esse minima terræ, & ipsa esse sapientiora sapientibus, formicam, populum infirmum, qui præparat in messe cibum sibi; lepusculum plebem inualidam, qui collocat in petra cubile suum,&c.

Verum ego hic memini Plutarchi, qui 4. Symposiacon quæst. 5. leonem solare animal vocat; tum quod perparum dormiat, imo, vt addunt nonnulli, etiam inter dormiendum caudam (quæ ipsius animi index est, vt & equorum aures ex Plinio lib. 8. cap. 16.) semper agitet: præterea, quod etiam inter dormiendum oculis splendescat; cuius causa est quod oculos magnos habeat, palpebrásque exiguas quæ oculos integros operire nequeant; vnde Ægyptij per leonis caput vigilantiam significabant,& nos etiam dum in vestibulis templi leonum capita adhibemus, Prælatorum in Ecclesias suas vigilãtiam innuimus. Cæterum Leo apertis oculis solus inter rapaces bestias nascitur, quia pro amplitudine oculorum palpebras breuissimas habet, ex quo fit vt ipsius oculi à culicibus acerbissime torqueantur, & præ dolore aquis seipsos immergere sæpe cogantur.

26. *Quid obseruandũ in hac coniectura.*

Quæ cum ita sint, paulo districtius ferendum arbitror sententiæ accuratioris arbitrium, adeo vt sedulo pensitetur, num hæc inter dormiendum oculorum apertio, ex siccitate cum calore coniuncta, quæ pro magnitudine oculorum palpebras extendi non patiatur, an vero ex siccitate cum frigiditate coniuncta, vt in lepore contingit, aut ex contractione neruorum vi alicuius morbi frigidi vt contingit in Apoplecticis, oriatur.

Cum enim exploratum fuerit oriri ex frigiditate quæ timiditati valde germana est, vt patet ex superioribus, tunc constanter affirmandum est, timiditatis signum esse; At si ex siccitate calida, vt in leone, contrarium asserendum erit; quæ porro frigiditatis, quæ caloris signa sint, clarum est ex iis quæ passim hic dicuntur.

27. *Quid Cataphora.*

Lagophthalmo de quo supra, affinis est Cataphora, quæ nihil aliud est quàm sopor grauis, non naturalis ab humoribus frigidis & humidis cerebrum opplentibus, inuectus: duplex est, vna somniculosa, in qua diutissime quis consopitus manet; Alia est insomnis, cum quis propter pituitæ copiam palpebras quidem clausas habet, at vigilat.

De nonnullis oculorum vitiis,

Articvlvs VI.

28. *Quis strabo vocetur, &c.*

Agemus hic de strabonibus, Pætis, Lusciosis, Myopibus, Nyctalopibus.

Strabo est, qui habet oculos distortos: pætus, est ex nonnullorum sententia, qui alterum oculum minorem habet: facile accedo iis qui volum pætum esse idem cum strabone, nisi quod paulo ferocior strabonis aspectus est, quam pæti,

quod

quod vult Porphyrius. Limus, id est, transuersus seu obliquus (vnde & limina dicuntur, quod egredientibus sint transuersa, similiter quoque ingredientibus) est idem cũ strabone, & pæto; Lusciosus seu luscitiosus, Myops, Nyctalops est is, qui plus vesperi videt, quam meridie. Menander Atheniensis poëta, strabis oculis, sed acuto ingenio, ex Suida. Roscius à Cicerone obliquis oculis depingitur.

29. *Ad incontinentiam propensior.*

Iam venio ad coniecturas, homines hos nonnulli vocant naturæ monstra, quæ quidem natura in potissima corporis parte elaboranda ab officio multum aberrarit: at vitium in corpore venenoso suo contagio plerumque vitium efficit in anima, vt sæpius diximus.

Existimantur porro à nonnullis ad incontinentiam propensiores: quare Veneri eiusque Amasiis limi tribuuntur oculi à Poëtis, referunturque ad hircos, quod, vt ait Isidorus, animal lasciuum est, cuius oculi ob libidinem in transuersum aspiciunt, vnde nomen traxit; nam hircus est oculi angulus. Notat autem Ælianus hircum tantæ lasciuiæ esse vt in eam ferueat septimo post ortum die, & iam septimo mense, ad faciendam prolem aptus sit: vnde & pilosissimum est animal, huius notæ maximum argumentum. Cæterum qui vitio huic dediti sunt, maxime infirmantur cerebro, partibusque neruosis, quæ si male habent, facile est, vt oculi quia neruis agitantur, transuersum quoque abeant. Verum nos hic agimus de his vitiis prout à natura contingunt, & in vniuersum dici verissime potest peccatum esse in vna principe hominis parte, nempe cerebro, atque adeo in animam etiam redundare, cum cerebrum nobilissimarum sit operationũ mentis organum: nisi aliunde ex optima conformatione hoc vitium compensetur.

30. *Vnde oculorũ temperies cõiiciatur.*

Denique quod vnum hic restat, oculorum temperiem sic coniicere licet: in calidis oculis venæ latiores & multum apparentes, cernuntur: in frigidis latent: humidi facile à fumo læduntur, & lachrymis opplentur; sicci in fumo libere obtutu fruuntur.

Coniecturæ de coloribus oculorum.

ARTICVLVS VII.

31. *Albugo, pupilla, Iris, tres oculi partes.*

TRes sunt oculi partes, quantum præsens negotiũ attinet, quæ physionomicarum nobis coniecturarum suppeditare possunt argumenta: vna est albugo quæ extremitates occupat; altera pupilla, seu fenestra oculi, per quam humor cristallinus colores prospicit, & lumen recipit: Tertia est, quæ pupillam ab albugine dirimit, & orbiculus aut iris vocatur, quia colorum quibus tingitur, varietate iridem repræsentat.

32. *Harũ partium colores.*

Porro pupilla in omnibus animalibus nigra est, vt lumen speciesque congreget, quod nigredinis propriũ est; imo cum vuea tunica, quæ iridis sedes est, parte extima variè sit colorata, intima parte, qua cristallinũ respicit, nigra est; Albugo, ne nomen suũ ementiatur, semper albicat, aliquando splendicanti, aliquando emortuo aut mediastino quodam candore: iris varie colorata est in homine & equo, in cæteris autem

animalium ſpeciebus vnicolor eſt, vt notat Ariſtoteles cap. 1. lib. 5. de ortu animalium; & ex eo Plinius lib. 11. cap. 37. *In boue nigra, in oue aquina, in leonibus & aquilis fulua, in equis rufa, aliquando glauca; in homine vero ſemper multicolor eſt.* At ſi de ea ex coloribus prædominantibus diiudicãdum ſit, aliquando cæſia, aut cærulea, aliquando fulua aut crocea, aliquando alba, aut nigra eſt vt patebit ex propoſitionibus ſi tamen prius duo monuero;

33. *Hic tantũ de Iride, in qua ſẽper vnus prædominatur color, agendũ eſt.*

Vnum eſt ſermonis compẽdium facturum me, ſi omiſſis pupilla, & albugine, de ſola iride diſputem: quoniam & ipſa pene ſola grauioris momenti eſt, & quæ de ea à nobis dicta fuerint, deriuari facile poterunt in pupillam & albuginem.

Alterum eſt orbiculum ſeu iridem varie coloratam eſſe quidem, ſed vnum ſemper inter alios eſſe colorem potiſſimum, qui ſedulo attendẽdus eſt; is autem vel niger eſt, vel cæſius, vel flauus, vel rubeus, vel aliquis illiuſmodi. Cæterum quemadmodum in elementis ſingulis ſingulas tantum ſolemus conſiderare qualitates prædominantes, & Medici in medicamentis potiſſimũ virtutem penes quam prædominatio eſt, attendunt; ita nos in Iride præcipuum tantum colorem conſiderabimus, & quæcumque in ſequentibus dicentur, intelligenda ſunt de ſola Iride, coloreque in ea præcipuo.

De oculis rubeis, aut ſubrubeis.

Articvlvs VIII.

34. *Oculi ſubrubei hominem ad iram præcipitẽ arguunt.*

Oculi ſubrubei iracundum hominem, & præferuidum denotant; cuius ratio commoda adfertur, quia qui iraſcuntur, oculis erubeſcunt, cum ira ſit commotio ſanguinis circa cor; tunc vero tenuiſſimæ ſanguinis partes ſurſum euaporeſcunt, quæ quoniam oculi valde rari ſunt, pellucidique facile per eos tranſparent, cum igitur ex ſupra ſtatuta doctrina, ſicut ſignum fugax ſignum eſt fugacis affectus, ita & permanens permanentis ſignum eſt, recte conſtat propoſitio; ad iracundiam procliues eſſe quibus oculi ſubrubei ſunt. Adde quod non poteſt oculus rubro colore tingi ſine magno cerebri æſtu, quæ affectio ad iram propenſior eſt, cui quidem iræ, quæ aliæ affectiones, germanæ ſint, alibi diximus lib. 1. cap. 12. artic. 13. Porro qui huiuſmodi ſunt oculis, à nonnullis Phyſiognomis referuntur ad canes, quibus ſubſanguinei oculi; ira præferuida & connata impudentia, de quo l. 1. c. 8. ad finem.

Tota hæc propoſitio intelligi poteſt non tantum de Iride, de qua ex inſtituto hic agimus, verum etiã de albugine, quæ aliquando rubeis venis diſtinguitur, aut tota eius contextura aliquatenus rubeſcit: quod ſi forte in Iride ſint variæ notæ ſanguineæ, idem ferendum eſt iudicium, imo etiam forte peius; quis enim neſcit omnia animalia variegata, vt ſerpentes, aſpides, pantheras, leopardos eſſe valde doloſa?

35. *Macula varia in oculis.*

Maculæ variæ in oculis, indolem malam arguunt: nimirum oriuntur ex humoribus terreſtribus in cerebri ſubſtantia permixtis, & quidem præter naturam & cum magna inæqualitate & diſporportionata miſtione principiorum generationis, defectuque caloris naturalis qui non

non poteſt huiuſmodi humores corrigere, ac plene ſibi ſubiicere: hinc fit vt ſpiritus operationum mentis adminiſtri male omnino habeant.

De oculis fuluis, nigris, cærulæis.

ARTICVLVS IX.

36. *Oculi fului magnanimitatis indicium.*

OCuli fului, quales ſunt vulturum, & Leonum, & Aquilarum, ſignificant hominem ingenioſum, & magnanimum, vt vult Cocles, Polemon, Adamantius: & prætere a ſignum ſunt complexionis optimæ: indicant enim copiam ſpirituum, beneque decoctam humiditatem: cum autem hæc adſunt, robur adeſt animi, & fortitudo. Panthera ſeu Pardalis, & Pardus, qui mas eſt, vterque eximia ſagacitate vnde & feras omni venatione perſequuntur, ex quo & ductum nomen quaſi πᾶν θὴρ, omnis fera) oculis charopis ſeu fuluis eſt.

37. *Oculi flaui bilis copiã indicant, & ingenij præſtantiam.*

Oculi flaui hominem item ingenioſum ſignificant, ac ſæpe bilis copiam indicant effuſam per corpus, vnde fit, vt qui eiuſmodi ſunt oculis, adſtricta ſint aluo, quia bilis ſic in corpore effuſa non ſuppetit inteſtinis, vt ea mordacitate ſua excitet ad egerendum, de quo videndum eſt problema 90. lib. 1. Alexandri Aphrodiſæi. Ioannis Pici Mirandulani, viri tanta ingenij altitudine, & Memoria, vt merito inter mortales Phœnicis nomine appellaretur, & de quo dici potuit, quod de Lõgino Eunapius in Porphyrio, Bibliotheca ſpirans, viuum Muſæum, effigies hæc deſcribitur à Ioanne Baptiſta A Porta, cœleſtis Phyſiognomiæ lib. 2. cap. 4. *Fuit*, inquit, *ſummus hic vir coloris fului, gracilis ac commenſuratæ quantitatis corporis, oculis paruis, flauis, facie obducta, naſo prælongo, & tenui, tenuibúſque labiis, facie puerili, ſed tam decora vt fere Angelica videretur; ingenium tanti viri teſtantur ſcripta, memoriam vero quod in illis celeberrimus ſuis diſputationibus continenti oratione centum ſyllogiſmos, ordine inuerſo, repetierit ſibi à Franciſco de Sylueſtris Ferrarienſi obiectos.*

38. *De oculis nigris cõiectura.*

De oculis nigris, antequam feratur iudicium, diligenter videndum, vnde in eis oriatur nigredo; multiplex cauſa eſſe poteſt.

Primo Auerroës 4. Colligeto de ſignis temperaturæ cerebri, vult eſſe internam eius caliditatem, qua terreſtres partes valde adurantur; vnde doli naſcuntur. Secundo exiſtimo oriri poſſe ex defectu ſpirituum, qui maxime luminoſi ſunt, adeo vt eorum lumine viduatus oculus niger appareat; quemadmodum contra, atra videntur quæ luminis priua ſunt: defectus verò ſpirituum oriri poteſt, ex externo calore, à quo diſſipentur, vt contingit Æthiopibus regionem valde calidam incolentibus: ſunt enim oculis nigerrimi ex Ariſtotele 14. ſect. probl. 14.

Tertiò, ex nimia humiditate, quæ enim humidiora ſunt, nigriora ſunt; vt patet in pannis & linteis madefactis, magnaque aquæ copia ſemper nigricat, quia lumen non ſuſcipit. At cum oculos nigros videmus, ex quanam iſtarum cauſarum manare nigrorem coniicere poſſumus? Oportet attendere multas alias partes, vt capillos, cutem, aliaque ſimilia, quæ magna dabunt

humi

humiditatis & reliquarum qualitatum argumenta. Hoc posito.

Si oculorum nigror oritur ex defectu spirituum, qui necessario coniunctus est cum magna siccitate, timiditatis habemus indicium; Si ex magna humiditate, iterum timiditatis; si ex interna caliditate, viuacitatis & similium affectuum.

39. *Color aureus in pupilla oculi cholericam cõplexionem arguit.*

Color aureus in pupilla oculi, cholericam complexionem arguit: oritur enim à fumis & vaporibus bilis penetrantibus vsque ad centrũ oculi, mixtis cum humore Cristallino: hinc fit vt sanguis feruentissimus sit, & spiritus supra modum accensi: Atque idem dicendum est, cum circa oculi pupillam videtur quid ignei coloris. Quid vero de ista temperie pro moribus iudicandum sit, iam supra diximus cap. 11. artic. 7.

40. *Cærulei oculi principatum tenent.*

Cærulei oculi principatum semper tenuerunt, propterea quod cæruleus color priuatus est adustione bilis, & melancholiæ; quare tum ad functiones visus obeundas, (vnde & capra acutissimi visus glaucos habet oculos, notúmque est illud Hieronymi Epist. 65. calumniatores suos perstringentis; *ad cæteros Talpæ; caprearum in me oculos possidetis*;) tum ad facilium morum augurium, potissimus est: Quod si non tantum cærulei siue glauci sed etiam sint cæsij oculi propter maiorem spirituum copiam, ex qua cæseitas oritur, multo magis commendantur apud omnes: sic Minerua armorum Musarumque dea, ex Marco Tullio 1. de natura deorum cæsios oculos habuit; Neptunus cæruleos. In eodem gradu pono oculos subnigros croceis radiis flauescentes, cuiusmodi habuit, Cæsar ex Suetonio: Et recte Aristoteles in Physiognomicis, *quibus oculi valde nigri declinant ad flauum colorem boni animi sunt*. Magnus ille Sfortia sic à Iouio describitur: *Erat facie subagresti, parumque hilari, vti plumbeo quodam colore subfusca: cum & oculi cæsij minaci specie intra cauos orbes multum recederent, & supercilia maxime pilosa prominere viderentur; nasus è medio elatus, non aduncus tamen, labra decentia, & candidissimi dentes, illud os probum effingebant.*

41. *Quanam oculorum constitutio optima ad videndum.*

Antequam sermonem de oculis claudam, videndum est ex omnibus superioribus, quinam oculi ad videndum sint maxime appositi. Iudicatur hoc ex colore, situ, spirituum constitutione. Ex colore optimus est caprinus, mediusque est inter nigrum & cæsium; niger propter inopiam interni luminis noctu non videt, cæsius ob copiam, interdiu, cæruleus ob luminis mediocritatem modice se habet in vtroque. Ex situ autem, profundior & magis incauatus oculus exactius videt longinqua, sic ex puteo etiam interdiu stellæ videntur; verum profundi oculi quæcumque à lateribus sunt, minus circumspiciunt, qua de causa nocturna animalia donantur profundis oculis, vt eo subsidio lumen internum in tenebris rectius prodiens magis illustret medium; eminens vero oculus lateralia quidem melius videt, remota autem vix: Ex constitutione autem spiritus, dixit Galenus: si multus est spiritus, videntur remota; si purus, exacte diiudicantur; quare multus & purus eminus & exacte; paucus & purus cominus & exacte; paucus & nubilosus cominus non exacte; ita Philosophatur Rodericus à Veiga, &

nos

nos supra satis hæc omnia probauimus: neque obiiciatur. Aristoteles 5. de generat. animal. cap. 1. velle non coincidere hæc duo, longe & exacte videre; quia negat tantum semper necessario coincidere, non autem aliquando.

De Auribus.

CAPVT XI.

1. *De Auriũ compositione & vsu.*

AVRES dicuntur quasi audes, ab audio, aut detracta aspiratione ab haurio, ex quo deberent dici haures haurimus enim auribus voces.

De aure exteriore hic agimus, quam Medici auriculam vocant, & parte constat superiore, pinna; inferiore, fibra; meatum interiorem scaphum vocant: anfractu est tortuoso & ambagiosa obliquitate fabricatus, ne subita aëris irruptio frgiditate vel caliditate cerebrum oblæderet, vel sonus vehementior neruum auditui inseruientem conuelleret. *Ideo aures extentiores*, inquit Ambrosius lib. 6. Hexaemeron c. 9. *vt & ornatus decorem præferant, & excipiant omne illud quidquid de vertice sordium humorisue defluxerit, simul vt in earum sinibus vox repercussa sine offensione interiores ingrediatur anfractus. Nam nisi ita esset quis non ad omnem fortioris sonum vocis attonitus redderetur, cum inter subsidia frequenter improuiso ictus clamore nos obsurdescere sentiamus? Tum velut quadam propugnacula videas prætendere, aduersus frigoris asperitatem, calorisque flagrantiam vt neque frigus penetret ductus patentes, neque nimius adurat æstus.* Hic vero nos cõsiderabimus, Primo, fugaces & transeuntes aurium affectiones, tum quantitatem, vltimo denique, si quod accidens aliud permanens sit in ipsis.

Transeuntes aurium affectiones.

ARTICVLVS I.

2. *Transeuntes nõnulla auriũ affectiones.*

IN iumentis auscultantibus, ait Plinius, erectæ; fessis marcidæ; nictantes pauidis; subrectæ furentibus; resolutæ, ægris; Ratio petenda est ex spiritibus, qui valde inconstanti motu feruent in metu; valde copiose subministrantur in furore & ira; &, vt ad auscultandum maxime intenduntur, ita deficiunt in lassitudine, tristitia, & ægritudine: Verum hæ aurium affectiones vix humanis auribus conueniant, quia, aut immobiles omnino sunt, aut saltem non adeo mobiles vt Iumentorum aures; Igitur, vt quod hominis proprium est, attingamus, in verecundia rubent aures, cuius rationem reddit Aristoteles sectione 32. probl. 8. vbi quærit cur iratis rubeant oculi, verecundis, aures: Responsio problematis est, in ira calorem euocari ad superna, & per consequens sanguinem; qui maximè paret in oculo, quia albi coloris est, pudor autem, in oculis est refrigeratio cum timore; qui enim verecundatur. non sustinet videre, quæ ob oculos habet. Itaque color oculos deserit, cumque ex oculis secedendum ipsi est, in locum omnino oppositum, seu posteriorem capitis partem secedit, hoc est ad aures; paret autem ma-

xime in pulpa, quæ ſpongioſa eſt;& propter ſanguinem eo euocatum valde rubet. videri poteſt c.4. præcedens.

Quantitas Aurium.

ARTICVLVS II.

3. Iudicium de paruis auribus; de magnis variorum ſententia.

PRimo, qui valde paruas habent aures, ingenioſi ſunt; Ratio eſt quod aures deficiant à ſua debita quantitate propter exceſſum caloris & ſiccitatis, vnde ſpiritus ſubtiles generantur. Secundo, magnæ & amplæ aures habita proportione corporis dicuntur eſſe, à Ptolomæo, Plinio, Rhaſi, & Coclite, longæ vitæ indicium, additque Cocles ſe id ſæpius doctrice experientia didiciſſe, lõgæuos homines auribus amplis prẹditos. Ratio additur, quia optima calidi & humidi proportio demonſtratur, vnde longæui homines fiunt: Nonnulli magnas aures ſummæ melancholiæ, quæ ſicca eſt & frigida tribuunt, atque ideo timiditati; referuntque ad aſinos, lepores, aurita animalia, & ſumme melancholica; Imo lepus Græce dicitur λαγὼς ab aurium magnitudine, ἀπὸ τῦ λα κῷ τῶν ὤτων, Referunt etiã ad magnum animal, quod Germani Hellend vocant; id eſt, miſeriam; propter ſummam enim, qua abundat, melancholiam, comitiali morbo, mirum in quantum affligatur, licet ipſe malum leuet adhibita poſteriori vngula in aurem: Timidiſſimum vero eſt, nam olfaciens homines procul, fugit, viſo ſanguine ſuo ſtatim concidit, paruo vulnere moritur. Denique vulgo Phyſiognomi magnas aures tarditatis quidem notam eſſe aiunt, At bonæ etiam memoriæ: facit ad hoc poſtremum quod Plinius lib. 11. cap. 45. ait imam aurem ſeu lobum eſſe memoriæ locum: vnde mos olim inoleuerat, vt rapturi in ius aduerſarium, teſtes facerent, imam auriculam contingentes cumque interrogaſſent, licet atteſtari? dicebant eſto memor. neque enim aurem vellicare licitum niſi futurus teſtis annuiſſet: quare Ægyptij, qui per notas & figuras, ſenſus repræſentabant, ſi quem memorem ſignificabant, leporem, aut vulpem, auritis auribus, quod ſummi eſſent auditus, & inſignis memoriæ, effingebant ita Alex. ab Alexandro lib. 2. cap. 19. Ita at quie ſentiendum?

4. De qua auriũ magnitudine hic agatur.

Primo ſtatuendum eſt non nos agere hic de magnis auribus arte comparatis, vt in regno Calicut ad mammas vſque interdum demittũtur auriculæ, cum ſummam pulchritudinis rationem in eo ſitã arbitrentur: quare à prima ætate eas perforant, & adhibitis vulgaris apud eos arboris foliis ſemper dilatant. fertur etiam, vt videre eſt apud Plinium lib. 4. cap. 13. quibuſdam gentibus veſtium more auriculas totum corpus contegere Satinalos vocat Pomponius, Plinius Faneſios Turnebus; Panotios, ἐνωτοκοίτυς Græci vocant, vt autor eſt Strabo, quoniam ſtrati vice, cum dormiunt, auribus vtuntur Sed ad hæc credenda qui idoneus? Præterea auris compoſitio intelligenda eſt; conſtat carne quæ calida eſt & humida, & cartilagine quæ frigida eſt, & ſicca.

5. Cõiectura dua de magnis auribus.

Iam ſi ſunt magnæ aures propter carnis copiam, diuturnam vitam augurabor, cum diuturna vita temperaturæ calidæ & humidæ tribuatur, qualem quidem temperaturam arguit

arguit caro in auribus amplis; Si vero magnæ ſunt propterea quod cartilagine exuberant, frigidam ſiccamque temperaturam coniectabo, vt contingit in aſinis, ceruis, leporibus, & magno animali, quod etiam de genere ceruorum eſt, vnde & ingenij tarditatem arguam. Quod ſi bonæ memoriæ ſunt indicium, vt inquit Ariſtoteles, hoc de retentione intelligendum eſt, adeo vt quæ memoriæ ſemel, quamquam valde tarde & difficulter, commendata fuerint, optime cuſtodiantur; nam quod ſicco ſemel impreſſum eſt, non niſi ægrè deletur; arguitur autem ſiccitas cerebri à magnis auribus, & quidem cartilaginoſis, quales Philoſophus hic intelligit, non autem magnas copia carnis, alioqui non fuiſſet cur ſtoliditatem quæ nihil cum ſanguinea temperie habet commune, ipſis, vna cum bona memoria tribuiſſet. At quid de Plinij ſententia dicendum? memoria non in ipſa aure, ſed in cerebro ſedem habet vt notum eſt ex communi tum Philoſophorum, tum Medicorum doctrina; veteres autem imam auriculam locum memoriæ numquam dixerunt, ſed eam dicarunt Deæ memoriæ, vt & caput Palladi, frontem genio, ſupercilia Iunoni, digitos Mineruæ, ilia cereri, vmbilicum Ioui, genua Veſtæ, inguen Marti, femora Dianæ, pedes Mercurio.

6. *Tertia coniectura; piloſæ ad audiendũ aptiſſimæ.*

Tertiò, magnæ aures, maxime ſi piloſæ ſunt ad audiendum aptiſſimæ ſunt: Ratio eſt, quia copioſius aërem colligentes, copioſius pariter meatui infundunt, ſic aurita omnia animalia, præſtantiſſimi ſunt auditus, quod optimè à natura conſultum, quoniam quæ huiuſmodi ſunt, ea porro omnia timida ſunt propter frigidam temperiem, & inter canes, qui maioribus ſunt auribus timidiores, contra, qui minoribus, audaciores, Adrianum Imperatorem quod auditu eſſet oblæſo, conſueuiſſe ferunt dum exactius excipere voces, cuperet, cauam manum auribus apponere, vt copioſius collectum aërem interiori auditus officinæ tranſmitteret; quod vero Imperatori manus auribus appoſita præſtabat, hoc ipſum præſtant aures magnæ & bene cameratæ. Hinc videre eſt cur intra domum conſtituti, melius audimus ſonum extrinſecus excitatum; quam foris poſiti, ſonum intra domum factum; nam in poſteriori caſu diſſipatur aër effuſus in laxiora aëris ſpatia, ſicque pene euaneſcit. At in priori intra domum magis cogitur, aureſque validius & potentius ferit. Cæterum Ariſtoteles lib. 5. de generatione animalium, ait auriculas quidem longas, imbricatáſque amplius, in modum grundis atque intus anfractu auctiore intortas procul audire poſſe propter rationem iam dictam. At exquiſite differentias ſoni percipere, eſſe tantum earum aurium, quarum ſenſorium, quod eſt aër internus maximè ſyncerum, ac minime terrenum eſt, quo fit vt homo inter animalia exquiſitiſſime & acutiſſime audiat, cum habeat ſenſorium auditus ſynceriſſimum, è contrario paruæ aures ad audiendum non adeo accommodæ iudicandæ ſunt.

7. *4. Coniectura, quadrata aures optimæ.*

Quartò, decenter magnæ & quadratæ aures optimorum morum notam habent: ita Ariſtoteles, Galenus, Porta. Ratio iam ſatis inſinuata. Arguitur ad mediocritatis lancem librata temperies. Porta ex Loxo optimas aures ita deſcribit. Se-

micircularis linea connexa in medio, aliquantulum ex parte connexa versus centrum, magnitudine mediocres, capiti decenter adhærentes, & mediocriter pilosæ; sic enim seminalem virtutem, quæ eas efformauit, fuisse pollentem & optimam indicatur.

Promiscua de Auribus.

ARTICVLVS III.

8. *De rubicundis ex culptis auribus.*

PRimo rubicundæ aures colore natiuo & connato verecundum hominem designant, ita Polemon, Adamantius & A Porta; Ratio est, quia cum pudore rubeant aures, & rubor fugax sit signum verecundiæ fugacis, rubor congenitus & permanens signum erit propensionis permanentis ad verecundiam; quod si præterea facies rubicundior sit, tunc porro completissimum est verecundiæ signum.

Secundò, exculptæ aures docilem, non exculptæ rudem ostendunt; An quia illic arguitur optima vis formatiua, vt pote quæ etiam in exterioribus, internis iam perfectis, optime allaborare potuerit?

9. *De mobilibus.*

Tertiò, qui aures mouent, musculum qui circa mandibulam est, & aurium radicem perreptat, habent extensum: ita medici omnes. Sane in vniuersum homini aures immobiles excepta Flaccorum gente apud Romanos, cui hoc cognomen datum, quod deorsum inflexas mobilésque aures haberet: nobili cuidam, venationis causa dies festos prophananti, nata proles auribus flaccis ac dependulis, canum, vt vocant, Graecorum more, ita Thomas Cantipratensis lib. 2. de Apibus: quadrupedes omnes excepta Simia, aures mouent, propter musculum mandibulæ liberum & expeditum, & iuuat vt suspensiores ipsis sint aures, crebroque moueantur; sic enim melius vndique strepitus circumactæ excipient vt ait Aristoteles 2. de partib. cap. 11.

10. *Vnde oriãtur soni qui intra aures audiuntur.*

Quartò, varij soni, qui intra aures interdum audiuntur, humorum exuberantiam arguunt; hos sonos refert Fernelius lib. de partium morbis cap. 5. sibilum, tinnitum, strepitum, fluctuationem; sibilum creat flatus tenuis, exiliter elabens; tinnitum humoris cursus interruptus; strepitum impulsus validus, fluctuationem agitatio inconstantior.

11. *Qui musica delectãtur humaniores sunt.*

Quintò, (nam & hic de sono, qui auribus percipitur, intra physiognomiæ limites aliquid leuiter delibandum) qui harmonia suauiore capiuntur, fiunt humaniores. At cur? Respondet Bodinus lib. 4. quia voluptas quæ à sensibus ad animos altius penetrat, barbariem fugat ac feritatem: At nulla voluptas à sensibus accepta altius animis insidet, quam quæ ab harmonia suaui percipitur, & quemadmodum medicina mentis ægritudinem curat purgato corpore, sic Musica corporis morbos, curata mente sanat; & propterea veteres eundem Apollinem musices ac Medicinæ principem fecerunt. Cæteræ voluptates fere in ipso corpore conquiescunt, ac potissimum quæ à tactu & gustu percipiuntur. Addi potest, qui musica oblectantur, iucundius vt plurimum viuere & suauius; lætitiæ autem humanitas accedit.

12. *Cur musica delectemur.*

At cur adeo modulis, & concentibus delectamur? Respondet Aristoteles sect. 19. prob. 38. quia omnia temperata & recte ordinata nos oblectant,

lectant, vnde nec coloribus, nec saporibus sensus demulcentur, nisi qui certo quodam modo attemperantur, concentus autem omnis mistio est, seu contemperatio contrariorum inter se ad certam legem redacta. Aliam responsionem sed Platonicam adhibet Alexander lib. 1. prob. 121.

De aurium sordibus.

ARTICVLVS IV.

13. *Copiosa per aures excrementa abundātiā biliū indicant.*

PRimo, quibus copiose per aures intermanant retrimenta, quæ latini aurium marmorata, aut etiam cerumina dicunt, Græci κυψελίδας biliosi sunt.

Antequam probem, in vniuersum de omnibus retrimentis, quæ per varias corporis partes extruduntur, sciendum est quæ in animalis corpore generantur, nonnulla esse contra naturam, vt calculum, vermes, lapidosam duritiem. In podagra; quædam secundum naturam, vt sanguinem, lac, semen; quædam amborum media, vt ea quæ vocantur excrementa; quorum alia terrea vt fæces; humida & aquea, vt sputum, vrina; aërea, vt vapores qui in sanguine & in membris exhalant; biliosa, vt retrimenta aurium. Purgantur vero per aluum, vesicam, vomitus, oculos, aures, nares, os per incerta item spiramenta, pilos, & vngues. Atque vt sanguis in venas extruditur; ita vrina in vesicam cibus consumptus in aluum lachryma in oculos, mucor in nares, cerumen in aures, sputa in os; vapores vero qui aerei sunt ex sanguine & omnibus membris exhalant, sudor in vlumam cutim, propellitur atque omnia excrementa bene incrassata concoctaque earum partium, à quibus oriuntur, sanitatem ostendunt vt diximus supra lib. 1. cap. 19. art. 3.

Cæterum communis autorum sensus est, excrementum pituitosum per os egeri; melancholicum per oculos, biliosum per aures. Iudicio est color luteus: Est autem excrementum hoc amarulentum, quia putret; quod putret, salsum euadit, ac cito amarulentum fit, vbi cōsumptum fuerit humectum aquosum.

14. *Natura prouidētia in aurium sordibus.*

Mirare vero hic solertem naturæ prouidentiam, quæ per aurium anfractus viscosum hoc retrimentum purgari instituit, quò si qua bestiola prorumperet, quasi in visco inhæresceret & caperetur. Ambrosius vero lib. 6. hexaëmeron cap. 9. alium vsum notauit: nam cum præmisisset sinuationem auriū interiorum modulandi quendam numerum præstare & disciplinam, cum per anfractus aurium quidam rythmus efficiatur, & modulis quibusdam ingressæ sonus vocis exprimatur, ac præterea subiunxisset tenaces esse sermonis accepti ipsos anfractus aurium si quidem, velut in concauis montium, vel in recessu rupium vel in anfractu fluminum vox auditur dulcior, & responsa suauia referens Echo resultat; tandem subdit,

Ipsæ quoque sordes aurium non inutiles, quæ ligant vocem, vt tenacior eius in nobis & Memoria sit, & Gratia.

De Naso.

CAPVT XII.

1. *Nasi vsus.*

NAsvs est ea pars corporis quæ à superciliorum confinio oriens, & quasi æquali porrecta iugo, vtrãque oculorum aciem simul & discernit & munit. obseruit autem primo ad attrahendum emittendumque aërem, cuius vna pars irrepit in cerebrum, altera ad cor deriuatur; secundo, emissaculum est per quod humoris nimietas extruditur, cerebrique intermanant retimenta; ideoque decliui meatu nasus patet: Tertio, odorum internotioni deseruit, quibus homo, vnus ex omnibus animalibus maxime gaudet, quia proportione corporis maximum habet humidissimumque cerebrum; calor autem odorum, ac motio exuperationi humiditatis & frigiditatis, loci illius cõmensu quodam respondet, vt ait Aristoteles lib. de sensu & sensili cap. 5. nasus igitur odorum internotioni deseruit, siue verum olfactus organum sint anteriores cerebri ventriculi, vt vult Galenus, ac medicinam pene professi omnes; siue sit narium membrana, vt vult Auerroës; siue carunculæ mammillares, seu pupillares, vt vult Fernelius, Auicenna, Magnus Albertus & alij. Ac rectè Ambrosius lib. 6. hexameron cap. 9. *De naribus quid loquar? quæ biuio & procero foramine antrum quoddam recipiendis odoribus præstant, vt non perfunctorie odor transeat, sed diutius inhæreat naribus, vt earum ductu cerebrum sensusque depascat; ideo diutius odor fragat acceptus, quam sermo resonat, aut visus apparet.*

2. *Nasi Cõpositio.*

Porrò nasus tres habet cartilagines, in imo duas laterales, quæ inter respirandum mobiles sunt, & vocantur alæ, pinnæ, pterigia: media vero quæ vtramque discludit, vocatur diaphragma: foramina vero duo sunt, per quæ mucosa eluuies perpurgatur; à duobus anterioribus ventriculis ad nasum sunt processus mammillares, tubercula duo mammarum pupillis simillima, quæ feruntur ad perforata cribri instar, narium ossa, neque cranio excedunt.

De extremis partibus nasi.

ARTICVLVS I.

3. *Crassæ pinnulæ pigritiã arguũt.*

PRimo qui pinnulas habent crassas, crassumque nasi extremum, pigri admodum, sunt & referuntur ad classem boum: ita Aristoteles. Ratio affertur à Fontano Medico: narium pinnulæ constant musculis internis adhærentibus cartilagini, ad claudendas dilatandasque extremas narium partes; quæ si crassæ sunt indicium est, corpus valde carnosum esse & molle; nam in loco sicco tantum carnis procreari non potest, nisi mollis & abundans sit; At vero qui carnem mollem habent, valde pigritant, habent enim musculas neruosque molles, à quibus non potest elici vegetus alacerque motus. Breuius dici potest, argui hinc cerebrum frigidius, sanguinem crassiorem, vnde & spiritus frigidiores, & crassiores esse necesse est, atque adeo tardiores omnes motus, tum animi, tum corporis.

4. *Patula foramina iracundiā.*

Secundo, qui narium foramina habent patula & expansa, iracundi sunt: ita Aristoteles hic: & Ratio affertur ab eodem Fontano in hunc modum: latitudo membrorum caloris dominium in illis testatur: quare recte potest inferri huiusmodi homines iracundos esse, quia ira in calore sanguinis posita est, quem calorem habent, vt ostendit latitudo narium.

Verum hoc efficacius probari potest ex eodem; quod datæ sunt nares ad refrigerandum cor, & quo ampliores sunt nares, eo etiam multo calidus coniicitur esse cor, quandoquidem maiora sunt eius ventilabra, certùmque ex alia parte est, naturam, vt prouidam artificem, contemperare instrumenta operi faciendo; quod si cor calidius est, pronius quoque ad iram est.

Verum & hoc ipsum mihi videtur commodissime comprobari posse ex eó quod qui irascuntur, valde inspiratione, & respiratione inflent, & amplificẽt nares, ergo cum fugax amplitudo narium sit signum iræ fugacis, permanẽs erit permanentis.

Est autem notandum huiusmodi homines licet sint iracundi, facile placari, quia beneficio paulo ampliorum narium facile cor euaporescit; ex quo colligere possumus qui angustos habent narium meatus, diuturnioris iræ esse. Theodosius senior vt refert Sextus Aurelius, facile commouebatur, at modica dilatione placabatur: quare ipsi consultum fuit, vt, ne asperum aliquid statueret vbi irasci cœpisset, quattuor atque viginti Græcas literas memoria recenseret, quo illa concitatio, quæ momenti est, mente alio traducta, parui temporis interiectu languesceret.

Quod si pinnulæ narium amplæ sunt & rotundæ, quia rotunda figura est capacissima, iudicatur quoque cor esse magnæ amplitudinis, vnde & magis procliue ad iracundiam; referuntur isti ad Leones, & Molossos ex Aristotele. Scipio ille Nasica bis Consul, ita dictus fuit à maioribus naribus vt ait Cælius l. 24. cap. 5. & Alexander ab Alexandro l. 1. c. 9.

5. *Nares oblõgæ & in acutum desinentes, iracundiā.*

Tertiò, Qui nares habent oblongas & in acutum desinentes; iracundi sunt & contentiosi, & referuntur ad canes: ita Polemon & Adamantius: *nasi extremum, tenue* inquit iste *exæstuantis iræ signum.* Albertus vero; *nasus in extremo acutus facilis est ad iracundiam:* Ratio est, quia maciem corporis totius, testantur huiusmodi nares; macies vero naturalis fit ex siccitate magna; at vbi magnus calor est & siccitas, ibi temperamentum quoque est biliosum, seu cholericum, ergo qui habent acutas nares iracundi sunt, similesque canibus, quos tanta semper agit ira, vt & in transeuntes quosque, & in lunam sæpius ringant.

De Naso longo, paruo, rotundo, pustulis notato, humido.

ARTICVLVS II.

6. *Rotundus nasus, iracundiam.*

PRimò, Qui rotundum habent nasum & extremum obtusius, sunt iracundi: Aristoteles Magnanimos ait, refertque ad leones, quorũ propria est magnanimitas: vtriusque dicti ratio ex calore, quem arguit huiusmodi nasus, petenda est.

7. *Longus nasus ad os*

Secundò, longus nasus ad os protensus sagacitate odorandi pollet:

protensus sagacitate odorandi pollet.

let: hinc nasuti homines vocantur maxime sagaces, quare Martialis l. 1. epigr. 98. non cuiuis datum est habere nasum, & quæcumque animantes productiores habent nares, eæ de sagacitatis præstantia commẽdantur. *Quorum*, inquit Aristoteles cap. 2. lib. 5. de generatione, animalium, *Nares productæ sunt, longius, veluti quidam aquæductus, vt catellorum Laconicorum, valent olfactu, ita enim motus non interpellantur, sed à longe directi sensorium subeunt integri, quomodo in iis qui manu admota fronti longius cernunt.* huic instituto adminiculabitur, quod hic strictim attingam.

8. *Homo omnium animantium hebetissimum habet olfactum, & cur.*

Homo omnium animantium hebetissimum habet olfactum, vt scribit Theophrastus lib. 5. cap. 13. de causis plantarum, quod patet quia bruta magis remotum odorem sentiunt, vt de vulturibus narratur cadauer prosequentibus à multis milliaribus refertque commentator in 3. de anima: præterea minimo odore mouentur, & plures odorum differentias percipiunt, cuius experientia manifesta est in canibus, qui odoratu feras indagant, dominumque à quouis alio, fœlici certoque discerniculo dignoscunt.

At vnde homini hæc odoratus hebetudo? non tantum quia odoris neruum habet minimum corporis proportione (vnde & canis sagacissimus habet etiam odoris neruum maiorem quam bos) sed quia cerebrum habet quantitate maximum, qualitate vero frigidissimum & humidissimum, quæ temperies organi percipiendo odori minime accommoda est: cum enim odor sit calidi & sicci; eius sensus à frigore & humore maxime hebetatur, reliquæ animantes, quia sicciori cerebro, odoratu præstant.

9. *Paruus nasus in odorando obtusior est.*

Tertiò, propter rationem à contrario ductam paruus nasus in odorando obtusior est, & valde paruus seruilibus ingeniis assignatur ab Alberto Magno: inconstantibus à Polemone. Ratio est, quia magnus defectus virtutis formatricis arguitur, ex quo non adeo bene constituta cerebri conformatio, & temperatura indicatur. Ad hanc rationem etiam refertur quod polemon, Adamantius, & A porta scripserunt, intortum nasum magna ex parte mentis, & morum intemperiem portendere.

10. *Rubedine tinctus calorem Hepatis arguit.*

Quartò, nasus rubedine tinctus calorem hepatis arguit exuberantem, ac sæpe fit, vt qui frigidam potant, nasum purpuratiorem habeant, quia hepar tunc pene omni vacat humore, quo temperetur, neque enim aqua naturæ amica est, vnde vix sugitur à venis Mesenterij: Quod si vinum potaretur aqua dilutum iusta æqualique temperatura dum venæ molirentur vinum exsugere, aquam pariter exsugerent, quæ vna cum vino iam euanido propter aquæ temperationem ad hepar deferretur, & æstuantem eius calorem temperaret: fit etiam vt qui meracius bibunt, coloratiore naso sint propter summum hepatis æstum, ex quo adnascuntur etiam vari seu Ionthi & psydracia (est autem eo nomine pustula durior acuta subalbens) quæ si ex ætatis flore protuberant, antiquitus apud Græcos studiosiores, superstitionis sectatores, mendacia nuncupabantur quoniam fere sunt mendaciloqui argumenta. At quæ ratio? non est rationi locus vbi suus est superstitioni. In vniuersum hoc dici potest, tuberculos per cutem orientes arguere

arguere calorem & humorem, calor vero humorē vitiosū ad loca viliora transmittit, sic etiā vere inquit Hippocrates l. 3. Aphoris. 23. maxime *fiunt impetigines, vitiligines, pustulæ vlcerosæ, tuberculi, ver enim, calore suo humido corpus perpurgat.*

22. *Non adeo sani qui muco abūdant.*

Quintò, Quibus mucus copiosior abundat, non adeo bona firmaque valetudine vtuntur: Audiendus Hippocrates lib. 6. Aphorismo 2. *quibus nares natura humidiores, & genitura humidior, minus integra sanitate fruuntur: quibus vero contraria, salubrius degunt.* ratio in promptu est, quia ex copiosiore muco nimia humiditas arguitur.

De naso adunco, aquilino.

ARTICVLVS III.

12. *Quæ coniectura ex naso adūco ducēda.*

QVi nasum habent aduncum, incuruum à Græcis Grypi appellātur: atque huiusmodi nasi curuaturā Aristoteles magnanimitatis, regalis animi, & magnifici putat esse argumentū, & ad Aquilā refert; vnde & aquilinus nasus appellatur; & vero sæpe huic Aristotelis dicto suffragata est experientia; nā Mahumetes secūdus Turcarū rex: vir magni animi adeo adunco fuit naso, vt summitas cōtingere labia videretur; quemadmodū refert Iouius in eius vita: Carolo quinto Cæsari nasus in medio clementer assurgebat, ex eodem Iouio lib. 27. Franciscus primus Rex Christianissimus Germanus Martis filius, & literarum instaurator Grypus fuit, huiusmodi quoque specie Cyrum fuisse produnt, vnde & apud Persas mos inoleuerat vt neminem nisi grypum ad imperij dignitatem sublimarent. Antiochum etiam, cui Accipitris nomen datum est, talem habuisse nasum, & Grypum cognominatum esse, refert Possidonius Apameus l. 23. historiarum & ex eo Athænæus l. 6. c. 5. describitur à Nicephoro l. 2. c. 37. Paulus Apostolus corpore paruo, contracto, & quasi incuruo atque paululum inflexo capite modico, superciliis deorsum vergentibus, barba densiori, naso pulchrè inflexo. apud Lucianum Triphon Critiam Catechumenum instituens hunc sanctissimum describit Apostolum; *docebo te* inquit, *quid sit vniuersum, & quid fuerit ante omnia. Quando enim me Galilæus ille conuenit, naso Aquilo qui tertium vsque ad cœlum per aerem ingressus est; quæque optima & pulcherrima sunt inde didicit, per aquas nos renouauit, in beatorum vestigia insistere nos fecit, & ex impiorum regionibus nos reduxit.* Sed nimium excurro; redeo ad propositionem.

13. *Ratio coniecturæ.*

Ratio dicti Aristotelici est, quia hæc aduncitas nascitur ex osse extuberante ea parte, habeatque facultatis efformatricis robur, caloris abundantiam, atque optime affectum cerebrum, quæ omnia cum audacia seu animi robore cōiunctissima sunt: Deinde sic optime per narium emissacula extuberantia, nec propter depressionem interclusa, quam optime cerebrū perpurgatur, & hausto aere, cuius quidē potissima pars ad cor deriuatur, affatim ventrilantur cerebri & sinus atque substātia; quid igitur mirū si optime affecto cerebro laudabiles sint animi propēsiones? hinc etiā fortasse oritur, vt propter maxime defæcatū & nariū commoda percolatione perpurgatum cerebrum, Grypi memoria præstent, cuius experimentum in Cyro Persarum Rege visum est.

De naso simo.

ARTICVLVS IV.

14. Vnde oriatur simitas.

DE simitate antequam quidquam dicam, videndum, vnde oriatur, oritur autem ex duplici capite; primum est; cum debilis calor est, multaque humiditas; tunc enim nequit calor distendere materiam nimis humidam; quod si humiditas hæc successu temporis decrescat, simitas euanescit, quia tunc potest calor distendere materiam, & sic videmus passim pueros (qui omnes humidissimi sunt) resimos esse, successu vero, vt plurimum, ac penè semper in iustam magnitudinem nasum excrescere: Alterum est nimia siccitas, quod enim siccum est non adeo facile extenditur; hæc autem siccitas oritur ex magno calore consumente humidioris materiæ partes: quod autem siccum est, durum est, quod durum, valde operose diducitur: At quæ simitas hinc orta est, minus potest deperdi; nam progressu ætatis semper magis siccescimus. Cæterum ex vtro ex istis capitibus oriatur simitas, colligendum est ex reliquis signis in corpore, aut solo capite apparentibus.

15. Simi procliuiores ad intemperantiā.

Iam vero communis omniū sententia est, qui ex hac posteriori causa simi sunt, eos procliuiores esse ad intemperantiam propter caloris abundantiam cum siccitate coniunctam, qui duo sunt salacitatis fontes Ioan. Baptista A porta huiusmodi homines refert ad Simias; multique sunt, qui à simitate simias dictas autument; sunt autem adeo libidinosæ, vt fæminas appetant, quemadmodum apud Indos simiarum quoddam genus est rufum, quod vrbibus excluditur; quippe quod libidine adeo inflammatur, vt etiam in muliebrem sexum insaniat; Delphinus, & luxuriosus est & resimus; hinc Simonem appellatum ferunt, hæc ille; sed de simiarum salacitate plura, eaque valde mira refert Martinus Del Rio in Disquisitionibus Magicis l. 2. q. 14. Horatius Cocles sic dictus est, vt quidam volunt, quod naso ita depresso esste, nullum vt esset inter oculos interstitium; & supercilia haberet cōmissa, vnde & vnoculus videretur, ita Florus lib. 1. cap. 10. Gellius lib. 4. cap. 1. Vallerius lib. 3. Plutarchus in Publicola; dicitur autem Cocles, vt Ocles, ab oculo, qui vnum tantum habet oculum: vt ait Varro de lingua latina lib. 3. aut vt alij num. 6.

Ex hactenus dictis manifestum est optimam esse nasi formam, cum mediocriter longus & latus, & ad extremum foramina non multum patula, cum aquilinus, & ad faciem bene discretus est.

De Ore.

CAPVT XIII.

1. Quid sit os.

OS continet partem inter mandibulam inferiorem & superiorem interiectā, palatum, dentes, labia, laryngem & œsophagum: Oris vsus est, qualis in omnibus animantibus, ad respirandum, sumendumque alimentum, vt radicū in plantis; omne

omne enim quod viuit, eget alimento: homini autem, vsus oris proprius est locutio, aëre enim inspirato & respirato ad loquendum vtimur: Quare Ambrosius 6. Hexaemeron cap. 9. Os vocauit *Sermonis aditum, fontem disputationis, aulam verborum, promptuarium voluntatis*. Apuleius *vero animi vestibulum, orationis ianuam, cogitationis comitium*.

2. *Magnũ os audaciã & intẽperantiam arguit.*

Qui magnum habet os, audax est, & ad intemperantiam propensior est ita Polemon, Albertus, Conciliator, Rhasis, Porta; Ratio est quia os membra spiritualia & naturalia repræsentat quantoque maius est, tanto maiorem esse calorem in stomacho, pulmonibus, & cæteris adiacentibus partibus esse oportet, cum earum gratia à natura sit in animalibus comparatum. Accedit, quod proprium caloris est dilatare. Denique vix magnum os sine ampla facie, vix ampla facies sine amplo corpore, vix amplum corpus sine amplo stomacho: At tum magnus calor, tum amplitudo stomachi cum magna appetentia coniuncta sunt, hinc facilis ad intemperantiam lapsus. Præterea magnus calor audaciæ parens est.

3. *Paruum os timiditatem.*

Qui paruum os habet timidior est paucique cibi: ratio patet à contrario superioris Canonis. Addam vero notandum hic esse, quod per totam hanc Physiognomiam vagatur, naturam, vt sedulam prouidamque artificem, omnia moliri cum iusta debitaque mensura & proportione, appositeque ad suos fines, nisi impediatur: quare cum os sit prima stomachi ianua, grandius ipsum facit natura, vbi maior & capacior stomachus, minus, vbi minor & strictior.

4. *Hians stupiditatẽ.*

Hians & apertum Os, stultitiæ & stupiditatis signum est, & ad apparentem dementiam refert Porta, fauetque Aristophanes qui κεχυνότες, id est, ore hiantes pro stultis accipit: Et vero cum hoc maxime indecorũ sit non est nisi stupidi in tam apertis decori officiis aberrare. Attendendum tamen est, num fiat ad commodiorem respirationem, naribus scilicet aut corysa, aut alia ratione impeditis, pulmonibus nimis inflammatis, ad quos commodius citiusque refrigerandos per os apertum aër inspiretur, & expiretur.

5. *De iis, qui assuescunt oris hiatui, aut qui à natura ita sunt comparati.*

Verum hic maxima obseruatione dignum est, qui assuescunt oris hiatui, & apertioni, breui magnum sibi pulmonibus malum creare, & tandem tabe consumi; nam frigidior aër naribus non inspiratus nec mitigatus, ad pulmones recta defertur, & sanguis contentus in cõceptaculis induratur, vnde nimio frigore incrassantur pulmones, rardioresque redduntur: quare magno conatu ad motum rumpuntur conceptacula sanguinis, ex quo tabes oritur: Eodem omnino modo philosophatur Alexander lib. 2. problem. 3. de iis quibus præscisus est gurgulio, & est caruncula rotunda, fungosa, carnea, à palati extremo in oris amplitudinem protensa, inseruitque aëri temperando, ne affatim in pulmones irruat, antequam calefiat: Patet enim si præscindatur, idem oriri incommodum, quod de hianti ore iam diximus: Imo & alterum, nempe quod rauci de nare loquuntur sic affecti; quia gurgulio vocis modulationi aërem expiratum diffundendo, multum confert. Sed vt ad institutum redeam, Qui à natura ita comparati sunt, vt non nisi ex rationis aduertentia os clausum teneant.

breuioris vitæ sunt, propter rationem allatam, & quia signum est debilem esse animæ facultatem actiuam ad regenda membra, præualereque partes terreas atque humidas supra cordis calorem: hinc consequitur non posse bene concoqui ab calore interno, quare humidum corrumpitur à calore externo; vnde morborum seminarium, vitæque interitus.

6. De oris graueolētia.

Oris graueolentia ex corruptis humoribus è cerebro, aut stomacho, aut simili parte male affecta eductis nascitur: neque est quod quis dicat in stomacho concoctionis officina putrefactionem nullam fieri; nam contrarium doctrice certum est experientia cum ibi vermes interdum ob caloris natiui debilitatem putrefactione generentur: Atque Aristoteles, cur hominū incuruorum gibbosorumque halitus grauis ac fœdior sit, rationem reddit sect. 13. problem. 10. quia locus pulmonum accommodatus, conclusus deflexusque à sua proceritate est. Itaque spiritum transmittere nequit, sed euenit vt vapor ac spiritus amplius interclusus putrescat.

7. De oris suauitate & fragrātia.

Oris suauitas & fragrantia, qualis de Alexandro legitur in Aristoxenis commentariis, bene concoctos à calore humores ostendit. In vniuersum Philosophorum axioma est odorem esse qualitatem ortam ex perfusione sicci terrestris in humido aëreo & aqueo à calore decocto. Si bona temperatio est, odor suauis, dulcis, & vnctuosus, acris autem & putridus ab impense calidis vel frigidis vt alimentorum & medicamentorum. Galenus, quia temperantissima victus ratione semper vsus est, probatissima, & integerrima vt erat valetudine miram fragrantiam ex ore reddebat, vt refert Cælius lib. 30. c. 20.

De Labiis.

CAPVT XIV.

1. Vsus labiorum.

NARIBVS, labia subiacent iis animantibus, quæ simul & dentes, & sanguinem habent. Dentes cum decore contegunt, & tuentur, & locutionem præstant articulatam; Ea namque conflatur ex literis, quarum enunciatio plurimum obturbaretur nisi aër plectro linguæ ad dentes labiaque frangeretur. Addit Aristoteles lib. 2. de partib. cap. 16. literas partim lingua produci, partim labiis exprimi. quare ad duplicem actionem, tum linguam, tum labia dedit natura. illam, ad percipiendos sapores; istam ad dentium tutelam, vtraque ad formandum sermonem; ac propterea, tum lingua, tum labia humida esse debuerunt & mollia, vt essent magis mobilia & agilia; & dicuntur à lambendo, si nonnullis credimus; quod superius, labium dicitur; quod inferius, labrum. Alij virorum labra, mulierum labia dicunt. Fabius ille Maximus Cunctator Verrucosus dictus, vt ait Plutarchus in vita ipsius, à verruca in labiis: Verum hæc minutula; ad Coniecturas veniamus.

2. De labiis rubētibus, non rubentibus, &c.

Labia multum rubicunda, puritatem sanguinis, tenuitatemque carnis indicant: Quam ad rem notandum

dum est quod ait Albertus de animalibus lib. 1. tractatu 2. cap. 9. labia constare carne molli ad quam multæ venæ deriuantur; cuius indicium est, quod sæpe & facile sanguinem mittant. Quid mirum igitur si vbi maxime defæcatus est sanguis, & caro tenuior, color rubeus maxime viuidus appareat. Melancholici propter crassiorem sanguinem, non adeò labiis rubent. Cuius labia non bene sunt tincta, inquit Rhasis, ægrotat; labiorum exporrectio cogitabundi, signum est: vnde Satyricus de Mathematicis.

Atque exporrecto trutinantem fata labello.

3. *Alia cõiectura de labiis.*

Quod labium inferius ab ore solutum, aliquantulum dependeat, & inordinato humore abundet, oritur ex crassitie: inertem vero demonstrat: ita Albertus: Ratio est, quia cum surrigatur, & stabiliatur beneficio caloris, eo sublato dependet: ac eodem modo, qui metuunt, labro inferiori tremunt, quia metus à locis superioribus ad inferiora, calorem euocat. Labij inferioris motus indicat vomitum: quia collimitationem habet in stomacho. Ita Albertus de animalibus lib. 12. tractatu 3. cap. 5.

Qui labia crassa habent, ita, vt superius vltra inferius promineat propter humorum crassitiem, & abundantiam quibus constant, tardi sunt & segnes: Actius Labeo insulsus ille Poëta, gratissimus tamen Neroni, quod Iliadem Homeri verbum verbo, sed fœdissime transtulisset, à labiorum magnitudine ita dictus est.

Humilia labia in ore paruo timiditatem denotant: referuntur ad Æluros & mulieres: vtrumque simul sumptum ex frigiditate nascitur. Labium superius & gingiuæ prominentia, ita vt speciem ringentis canis præ se ferant, neruis labiorum motoribus sursum retractis versus suum principium, iracundum significant, idque propter caloris, & siccitatis exuperantiam istiusmodi prominentiæ causam: calidi enim & sicci proprium est constringere & contrahere neruosam & menbranosam substantiam, vt in hædinis cartis & coriis videmus: huiusmodi autem dispositio in Neruis cerebrum arguit biliosum.

Reliqua multa omitto quibus nulla certa suffragatur ratio, licèt ab authoribus non inferioris notæ proferantur, sed hoc plerisque hactenus Physiognomis solemne fuit, multa dicere: probare pauca: quare in rationibus eruendis præcipuam nostri laboris partem posuimus.

De Dentibus.

CAPVT XV.

1. *Dentium vsus & varietas.*

DENTES sunt ossea substantia, gingiuarum alueolis cõtenta; sensu præditi sunt, beneficio neruorum ipsorum radicibus adiunctorum; soli omnium ossium accrescũt tota vita, idque necessarium est, semper enim in conficiendo cibo deterũtur; reliqua omnia ossa senescente & deficiente corpore decrescunt, porro, quanquam dati sint dentes omnibus animalibus ad cibum conficiendum: tamen seorsum aliis roboris gratia, tum ad inuadendum,

tum ad defendendum, homini vero etiam peculiariter ad vocis expressionem concessi sunt, ac potissimum primores ad literas exprimendas plurimum conferunt, vt videre erit cum de lingua agemus capite sequenti. *Quid describam*, inquit Ambrosius lib. 6. hexam. cap. 9. *Dentium vallum, quo cibus conficitur & plena fit vocis expressio; quæ sine dentibus alimonia delectaret? Denique æui maturos plerumque cernimus hoc ipso citius senescere, quod amissis dentibus nullam possint cibi virtutem validioris assumere: ideo muta infantia, quia non habet adhuc organum vocis.*

Dentium series phragmus vocatur tanquam sepem appelles: Alij sunt anteriores, seu primores, aut incisores, ab officio ita nominati, imo γελάσινοι, quod inter ridendum primi appareant: Alij sunt canini qui primoribus vtrinque astant, alij molares. Primores mandenda dissecant, vnde & acuti. Molares lati, vt molant, terant & quasi molæ conficiant; discriminant eos vtrosque canini, media inter eos natura conditi, acuti & rotundi & validi, vt si quid anterioribus non potuit abscindi propter duritiem, ab istis abscindatur vt ait Galenus de vsu partium lib. 11. Molares asperi sunt, non læues, vt melius molant: sunt præterea dentes duo, quos Auicenna dentes sensus & intellectus nominat; Hippocrates σωφρονιστῆρες, id est, sapientiæ dentes, quia omnium vltimi circa trigesimum annum tantum oriuntur, cum floret sapientiæ & ingenij vis: scribit Aristoteles lib. 2. de Histor. 4. nonnullis tum viris, tum mulieribus circa octogesimum annum exiisse, subiungitque hoc illis accidere quibus in iuuentute nati non fuerint: Genuini à nonnullis vocantur, propterea quod à genis oriantur, ac quoniam in postrema mandibulæ parte veluti occultati sunt, nec facile patent aspectui, vt primores & canini, hinc factum est, vt rodere dente genuino, frangere genuinum, genuinum infigere pro eodem accipiantur ac clam de aliquo detrahere, Persius Satyra 1.

> ——— *Secuit Lucilius vrbem*
> *Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis;*

2. *Dentes longitudinem breuitatẽque vitæ indicant.*

Qui raros & paucos dentes habent, sunt breuioris vitæ: qui plures, longæ: Ita Hippocrates 2. Epidemiorum sect. 6. & Aristoteles sect. 34. probl. 1. & sect. 10. probl. 47. & 2. de histor. animal. cap. 3. huius rei ratio multiplex afferri potest: Prima, quæ placuit Aristoteli, dentes rari & pauci arguunt os cerebri crassius & minus transpirationibus peruium: At quod cerebrum minus perspirat, nec tam copiose se perpurgat, citius putrescit; nam & inter cæteras causas, cur mas viuacior sit fœmina, hæc est, quod plures in capite suturas habeat, vnde maior transpiratio: Secunda est, quod multitudo dentium à caloris & substantiæ copia prouenit, à quibus vita propagatur: & vero pueri, vt plurimum dentire incipiunt septimo mense, quanquam nonnulli cum dentibus nati, vt Arsames Persa, Cneius Papyrius & Marcus Curius, qui propterea dentati cognomentum meruit, ex Plinio lib. 7. cap. 16. At quorum nutrices lac calidius habent, ij citissime omnium dentiunt ex Aristotele 7. de histor. cap. 10. vnde calori non male adscribitur dentium origo, multitudo, constipatio: Tertia, quod cum multi

confer

confertique ſunt dentes, melius commolitur cibus; vnde melior ſequitur ventriculi concoctio, ac denique vitæ diuturnior conſeruatio. Enimuero, quoniam dentes terendo comminuendoque cibum concoctioni plurimum conferunt, Camelus, ouis, capra, ceruus, & ſimilia propter inopiam dentium, plures ventres habent, qui dentium munus expleant, dum alius ab alio cibum recipit; ſcilicet primus infectum, ſecundus aliquantulum confectum, tertius plenius, quartus perquam confectum, vt habet Ariſtoteles lib. 3. de partibus animalium cap. 14. nominatque hæc cibi varia receptacula, ventrem, araneum, ſiue reticulum, Omazum, Abomazon: Aues vero dentibus omnino carent, ciboſque non commolunt propter ſummam ventris caliditatem, quæ compenſat officiũ dentium. Piſces vero acutiſſimos etiam vtrimque dentes habent, quibus citiſſime cibum incidunt & cōficiunt: quare non ruminant præter Scarum; cum tamen pleraque animalia terreſtria dentibus non bene armata, vt vidimus, ruminent. Neque eſt quod quiſquam obiiciat Auguſtum licet raris dentibus eſſet vixiſſe tamen ad ſeptuageſimum ſeptimum ætatis annum: nam fortes habuit & validos: quare robur, denſitatis defectum ſuppleuit. Cæterum in hominibus bene conſtitutis vt plurimum in Phragmo triginta duo dentes numerantur, in quibuſdam plures, vel pauciores; & quibus plures, hi multo longioris vitæ quam quibus pauciores, vt probauimus. huc refero quod, vt ait Ariſt. l. 2. de Hiſtoria Animal. cap. 3. viris, qui ſane viuaciores ſunt, plures ſint dentes quam fœminis.

3. *Dentes multi validi & ſolidi robur corporis.*

Dentes multi validi & ſolidi robur corporis arguunt, quia ſunt indicium magni caloris, vt iam diximus: dentes enim cum ſint oſſeæ naturæ, opus habent exquiſita mixtura partium magis humidarum cũ partibus ſiccis, quas penes prædominium eſt in dentibus. Ad hanc vero mixturam concoctionemque neceſſarius eſt magnus calor: deinde tales dentes indicium ſunt magni capitis. At magnitudini capitis reſpondet magnitudo cerebri; cerebro ſpinalis medulla; huic vertebræ; vertebris, pectus, denique omnia oſſa. Et vero Hercules, qui, vt refert Ion Chius, validiſſimos dentes habuit, & triplici ordine diſtinctos, quanti roboris fuit? ſi Eteſiæ credimus, de quo Ariſtoteles lib. 3. de Hiſtoria Animalium cap. 1. in India naſcitur bellua, cui nomen Mantichoræ quæ dentes habet vtrinque triplici ordine; magnitudo eius, hirtitudo, & pedes leonis ſunt; feritas vero tanta, vt nunquam manſueſcere poſſit, aculeo armata ſpicula agnata iaculatur; hinc Mantichoræ robur caloremque augurari licet.

4. *Continuati dentes feritatem.*

Qui continuatos habent dentes feri & agreſtes, inquit A porta talis fuit Pyrrhus Epirotarum Rex, qui vnum tantum habuit os in ſingula gingiua, non diſtinctum diuiſumque varios in dentes, vt ait Plinius lib. 7. cap. 16. Euriphæus Cyrenæus vnum item os in ſuperiori maxilla, ſicut & Druſias Pruſiæ Regis filius, qui propterea Monodos vocatus fuit, vt ait Sextus Pompeius lib. 11. Alexander ab Alexandro lib. 1. cap. 19. apud Romanos putat dictos fuiſſe Dentatos, quod ſolido oſſe, vice dentium armarentur; at Plinius iam citatus, & Solinus

nus cap. 4 aliter sentiunt, nempe cum dentibus natos. Refert autem Ioan Baptist. A porta huiusmodi homines ad Hyænam, quæ ex Plinio, nullas gingiuas habet sed massam osseam loco dentium; subscribo eius sententiæ, & rationem adfero, quia oportet ingentem esse calorem, magnamque virtutem seminis, vnde fortitudo ad feritatem declinans oriatur.

5. *Acuti & longi fortitudinem & audaciam.*

Dentes fortes, acuti, & longi signum sunt hominis fortis, audacis, gulosi, magnæ iræ; referuntur ad animalia fortiora, audacia, crudelia, carniuora, vt sunt Leo, Canis, Aper; Hippopotamus, cui vt equo, cauda; vt apro, dentes exerti; rostrum, vt vitulo, eadem quæ Asino magnitudo; Ratio eadem est quæ supra.

6. *Vacillantes minus validum capitis os arguunt; humorem aut sicci tatem nimiam.*

Quod dentes plus æquo vacillantes sint, & mobiles, oritur ab humore alueos relaxante, aut siccitate gingiuas contrahente, vt in senibus contingit: humor autem hic aut à cerebro decumbit, aut oritur à vaporibus vitiosorum ventriculi humorum, causatque interdum parulidem, interdum vero Epulidem, gingiuarum morbos. Vt plurimum dentes inferioris maxillæ mobiliores & minus firmi dentibus superioris: quod patet breuiter; nam primores & canini vna radice nituntur, maxillares binis, & ternis: & canini quidem habent vnum exiguum neruulum seu portiunculam eius nerui, qui ad motum oculorum fertur: vnde oculares vocantur, Maxillares vero inferiores semper radices minores & pauciores habent; deinde os superius compactius est.

Non erit abs re hic sententiam Aristotelis lib. 5. de Generatione Animalium cap. 8. referre: *Dentes primores*, inquit, *prius oriuntur quam lati, quia illorum officium, nempe secare, prius est, quam molere, quod est officium molarium; deinde quod minus est, citius quam quod maius est, perficitur, licet simul oriatur, minores autem primores quam maxillares sunt*; Addi potest anteriorem ossis partem, cui inserti sunt tenuiorem esse, vnde facilius erumpunt: atque iidem isti primores quia acuti & minores, hebescunt, deficiunt, & cadunt; vnde alios succedere necessarium est; cadunt etiam quia tenui osse continentur; vnde & infirmi & mobiles sunt: maxillares autem, quia valido osse continentur, non sunt decidui. Recte igitur ex his dici poterit, si cui facile mobiles sunt omnes dentes, minus validum esse capitis os.

7. *Molares ante pubertatem orti breuiorem vitam indicant.*

Molares ante pubertatem orti, breuiorem vitam indicant, vt quæ stirpes celerius florent, celerius quoque tabescunt. Porro verũ tempus emittendorum molarium pubertas est, imo sæpe vltimi molares, quos sapientiæ dentes vocamus, nõ nisi circa trigesimum, sæpe multo tardius cascuntur. Vidit Albertus hominem, cui anno octogesimo dentes nati. Zanclen Samothracenum ciuem, cui renati essent dentes post centum & quatuor annos Mutianus visum à se prodidit, vt narrat Plinius lib. 11. cap. 37.

8. *Dentium nigredo vnde oriatur.*

Dentes nigri, fuligine offuscati, copiosa cerebri aut ventriculi excrementa notant, ac potissimum qui duriore sunt aluo propter conclusas excrementias fæces vaporibus noxiis abundant, dentibusque sunt subnigrioribus. Pulchrorum sanorumque dentium conditiones legere est

est Canticorum quarto, apud Delrium in illud; *Dentes tui sicut grex tonsarum.*

De Lingua.

CAPVT XVI.

1. Lingua compositio & vsus.

LINGVA est caro musculosa, mollis, rara, fungosa, plena neruorum, arteriarum, venarum, ad radicem quæ latior est, osse valido quasi base nititur, vocaturque à similitudine literæ Y Hyoïdes: ad eandem radicem sunt tonsillæ, vt dicetur cum de voce, l. 4. cap. 8. neruorum habet duo coniugia ad impertiendum gustum, tactum, motum: quod durius est, motui; quod mollius, saporibus dignoscendis opportunum est: musculos nouem habet, ad dexteram, læuamque discretos: Arterias duas, quia copioso calore indiget, & spiritu ad tantam varietatem motuum; venas quoque duas maiusculas ad alimenti copiam. Saliua quæ est excrementum phlegmatis, linguam madefacit, ne arescat, propter tantos motus. Dicitur lingua, vt putat Varro & Isidorus, à lingendo: quod eius ministerio cibum delingamus; aut, vt aliis placet, quod alligata sit faucibus, aut quod per articulatos sonos verba ligat; nam larinx quidem vocem format, at lingua sermonem, seu vocem articulatam. Patent iam linguæ officia; loquutionem moderatur, sapores dignoscit; nec hoc tantum, sed præterea cibum in ore versat, transmittitque ad œsophagum seu meatum, quo cibus in stomachum descẽdit. *Lingua quoque non solum in loquendo,* inquit Ambrosius, *sed etiam in edendo munus pretiosissimum est: ea enim velut plectrum loquentis, & quadam edentis est manus, qua defluentem cibum dentibus suggerit & ministrat.*

2. Subtilis hominem ingeniosum denotat.

Lingua subtilis, tenuis, acuminata, limata, ex Scoto, sagacem hominem, ingeniosum, subtilem, cholericum denotat; & refertur abs Baptista à Porta ad serpentes, acuminatis bifidisque armatos linguis: cuius coniecturæ rationem hanc esse arbitror, quod talis lingua magni caloris & spiritus; quorum est extendere & diducere in acumen, indicium sit; videmus namque ignem, semper in acumen desinere: Atque qui huiusmodi linguas habent, ad dicendum maximam habent à natura facultatem; cum enim lingua ex latiore basi in acutum mucronem sensim desinat, vt ad motum promptior sit, ad quem vtitur duobus musculis ab interiore mento pronatis, quæ lingua acutius in mucronem desinet, ad motum qui fit in vocis conformatione, & sermonis articulata expressione maxime comparata videbitur.

Attexo aues eas, quæ maxime garrulæ sunt, & voces humanas perfectius æmulantur, linguas habere subtiliores & limatiores: immo & latiores, psittacum autem maxime, ac propterea patentiore plectro, vt & palato, verba hominis articulatur. Quadrupedes autem, quæ & sanguinem habent, & animal pariunt, vocem parum explanare possunt, vt quæ linguam crassam, duram, & minime absolutam habeant; at propterea inhabilem ad productionem, dilatationem, cõtractionem, qui tamen motus necessarij sunt ad sermonis expressionem, seu loquelam.

3. *Grossa rudiorem & hebetiorẽ.*

Lingua grossa, immoderate prælonga, ingenij rudioris signum est, vt pote humorum crassiorum indicium, sic boues amplas habent linguas: Refert Galenus lib. de differentiis morborum cap. 9. cuiusdam linguam supra modum excreuisse, quæ neque prementi manui cederet, vt œdema, neque resisteret vt scirrhus, neque doleret vt phlegmone. Præterea balbutiem efficit, neque enim facile tractari potest, vt pote, præ sua grossitie & amplitudine, grauior, quam par sit.

4. *Lõga, lata longa humarum bonitatẽ.*

Lingua longa, lata, rubicunda, humorum bonitatem, alba, corruptionem indicat, & cum spongiosa valde sit, facile humores suscipit, iisque concolor fit, vt ait Galenus commentario quinto in librum Hippocratis de morbis vulgaribus; *viridis quidem*, inquit, *biliosos, nigra melancholicos, humida, ventriculum aut cerebrum humidum indicat.* Ex hoc præterea capite nascitur, quod lingua febrium indicium maximum esse consueuit.

5. *Crassa vita breuitatem.*

Lingua crassa, breuis vitæ signum est, tum quia male verti in ore & masticari cibum oportet, quo male præparato, stomachus male digerit: ex mala digestione, mala hæmatosis, hinc vero quid non cacochymiæ consequitur?

De mento.

CAPVT XVII.

1. *Mandibula vsus*

MANDIBVLA, seu maxilla, est ea corporis pars in qua dentes siti sunt, diciturque à mandendo: alia est superior, alia inferior. Inferior quæ mentum dicitur vt pote pendula, mobilis est ad aperiendum os, masticandumque cibum; externa pars eius, æther, vocatur: Superior in omni animante infixa cranio immobilis manet; excipe Crocodillum fluuiatilem, & psittacum, qui soli eam mouent. Atque vt ait Aristoteles cap. 11. lib. 4. de partibus, *Cum caput in duas partes diuidatur, scilicet superiorem & inferiorem maxillam, homo & viuipara quadrupedes maxillam sursum, deorsum, atque in latera agitant; pisces vero, & aues & ouipara quadrupedes sursum deorsumque tantum mouent: causa est quod eiusmodi motus vtilis ad mordendum, secandumque est, qui autem in latus agitur, ad cibum molendum, conficiendumque accommodatur. quæ igitur dentes habent maxillares, iis motus commode agitur in latus: quæ autem maxillaribus carent, iis nullo pacto vtilis motus hic est: quamobrem sublatus iis omnibus est, nihil enim natura superuacuum facit.* Pauca de mento dicemus, (quamquam apud Physignomos multa legantur,) quia in paucis ratio nobis nota est.

2. *Mentum acutum & subtile audacem, iracundum significat.*

Mentum acutum & subtile significat hominem audacem, iracundum; quemadmodum supra probatum est de naso præacuto: Ratio est, quia oritur ex copia materiæ & caloris materiam diducentis: quod si sub mento sit copia carnis, Cocles luxuriæ augurium ait: an quia humoris calorisque copiosioris tũc argumentum sit? propensio autem ad libidinem calore constet & humore, vt ait Aristoteles sectione 10. problemate 26.

3. *Breue, ingeniosum.*

Mentum breue ingeniosorũ plerumque est: nam sæpe coniunctum est cum magna amplitudine partis

superioris

superioris capitis, & copia cerebri; quia vero breuitas hæc ficciorem temperaturam indicat; ingenium, propter copiam cerebri, & celeritas, propter ficcitatem defignatur, vt diximus fupra.

4. *Bipartitũ boni temperamenti indiciũ eft.*

Qui bipartitum mentum habent boni temperamenti funt, & boni affectus: atque etiam folent non mediocri fpecie & decore venuftari; huius dicti ratio valde ambigua & obfcura, eft. Ariftoteles lib. 3. de hiftor. cap. 11. quibus mentum bipartitum eft, eos minus ait caluefcere, quod intelligendum eft de ea caluitie, quæ communi naturæ conditione obtingit; cuius has video caufas, defectum humoris pinguis, nimiam frigiditatem & abundantiam corruptorum humorum, vt diximus fupra cap. & artic. 3. cum igitur qui bipartito mento funt, minus caluefcant, temperati, beneque affecti effe habitus oportet, adeo vt neque exuberent, aut plus æquo deficiant calor aut frigus: at huiufmodi habitus ad bonos mores à natura inftitutus eft.

Cæterum optimum mentum eft fubquadratum quod virorum proprium eft, rotundiori vero figura quafi circinatum mẽtum, vt teftis vifus eft, fœminarum proprium; quare fœminæ, gentilis eft animi affectu vir, cuius mentum rotundius eft.

De Barba.

CAPVT XVIII.

1. *Barba finis.*

E MENTO pendet barba, quæ homini data eft ad dignofcẽdam corporis maturitatem, ad fexus difcrimen, & ad conciliandam authoritatem, *non corrumpetis*, inquit Mofes Leuitici 9. fecundum verfionem Septuaginta, *barba faciem*, quia perfectionis fignum eft barba: immo & eam veteres ornabant, vt ait Seruius in illud Æneidos 6.

——— Cui plurima mento
Canities inculta iacet;

Additque nonnullas fe vidiffe ftatuas, cum aliquo barbæ ornamento. Romani, apud quos auguftæ nobilitatis fignum erat, Deos fuos barbatos pingebant; vt Phœnices mercaturæ dediti, cum loculis; Lacedæmonij bellis dediti, armatos: Marcus Antonius Vlmus, medicus Patauinus in fuo opere de fine Medico barbæ humanæ, naturam ait homini dediffe barbam, vt in facie ftaret iudicium facultatis generatricis, mafculæ, atque huius, vel erumpentis, & progredientis, vel confummatæ, vel, nifi confumptæ, faltem confumptioni proximæ.

2. *Origo, materia & efficiens.*

Principio videndum eft cur viro fubcrefcat, non autem mulieri. Ratio eft, quia cum materia pilorum fit excrementitius & ficcus habitus euaporefcens ad cutem vi caloris, vir autẽ muliere multo calidior fit; mirum effe non debet fi multo plures excrementitios vapores furfum educat, vnde barba mentum veftiat, cum mulier maneat imberbis: quod fi groffiora excrementa quædam, vt pote humidiora in fœmina reperiuntur, ea menftruis purgationibus deonerantur: quod fi menftrui curfus fubfiftant, interdum pauci pili prodibunt, in mento, vt in terra Caria mulieribus facerdotibus euenire aiunt, de quo vidẽdus Ariftoteles c. 11. lib. 3. hiftor. Et vero Helena Antonia nata in Epifcopatu Leodienfi circa annũ 1578. de qua fcribit Gilbertus Vuoffius Medicus

doctissimus Marco Antonio Vlmo, habenturque literæ in opere Marci Antonij iam citato, cum anno ætatis vigesimo barbam haberet vsque ad pectus promissam, & circa annum nonum incepisset erumpere, expers erat huiuscemodi morbi, qui infirmioris sexus communis est; sed hanc calidissimi temperamēti fuisse necesse est. Pueri vero, licet calidi, barbam tamen non generant, quia natura in eorum augmento elaborando nihil non absumit. Indicium vero quod ex calore barba nascatur, petitur ex eo, quod spadones semper imberbes sunt, qui omnium consensu frigidissimi sunt: at contra nonnullæ mulieres, calidioris scilicet & humidioris temperamenti barbescunt. Immo cordis calor intensissimus atque vltra modum æstuans, & terrestrium, quæ multæ sint, partium, quasi fumum excrementitium eleuans, infantibus in vtero barbam effundit, quod ætate nostra in Lusitania accidisse constat ita Conimbricenses 2. Physi. cap. 9. quæst. 5. art. 2.

3. Quid de raritate barbæ iudicandum.

Si quis non omnino imberbis, sed valde raræ barbæ sit oportet eum vel esse valde frigidum quippe qui nullos excernat vapores terreos & siccos; neque sursum attollere habeat facultatem ad pili procreationem; vel valde calidum, vt pote in quo, vi copiosi caloris, nimis laxatis poris, omnes huiusmodi vapores exhalent nec ad cutem moram agentes densentur in pilos: vel valde humidum, sic enim terrea fuligo non excernitur. In hunc penè modum loca præhumida herbas edere nequeunt: Ac forte etiam hæc causa esse potest, cur spadones non barbescāt: humidissimi quippe sunt, quod patet ex voce acuta, ex pedibus, & cruribus, quæ valde facile deprauantur: molliora enim sunt ex nimio humore, & facile ad pondus impositum peruertūtur, quamquam communiter, & vere alia ratio affertur, defectus scilicet caloris illius quem partes hominis propriæ in mentum reflectunt.

4. Quid de copiosa barba.

Copiosa barba copiosum calorem, abundantiam fuliginosorum, ceu crassorum humorum indicat: quare fortitudinis & audaciæ signum est, vt per se patet: atque adeo propensionis ad libidinem quæ tali calore atque tali humorum constat abundantia.

5. Varia de barba.

Qui cito barbescunt, calidi: qui tardius, frigidioris temperamenti: lanugo tarde pilescens, quæ scilicet diu manet sub differentiis sibi propriis, mollitiei, tenuitatis, & albedinis, indicat calorem non adeo vegetum; contra vero lanugo, quæ breui tempore conformatur in pilares differentias, vegetum calorem arguit, maxime in iis partibus à quibus iam diximus calorem ad mentum reflecti: ita Marcus Antonius. Multa hic præterea de barba disputari possent, sed quæ de pilis in vniuersum diximus, hic commodissime referri possunt.

De Collo.

CAPVT XIX.

1. Prouidētia Dei in collo formando.

AMBOSIVS 6. hexaëmeron cap. 5. pie omnino seriem creaturæ perpendit, creatorisque mirabile opificium admiratur, qui aliis bestiis vt leoni, Tygridi, vrso, breuiora colla formarit; aliis prolixiora,

vt camelis, equis; illis verò quæ carne vescuntur, nec in terras pascendi gratia ora proiiciunt, non erat opus prolixitate ceruicis. Camelus autem cum sit altior, quomodo herbis minutissimis pasceretur, nisi longiora ad terram colla ad vsum pastionis extenderentur? Itaque Camelus pro ratione proceritatis longiora colla sortitus est, Equus pro eadem ratione, Bos simili modo. pergit de Elephante dicere quæ omitto, vt dicam collum esse partem corporis, quæ caput sustentat, & inter caput humerósque interiacet.

2. *Pulmonũ gratia datum est.*

Quod verò non capitis sustentandi, sed pulmonum gratia constructum sit, affirmant nonnulli Medici, & bene, duplici argumento; primum, quod quæ pulmonibus carent, collo careant, vt pisces, qui annexum ori ventrem habent: quocirca sæpius euenit grandibus nonnullis, piscibus, vt dum per impetum insectantur minores, ventriculus in os procidat ex Aristotele cap. 17. lib. 2. de histor. secundum est, quod pulmones contigui capiti esse nequeant, decuit etiam esse aliquem tractum intermedium caput inter & pulmones, quo spiritus frigiditas temperetur, antequam se in pulmonum substantiam insinuaret, confértque pariter collum ad vocem: datum est enim, vt per ipsum porrigatur trachea & œsophagus, & tracheam oportuit esse longiusculam ad modulandam vocem. Cæterum quæ collo carent, muta sunt.

3. *Colli partes guttur, & ceruix.*

Duæ sunt eius partes Antica, & Postica: Antica vocatur guttur, postica ceruix, Guttur laringe constat, aspera arteria, œsophago, iugularibus venis, atque aliquot musculis, ceruix constat vertebris septem, spinali medulla, musculis, qui & caput, & collum extendunt.

4. *Quibus collum crassũ & plenum, animosi.*

Qui collum crassum habent & & plenum, sunt animosi, & referuntur ad tauros; ita Aristoteles: magnus animus oritur ex magno calore, qui eo potentior est, quo contractior est, eo autem contractior est quo minus est cor, vnde & vulgatum est, Magna corda, timida esse, vt sunt, ceruorum & damarum, parua vero fortia esse: At ex plenitudine & crassitie colli optime colligimus paruitatem cordis & caloris abundantiam, caloris quidem abundantiam, quia propriè caloris est bene dilatare, paruitatem vero cordis quia cum collum crassum est & plenum, sanè firmum quoque est; si firmum & durum est; si vero durum, & cor etiam durum erit, vnde non adeo facile dilatabitur, sed in multo minorem molem coarctabitur, quæ ratio est Fontani.

5. *Quibus tenue & prolixum, timidi.*

Quibus collum tenue est & prolixum, timidi sunt, & referuntur ad ceruos; Ita Aristoteles: & vero Caligulam Suetonius cap. 5. ita describit, vt fuerit pallidus colore, corpore enormi, gracilitate maxima ceruicis & crurum, oculis & temporibus concauis, fronte lata, torua, capillo raro & supra verticem nullo, vultus natura horridus; quantum autem timidus fuerit, satis ostendunt eius dedecorosæ in bello fugæ; Ratio dicti nostri est, quia innuitur caloris inopia & neruorum exilitas.

6. *Quibus breue est voraces sunt.*

Quibus collum breuius est, voraces sunt, referuntur ad lupos: quorum colla tanta breuitate contrahuntur, vt non nisi circumacto corpore retro contorqueri possint. Referrem etiam ad vitulum marinum, & ad omne auium carniuorarum

genus, voracissima & breuissimi colli animalia: dico breuissimi, vtpote quibus longitudo colli incommoda esset, cum imbecille sit quod prolixum est, huiusmodi autem auibus victus beneficio comparatur. Suffragatur lenta ratio cur voraces istiusmodi homines esse voluerim; voracitas oritur ex magnitudine hepatis, quod est ad partem dextram stomachi, eius vt calorem foueat, augeátque: At vbi breue collum est, ibi magnum hepar est: nam breue collum crassum est, quantum enim detrahitur longitudini, tantum accedit crassitiei & latitudini; debet vero si omnia bene consentiunt sibi, latitudo hepatis respondere latitudini colli; deinde sus animal cibo valde deditum est, hoc ex iecoris magnitudine oritur. Præterea temerarios esse existimo & valde præcipites, quia non satis magna erit distantia inter caput & cor; vnde calidius erit cerebrum, & concitatiores spiritus.

7. Qui breui & angusta ceruice Apoplexiæ obnoxij.

Qui breui angustáque sunt ceruice, apoplexiæ obnoxij sunt; Apoplexia est repentina priuatio sensus, & motus totius corporis, cum principum functionum læsione, respirandi difficultate: oritur hæc priuatio ex crassiori pituita aut melancholia, dum affatim cerebri ventriculos replet, aut arterias per quas spiritus feruntur à corde ad cerebrum, obstruit. At si tenuis ceruix est & angusta, facile defluxu humoris, arteriæ, quæ angustæ quoque erunt, obstruuntur, imo si tenuis ceruix est, caput quoque capitisque ventriculi angustiores erunt, & facile repleri poterunt: ita Medici post Galenum.

8. Quibus vena intumescunt in collo, iracundi.

Collum sanguineis intumescens venis, iracundiam notat, refertur que ad passionem; nam qui irascitur, illi collum intumescit, & quidem iam supra cum de temporibus intumescentibus disputaui, & de oculis in quibus venulæ sanguineæ respersæ videntur, dixi propensionis ad iracundiam indicium esse propter caloris copiam, quæ ratio etiam hic valet.

9. Obseruatio de longo collo.

Qui collum longum habent, minus ructibus obnoxij; ita Aristoteles statuit sect. 10. probl. 43. de iumentis, tum propter ventriculi siccitatem, tum propter colli prolixitatem, qua fiat, vt flatus deorsum se vertat: quamobrem crepitus ventris maximè ipsis incitatur: Ructus autem est excretio flatus molesti à stomacho facta: duplex est, acidus, fumidus: Acidus est propter ventriculi frigiditatem, ciborum mollitudinem, eorumdem cruditatem, & pituitæ copiam proritatus, fumidus ab intemperie calida, humorumque calidorum feruore oritur: Ratio Aristotelis ad propositum nostrum transferenda est.

Collum non concauum sed plenum, & rotundum, manduconem notat: cauitas quæ in collo est circa linguam oritur ex duobus meatibus œsophagi & arteriæ vocalis, vbi autem nulla est, œsophagum ampliorem esse oportet, ad eius magnitudinem sequitur stomachi magnitudo.

10. Quibus clauiculæ agiles acumine sensuum pollent.

Quibus clauiculæ agiles sunt, acumine sensuum valent; ita Aristoteles: clauiculæ sunt ossa quæ humeros pectori adiungunt, mouentúrque ad motum humerorum, seu omoplattarum, dicti Aristotelici ratio duplex est; Prima, motus facilitas maximè oritur ex moderata musculorum mollitie; quod enim molle est, facile, & contrà, quod durum

durum eſt, difficile mouetur; cum muſculi molles ſunt, mollis quoque caro eſt, muſculus enim ipſe caro eſt, At, vt dicemus poſtea lib. 3. cap. 7. carnis mollities optimus character eſt bonitatis ingenij, quæ eſſe nequit ſine bonitate ſenſuum miniſtrorum intelligentiæ. Secunda, facile ſoluuntur clauiculæ, cum à nimia ſcapularum propinquitate in anguſtias non contrahuntur, tunc autem latam oportet eſſe ceruicem, per quam & calor à corde facile cerebro communicetur, ad ſpiritus ſenſuum miniſtros elaborandos, & viciſſim ſpiritus mediis neruis ad ſenſuum organa liberè transfundantur; ex quo poſtremo officio ceruix ex ſancto Iſidoro vocata eſt, quaſi cerebri via. Ex iis per legem contrariorum pronum eſt intelligere quod ſtatim addit Ariſtoteles, eos eſſe obtuſiores animo, quibus clauiculæ difficile commouentur.

II. *Ceruix hirſuta quid ex Ariſtotele innuat.*

Qui ceruicem habent piloſam & hirſutam, liberales ſunt, & ad leones referuntur iudicio Ariſtotelis; cui hæc ratio fauet, quod cum pars illa ſiccæ ſit frigidæque naturæ, oſſea quippe eſt, oportet magnam eſſe caloris abundantiam, quæ pilos foras pellat. At qui calidi ſunt, fortes ſunt; qui fortes, valde quoque ſibi fidentes, qui valde ſibi fidentes non adeo facultatum ſuarum tenaces ſunt; exiſtimant enim in ſua facultate poſitum, quando opus erit, nouas comparare.

De Humeris.

CAPVT XX.

1. *Quid humeri.*

DICVNTVR humeri, ſcapulæ omoplattæ, armi, quod ab eis arma dependeant, quanquam ij in quadrupedibus iam etiam dicuntur. Celſus vocat ſcoptula, barbari vero ſpatulas; ſunt vero oſſa tenuia pene figura trapezia ſeu triangulari, quorum apicibus inſeruntur cubiti, faciuntque ad coſtarum robur, & muſculorum implantationem. Eorum magnitudo comitem habet pectoris & coſtarum magnitudinem, validorúmque muſculorum robur, quę omnia facultatis formatricis vim caloriſque præſtantiam ac capitis magnitudinem, quæ ad ſcientias aptiſſima eſt, vt vidimus, arguunt.

2. *Lati, magni, diſtãtes fortiũ hominum proprij.*

Humeri lati, magni, diſtantes, fortium hominum proprij ſunt: huius propoſitionis ratio ſatis conſtat ex proximè dictis, ſcilicet hic proprius caloris effectus eſt materiam extendere; in pectore autem & armis illi oppoſitis maximè viget calor: Atque inter antiquæ memoriæ præſtantes viros diuinus Philoſophus hoc nomine commendatur, quod latiſſimos habuerit humeros: vnde cum Ariſtoteles ex aui paterni nomine antea nuncuparetur, ab Ariſtone Palæſtrita, apud quem ſe exercebat, pugiléſque omnes propter eximiam ſuam fortitudinem & induſtriam ſuperabat, à latis humeris Plato fuit appellatus, quanquam nos iam ſupra cap. 5. art. 1. aliam huius nomenclaturæ rationem attulimus. Quod vero robuſtiſſimo fuerit corporis habitu, omnia teſtantur

ſcripto

ſcriptorum monimenta, imo & ipſe vt hunc habitum infirmaret, ſicut vitis nimia luxuries amputatur, inſalubrem Academiæ locum elegit, vt teſtatur Baſilius lib. de virginitate neque ſpe ſua fruſtratus eſt, quartanam enim febrem per menſes octodecim contraxit, quam tamen ſumma ſobrietate curauit, ſobrius enim ſupra modum caſtuſque fuit.

Fabulæ vero quod narrant Hebræi de ſuo Goliath, humeros habuiſſe latitudinis ſeptuaginta cubitorum; ſic enim ducentorum & decem cubitorum fuiſſet eius altitudo.

3. *De laxis bene ſolutis, piloſiſque.*

Humeri laxi ex Alberto infirmitatem & timiditatem ſignificant: ratio à contrario ſumenda eſt. humeri bene ſoluti, maxime ſi ampli ſunt & diſtantes, robur corporis ſignificant: ita poſt Ariſtotelem Ioan Baptiſta A Porta, qui ſæpe ſe vidiſſe ait in triremibus, dum nudi remiges agebant remos, quod qui bene ſolutos & articulatos humeros habebant, præ cæteris fortiores habebantur; quod etiam in piſtoribus eſt obſeruare, dum triticeam maſſam pugnis ſubigunt; nam eo fortiores ſunt, quo ſolutiores ſunt humeri. Humeri piloſi magnum in corde caloris fomitem arguunt, qui affatim fuligines excitet, quæ in pilos concreſcant.

4. *Qui pectore anguſto ad phthiſim procliues.*

Qui natura pectus anguſtum ſublimeſque ſcapulas habent, hi ſunt in tabem ſeu phthiſim procliuiores: Ratio eſt quia ſic facile pulmo inflammatur; cum non habeat liberum motum; prouocanturque fluxiones quibus exulceratur; vnde ſenſim corpus colliqueſcit; quare cū in phthiſi tria ſint, pus, vlcus pulmonis, & marcor corporis, huic morbo lac conuenientiſſimum cenſetur: ſero enim, butyro & caſeo conſtat ſerum detergit pus, caſeus agglutinat, vlcuſque curat, butyrum nutrit; Aſininum valde ſeroſum, ideo maxime detergit, caprinum butyroſum, atque adeo nutritiuum muliebre inter omnia optimum, vt pote quod hæc omnia abundantiſſime præſtat.

5. *Motus humerorū & curuitas generoſorum propria.*

Qui mouentur humeris, curuique ſunt, inter generoſos cenſeri debent, referunturque ad leones; ita loquitur Ariſtoteles, qui intelligendus eſt de curuitate congenita quæ oritur ex ſpinæ diſpoſitione; Incuruata oſſa melius ſuſtinent podera impoſita, cuius rei manifeſtiſſimum argumentum eſt in fornicibus, qui cum varij generis ſint, qui ad circinum rotundati ſunt, omniū optimi habentur; ergo qui curui ſcapulis ſunt, multo fortiores ſunt Fortitudo autem corporis facile ad generoſitatem declinat.

De Dorſo, ſeu Metaphreno.

CAPVT XXI.

1. *Quid Thorax.*

THORAX, ſupra, iugulis ſeu clauibus; infra, diaphragmate, pone, dorſo; ante pectore; circa coſtis, & lateribus, quæ ſunt partes coſtis circumſcriptæ, continetur: Coſtæ duræ ſunt ad robur Omoplattæ ſeu humeri, & ſterni comparatæ: A parte poſteriori, ſpinæ, ab anteriore, oſſi pectoris quod ſternum vocatur inſeruntur: hoc autem os fungoſum eſt, ab eius extremo dependet cartilago, inſtar gladij acuminata, ſepti tranſuerſi & cordis munimentum: Platoni dicitur ξιφοειδὴς. Coſtę

viginti

viginti quatuor sunt, aliæ perfectæ, aliæ imperfectæ, seu illegitimæ & spuriæ aut nothæ. Illæ vniuersum thoracem ambiunt & circulum perfectum efficiunt, suntque vtrinque septem, istæ numero quinque vtrinque, & ita dicuntur quod semicirculum tantum efficiunt & à parte anteriori non coniunguntur.

2. *Quid dorsum seu Metaphrenon.*

Dorsum vel tergum, Græcis νῶτος, duodecim ossibus vertebratur, quibus costæ articulãtur. Aristoteles 3. de hist.c.7. omnia animalia sanguinea constare ait dorso, vel spineo, vel osseo: Dorsi partes sunt scapulæ, spina vsque ad lumbos. Nos de eo hic potissimum agimus, vt spinam dorsi complectitur, & propter quatuor causas factum censet Albertus lib. 1. de animalib. cap. 11. vt sit via ceruicis, vt sit clypeus omnium membrorum mollium, vt sit fundamentum fabricæ corporis, vt fiant motus inclinationis & euectionis. Cæterum hæc corporis pars dorsum, dicitur secundum Probum, quod tota deorsum deuexa sit, & à ceruice ad cinctum protenditur; alio nomine vocatur Metaphrenon; quanquam alij volunt Metaphrenon partem illam esse dorsi, quæ est terminus & meta Diaphragmatis; quod Græci vocant φρένες, Celsus præcordia, alij septum transuersum, & est pellicula quæ vitalia viscera à naturalibus separat, impeditque ne cor & partes superiores ciborum vaporibus repleantur, aut calore aduentitio labefactentur; iuuat ad excretionem excrementorum alui; vocatur φρένες, non quod sapientiæ participatum habeat, vt iam pridem somniarunt nonnulli, quos irridet Hippocrates lib. de morbo sacro; sed quod mirabilem cõsensionẽ habeat cum cerebro, adeo vt eo læso, lædatur mens, quæ est interpretatio Galeni 5. de locis affectis, cap. 4. In anteriori parte corporis Diaphragma terminatur ea depressiori parte, quæ est initium ventriculi.

3. *Amplum beneque compactũ dorsum hominis robusti est.*

Qui amplum habent optimeque compactum dorsum, robustissimi sunt, & referuntur ad mares; qui paruum, imbecilles, referuntur ad fœminas: ita Aristoteles. Ratio ex superioribus satis patet; quod si preterea pilosum sit, adhuc maiorem calorem cordis arguit, vnde maior fortitudo.

4. *De Gibbo.*

Gibbositas est dorsi in posteriorem aut exteriorem partem distorsio oritur ab humoribus auctis, qui ligamenta molliant & soluant, aut ab incluso spiritu, vel etiam humorum abcessu, qui spondilos contorqueat; nihil loquor de casu, & percussione, quæ hunc affectum procreare potest.

Gibborum incuruorumque hominum halitus grauior ac fœdior est inquit Aristoteles sect. 13. probl. 10. quod locus pulmoni accommodatus, conclusus deflexusque à sua proceritate est; Itaque spiritum expedite transmittere nequit, sed euenit vt vapor ac spiritus amplius interclusus, putrescat.

5. *Pilosum dorsum Melãcholiã arguit.*

Quibus pilosum est dorsum, melancholici sunt ex immoderato calore bilem adurente, & contra naturæ morem in hac corporis parte fuliginosam materiam, hoc est, pilos extra cutem educente: Porro melancholici pertinaces sunt propter hunc humorem terrestrem, & à sensu suo difficile mobiles, vt in natura immobile est terræ elementum.

De Pectore.

CAPVT XXII.

1. *Quid pectus, quomodo cōformatum in hominibus, & aliis animantibus.*

PEctvs est anterior pars corporis, quæ à costis cōpactis dicitur, à collo ad ventrem vsque pertingit, & opponitur dorso, seu Metaphreno; laxum est, vt expandatur facilius ad commodiorem anhelitum. Omnibus auibus acutum, carnosumque est; acutum, vt melius volent, lata enim, quia multum aëris propellunt, difficilius mouentur; carnosum, quia quod acutum est, nisi plenè opertum sit, imbecillum est ita Aristoteles cap. 13. lib. 4. de partib.

In solis hominibus planum est, in reliquis animantibus carinatum, quod ante se crura, cum ambulant locumque mutant, protendunt, ideo pars hæc coarctata est & in carinam conformata.

2. *Pectus amplum vt plurimum magnum innuit calorem cordis.*

Primo pectus amplum & latum vt plurimum innuit magnum cordis calorem, cui suffragantur authorum testimonia & exempla; Achilles Græcorum forissimus dicitur à Darete Phrygio fuisse pectorosus & vt ait Poëta,

Nemo est forti pectorosior Marte.

Auicenna 2. primi cap. 3. inter alia signa complexionis calidæ, hæc affert, pectoris amplitudinem: extremitatis magnitudinem, pulsus vehementiam; venarum tumorem. Musculorum magnitudinem. Vegetius optimum Tyronem sic describit: *Adolescens Martio operi dedicandus, vigilantibus oculis, erecta ceruice, lato pectore, humeris musculosis, valentibus digitis, longioribus brachiis, ventre modicus, exiguis cruribus, suris expeditus, non superflua carne distentis, sed neruorum duritia collectis, cum hæc signa in Tyrone deprehendis, proceritatem non magnopere desideres; vtilius enim est fortes esse quam grandes.* Galenus etiam inter signa calidi cordis, pectoris amplitudinem numerat: verum summa hic cautio adhibenda est vt in cap. 29 libri artis medicæ, monet Thomas Rhodericus à Veiga; nam hoc perpetuo verum non est; nimirum amplitudo pectoris quandoque sequitur cordis calorem aliquando capitis magnitudinem, licet non adeo calidum sit cor, nam ad cerebri magnitudinem sequitur caluariæ amplitudo, & ad eam vertebrarum amplitudo ad vertebras costæ, ad costas pectus latum; Si ergo cum capitis paruitate vel mediocritate adest pectoris amplitudo, necessario colligitur ex eo signo cordis calor, si cum capite magno, non colligitur inde necessario calida cordis temperies, sed ex aliis signis indaganda est, vt est respiratio & pulsus frequens, velox iræ præcipitatio, audacia, ac maxime pectus pilosum de quo statim.

3. *Gracile timiditatē arguit.*

Gracile & imbecille pectus; animi pusillanimitatem & timiditatem indicat, quia frigiditatem cordis adiunctam habet; ita Polemon, Adamantius, Conciliator, Auicenna, Porta.

4. *Latius pectus ad vomitum propensius.*

Quibus latius pectus est, magna ex parte ad vomitum propensiores. Id tū in quadrupedum, tum in Auiū, tum in hominum genere obseruatum testatur Aristoteles ad finem lib. 9. de Histor. vomitus nihil aliud est, quam excretio eorum humorum, qui in stomacho fluctuāt.

Eius

Eius causæ sunt, præter arbitrij imperium, acris & mordax ciborum ac humorum qualitas, nimia eorumdem quantitas ventriculũ prægrauans, retentrix facultas elanguescens, expultrix robusta; forte igitur quod dixit Aristoteles, orietur ex nimia ingluuie, quæ latioribus pectoribus sit frequentior, vnde humores magnam corruptelam cõtrahant, & mordeant ventriculum. Præterea quod retentrix facultas elanguescat ab nimio onere, aut ex eo quod licet non adsit ingluuies, tamen non adeo bene ventriculus in lato pectore cibos complectatur, & œsophagus amplior, protensior sit ad egerendum vomitu chylum.

5. *Pilosum, cordis calidi indicium est.*

Pectus pilosum calidi cordis indicium est, nam sic multæ fuligines procreantur in parte proxima cordi cuiusmodi est pectus: nec diffiteor si adsit calidum cor, dorsum pilosum fore, at multo pilosius pectus: quia calidior est anterior pars, quam posterior, quoniam cor ob crassitiem ossium minus in posteriora operatur. Adde quod vertebræ frigiditate sua calorem cordis infringunt, atque ideo rigores per dorsum crebriores inuadunt, sicut sudores multo frequentiores in pectore quam in dorso. denique cor, licet in medio penè locatum sit thoracis, antrorsum tamen suo mucrone vergit. Atque hinc summam naturæ prouidentiam demiremur, quod cordis (quæ vna pars ex omnibus corporis partibus calidissima est, atque vt ita dicam ignea; propterea coni seu ignis figuram obtinet, quod cordis, inquam acumen sursum non dirigitur, ne plures quam par est, ad cerebrum vapores emittat, frigidamque eius temperiem præuertat.

6. *Cur caput pilosius quam pectus cum cerebrum frigidum sit, cor calidum.*

Verum hic soluenda occurrit quæstio cum Ioanne Tardino, cur cum multo calidius sit cor, immo & iecur, quam cerebrum, tamen caput multo copiosiores, prolixiores, crassioresque effundit pilos, quã vel thorax, vel hypocondria; vnde videturse qui, quod calidior temperies non sit promouendis pilis conuenientior. Respondetur primo, quod cutis capitis multo crassior sit cute reliqui totius corporis; vbi autem tenuior est cutis, materia, ex qua pilus constat, exhalat, antequam in pilum conuertatur. Respondetur secundo, cerebrum, licet innato temperamento frigidum sit, & humidum, ex eo tamen quod cordi è directo superponatur, copiosum ab eo calorem, (quamquam non immodicum propter rationem iam assignatam) excipere, per suturas ad radices capillorum postea transmittendum: Atque hunc situm directum cerebri supra cor plurimum posse ad pilorum productionem, patet ex eo, quod cætera animalia in quibus cor cum prona sint, directe capiti non respondeat, sed dorso & initio colli, in his duabus partibus postremis, pilis abundant (nisi materia in cornuum productionem transeat) non autem in capite. Atque in hoc iam laudatus auctor naturæ solertiam, quæ sapientiæ imago est, vt ait Plotinus, atque ordinaria Dei potestas, demiratur; Cuique enim parti pilos distribuit iuxta cuiusque conuenientiã, equis copiosos ad caudam relegauit pilos ad muscas & strigmenta cutis, quibus infestantur, abigenda: leporibus pilosi admodum pedes: ne dum cauernas sibi moliuntur, aut dum fuga frequẽter saluti suæ consulunt, quoniam vt imbecille; ita meticu-

losum est animal, occursu durioris corporis, terræ, lapidum, rupiumque, cutis nuda læderetur, & penitus deperiret: homini autem decentiores, tum vtiliores erant copiosiores capilli in capite, quam in thorace & hypocondriis, ideo maiori capillitio, siue ornatum, siue conuestitum est caput.

7. De pectore carnoso, rubescente.

Valde carnosum pectus, rudem, & timidum ostendit: vt scribunt Polemon, Adamantius: scilicet copiosi humoris indicium est. Pectus rubescens, difficilis iræ virum ostendit, propter summum cordis calorem: ita Albertus.

De Brachiis, & Axillis.

CAPVT XXIII.

1. Brachij significatio compositio, flexus.

ALIQVANDO brachium significatione complectitur totum illud corporis membrum, quod ab humero ad digitos vsque protenditur: interdum pressius sumitur, adeo vt partem duntaxat superiorem ab humero ad cubitum, vbi sinus & flexus est significet; quod vero reliquum ad vertebram manus, lacertus appellatur. Constat lacertus ossibus duobus, cubito, radio: cubitus est os exterius, radius, interius, cubito paulo breuius vt flecti ad anteriora possit.

Attende verò quam merito arboreum animal veteres hominem nuncuparint; quod in arbore radix est, hoc in homine caput, vnde alimentum sumitur; trunco thorax, ramis, brachia, respondent. Quod si hominis cum brutis contentionem facere libet, brachia hominis anterioribus quadrupedum cruribus, crura posterioribus cruribus eorumdem quadrupedum respondent.

Verum de flexu hoc notandum discrimen: nam quadrupedes crura priora inflectunt antrorsum, posteriora retrorsum, seu flectunt illa in curuum, hæc in cauum: At homo brachia in cauum flectit, crura antrorsum & in curuum. Semper autem in hominibus commutatim contrarios membra habent inflexus: vt cubitus ad concauum, manus autem carpus ad curuum, similique modo in cruribus femur ad concauum, genu vero ad curuum, pes autem contrario modo ad concauum. Et inferiora profecto ad superiora manifestum est contrario se habere modo; principia namque contraria; humerus quidem ad curuum, femur autem ad concauum: & cubitus sane ad concauum, genu vero ad curuum, pes vero contrario modo ad concauum. Et crurum quidem inflexus tales ob causas hoc se habent modo. Ita Aristoteles l. de incessu animalium cap. 13.

2. Brachia ossibus instructa robustum indicant.

Brachia ossibus amplis neruisque instructa, robustum indicant: Neruæ, & Murenæ olim dicti à fortitudine & neruoso corpore, vt ait Cassiodorus in libris Variarum. Data vero sunt ossa ad stabilitatem, rectitudinem, speciem, roburque; quam ad rem notat Aristoteles ad sustentaculum cordis, in quodam genere boum insertum esse os, quod nimiam amplitudinem cordis fulciat. Et vero leo robustissimus animalium ampla & solidissima habet ossa, quæ medullam exiguam continent; adeo dura, vt ex illis concussis quasi ex silice ignis excutiatur, ex Aristotele lib. 3. de histor. c. 7. imo & Galenus 11. de vsu partium

tium cap. 18. aues rapaces quò viribus præpolleant, vt Aquilas, Accipitres, densissimorum ossium cõpage constare affirmat: Aquilas primum, primum, tum accipitres, deinde alias, dura autem sunt ossa non à concretione vt glacies; non à tensione vt tympanum, sed à siccitate: sicca vero sunt à calore humidum exhauriente: quare manifestum est, ossium amplitudinem cum magna duritie coniunctam, maximi caloris notam esse, cum robur calorem consequatur.

3. *Soluitur obiectio.*

Oppones sicca & frigida esse ossa, quare caloris argumentum ex ossibus non recte sumi. Respondeo præcipuum Architectum ossiũ esse calidum pingue crassius, quod humidum exhaurit; vbi humidum, caloris fomes & esca, exhaustum est, euanescat calidum necesse est; sunt ergo roboris signum calorisque brachia amplioribus ossibus instructa, qualia habuisse crediderim Cæsarem Borgiam ducem Valentinum, qui currentem in arena taurum vno per ceruicem ensis ictu integrum detruncabat, ac Cunipertum regem Longobardorum qui duos verueces miræ magnitudinis, lana, dorso tenus, in singulas manus apprehensos à terra leuabat, ex Paulo Diacono lib. 5. de rebus Longobardorum cap. 40.

4. *Quid ad iutorium dicatur in brachio.*

Atque hic aduertendum est Albertum vocare superiorem vlnarum partem, adiutorium (nos brachium stricta significatione) quod huius totius membri robur consistat in hac parte, aitque constare vno osse forti, rotundo, curuo: vno, ne virtus in plura diuisa debilitetur; forti, quia multa simul immediate & mediate colligare, confortare, & sustentare debet; rotundo, vt à nocumentis sit tutius; curuo, propter duo, vt contineat melius magnitudinem musculi, & multitudinem neruorum, qui melius in curuo, quam in recto absconduntur, & firmius locantur: præterea vt per hanc figuram melius subducat se à nocumentis & melius corpus amplectatur & stringat, quod est stringẽdum. Ita l. 1. de animalibus, tract. 2. c. 12.

5. *De Brachiis longis, breuibus &c.*

Brachia valde longa adeo vt manus ad genua peruadant, qualia habuisse Darium Longimanum Persarum regem refert Strabo lib. 15. calorem magnum, corporisque robur denotant. Calidum & humidũ simul iuncta, ait Albertus 2. de anima, faciunt magnam diffusionem, quod nemo negabit, qui pueros attenderit, quos primo septennio propter calorem summum & humorem quo constant, plus dimidiatam staturam, quam reliquo vitæ tempore habituri sunt, acquirere certum est; quod si venæ appareant, adhuc maius est caloris argumentum, cum in fœminis quæ frigidæ sunt, numquam videantur apparentes venæ.

Brachia breuiora, argumento à contrariis sumpto, quid signficent, constat; Sed hic forte desiderare quis posset, vt dicatur quænam iusta sit brachiorum magnitudo, vt quæ ampliora sint, coniicere possit. Respondeo, cum extenduntur brachia, tantumque est interuallum inter extremos digitos vtriusque manus, quantum inter verticem capitis & pedes, adeo vt longitudo & latitudo hominis æquæ sint, tũc iustã esse brachiorum magnitudinem.

Brachia carnosa mollem virum, pilosa libidinosum, exilia imbecillem significare non dico, hoc enim satis patet ex superioribus.

6. *Axillæ pilosæ fortitudinem indicant.*

Quod attinet Axillas, certum est apud veteres Græcos viri fortis indicium fuisse fruticantem pilorum syluam sub axillis: Mulier quædam apud Aristophanem in Concionantibus haberi pro viro affectans, ait, *habeo alas horridiores sylua:* nimirum, vt paulo infra ait Comicus inter suffragia solitũ attoli τὸν ἕτερον βραχίονα: Id autem fiebat vt cerneretur pilorum copia: Atque ea de causa pilos sub axillis nutriebant, vt, cum in concionem venirent, axilla denudata viderentur esse viri, & quidem fortes viri: Ac quoniam Numidæ mollissimi erant, & vt de nonnullis loquitur Clemens Alexandrinus lib. 2. pædagogi pilis infesti, florem virilem abhorrentes; Ideo eos sugillat Tertullianus de pallio cap. 4. *vnde apud hirtos & hirsutos tam rapax ab ala resina.* Sed hæc & alia plura vide apud Ludouicum de la Cerda in hunc Tertulliani locum.

De Mammis.

CAPVT. XXIV.

1. *Varij fines propter quos datæ mammæ.*

MAMMAS primario vt vult Aristoteles dissentiẽte Galeno dedit natura ad cordis propugnaculũ eiusque caloris cõseruationem, non autem ad lactis generationem, quamquam & hic finis à natura spectatus est in animalibus iis quæ intra se concipiunt, & fœtus animatos in lucem edunt. Primario autem intento frustrari naturam non decet, quod sane fieret si primarius finis foret lactis generatio, cum viri æque ac fœminæ mammati sint, nullam tamen lactis efficiendi habeant facultatem nisi forte cum excipias, de quo Cardanus libris de subtilitate, è cuius mammis tanta lactis copia profluebat, quantam fere nutrix ad puerum lactandum suppeditat. Dicũtur etiam viri noui orbis lacte abundare, sed, vt ait Andreas Laurẽtius in historia Anatomica l. 9. c. 2. hoc virorum lac non est verum nec exquisite coctum, nec fit vera mammarum coctione, sed tantum ex reliquiis alimenti proprij, vnde non est exquisite album, nec dulce nec moderate crassum, nec alendo infanti accommodatum.

2. *Compositio.*

Componuntur mammæ ex carne glandulosa, alba, molli, foraminoleta, & spongiosa; Ac ex illis maxime superfluitates cordis & pectoris euaporãt; quem etiã ad finem datæ censeri possunt. Ac eas Hippocrates lib. de glandulis numerat inter glandes, quarum est corporis sordes absorbere; additque, si mulieribus mammæ morbo adimantur, futurum vt vox sit asperior, humores in gulam ferantur, multo sputo vexentur, caputque doleant. venis constant, neruis & arteriis: ideo adeo exquisito sensu pollent. Earum apex vocatur papilla, Græcis θήλη, circulus vero niger, qui papillã ambit, Græcis, φῶς, vocatur, & nihil aliud est quam venarum, & arteriarum concursus, habentque mirum consensum cum corde, hepate, cerebro, ventre.

2. *Coniectura.*

Quod si viro pendulæ sunt mammæ, mollique carne vestitæ, effœminati hominis habes argumentum, hoc est, mollis & frigidi; fœminarum enim proprium est mammas habere laxas & pendulas.

De

De Costis.

CAPVT. XXV.

1. *Quid costæ, carum amplitudo fortitudinem arguit.*

COSTÆ sunt ossa arcuata, quæ intestina custodiunt: oriuntur ex spina dorsi: diuiduntur in veras seu germanas & adulterinas, nothas, seu spurias; veræ cum sterno articulantur, & ad circinum rotundantur: Adulterinæ non absoluunt ambitum: Costarum amplitudo ex copia caloris, tenuitas & exilitas ex eiusdem inopia manare iudicanda est: Quare Aristoteles bene costatos ad fortes & masculos refert, male costatos & debiles ad fœminas, atque illos esse fortes secundum animam; hos timidos.

2. *Earũdem tumor loquacitatẽ.*

Costarum tumor (sunt enim qui valde tumida habent latera, ac tanquam inflata) loquacitatem magnam innuit: Ratio huius rei apud Fontanum hæc est; latera tument ob costarum amplitudinem, & lacertorum inspirationi seruientium crassitiem; quare qui huiusmodi latera habẽt valida, respirandi facultate præditi sunt, quæ facultas inclinationem dat ad multam loquacitatem; neque enim magna longaque locutio sine magna respirandi facultate constare potest; ita ille, breuius dici posset, & meo iudicio melius, costarum tumorem, loquacitatemque ex eodem caloris excessu manare; videatur sequens caput 27. de Ventre.

3. *Loco Costarum vnum os perpetuũ.*

Sub Adriano Imperatore extumulatum est cadauer Rotophanis Magnesij summi Pancratiastæ qui eodem die omni certaminũ genere victor extiterat in Olympiis, & vt refert Porta, loco costarum vnum perpetuum os repertum est, quod summæ fortitudinis indicium est.

De Lumbis.

CAPVT XXVI.

1. *Corporis diuisio.*

CVM Medici σκέλετον diuidunt, tres partes statuunt, caput, truncum & artus: Artus sunt brachia, manus, fœmora, crura, & pedes: Truncus in spinam, costas, atque alia nonnulla ad ea pertinentia, & os innominatum diuiditur. Spina quatuor habet partes, ceruicem quæ septem vertebris; dorsum, quod duodecim; lumbos, qui quinque; os sacrum, quod vertebris quatuor constat. Costas iam diximus esse, veras numero septem, & nothas numero quinque, quibus os sterni, anteriore parte; claiculæ, superiore; & scapulæ posteriore annectuntur: ossis innominati partes tres sunt, ilium, ischium, & os pubis: thorax vero est trunci pars, ex pluribus iam dictis partibus, aliisque nonnullis composita: sed iam ad lumbos veniamus.

2. *Qui circa lumbos bene compacti fortes, ad libidinem propensi.*

Qui circa lumbos egregie compacti sunt, roborosi, & luxuriosi censentur: Roborosi, quia cum robur potissimum constet musculorum ministerio, duo musculi à lumbis oriuntur, alter ad extendendum, alter ad contrahendum, lumbi reliquam dorsi partem vt fulcra sustentant: luxuriosi, quia quo validiores lumbi, eo potentiores, & calidiores renes, per quos generationis humor decurrit; hinc est, quod castitatis consectandæ suos monens

monens Christus Lucæ 12. *Sint* inquit, *lumbi vestri præcincti. At lumbos præcingimus*, inquit Gregorius *cum per continentiam carnis luxuriã coarctamus*: Et recte ad Iob dicitur, *Accinge sicut vir, lumbos tuos; vt in iis esset resistendi præparatio, in quibus est libidinis vsitata damnandi occasio*, vt inquit Isidorus. Et vero dicti sunt lumbi à lubedine seu libidine, vtrumque enim apud antiquos promiscuum fuit. Atque hinc facile videre est lumbos fractos esse imbecillitatis argumentum: verum vt aliam coniecturam adiiciam.

3. *Aliæ obseruationes de Renibus.*

Lumbi tremuli pro maximo luxuriæ signo habentur; frequens enim lumborum motus calorem excitat, qui in eiusmodi partibus libidinis incentiuum est; Et vero Aristoteles, eos, qui frequentius equitant, non aliam ob causam salaciores ait, quam quod maximum patiantur lumborum motum. Prçterea qui maximam in corpore puritatem affectatur, cauet ne decubitioni assuescat; sic enim maximus in renibus procreatur calor, qui corpus contaminet. Atque iterum Aristoteles cap. 9. lib. tertij de partibus, vult dextrum renem esse minus pinguem quod dextra pars mobilis sit, motus autem liquat pinguedinem & consumit, scilicet excitãdo calorem. Sane renes debent esse pingues, vt magis calidi, nam lumbi carne vacant, vt flecti possint: omnium enim flexus excarnes sunt: Itaque vice carnis, adipe renes obsepti; quin etiam humorem melius discernunt & concoquunt sua pinguedine: Pingue enim omne, calidum est, calor autem concoquit. ita Philosophus.

Renes quadrupedibus dati, vt serum secernant, semen elaborent Carent aues & pisces; illæ propter plumarum copiam in quam abit serum; isti propter inopiam sanguinis & seri.

De Ventre.

CAPVT XXVII.

1. *Quid venter amplus & contractus arguat.*

VENTER sumitur pro illa corporis parte, cuius medium obtinet vmbilicus; est vero in medio latitudinis, animalis situs, vt commune partium omnium promptuarium.

Quibus venter amplus est & contractus, fortes sunt & robusti: hæc propositio recte probatur à Camillo Baldo; robusto multus calor inest: quare & multum humidi consumit, ergo multa eget instauratione hoc est multo cibo. At cibus si multus est necessario & locum requirit amplũ, in quo reponi naturaliter possit; locus autem cibi est venter; ergo robusto amplus venter requiritur in quo multus cibus ingeri possit: verum non solum amplitudo & capacitas requiritur, sed etiam quod sit contractus, hoc est, non tumens non prominens, vt in prægnantibus & ventrosis, non inflatus vt in hydropicis, gulosis hominibus & helluonibus: In his enim præter naturam amplus est; sed compressus & contractus, esse debet, hoc est, concauus potius, quam conuexus, quoniam hæc compressio vigorem musculorum abdominis & robur eorundem docet; robusto enim duri & compressi adsunt musculi, cuius indicium est quod ex opposito debilis habet carnem musculorum flaccidam: quare cui non est flaccida secundum naturam dispositio, ille non est debilis: At non flaccida caro

in

ineſt ei cui muſculi ſolidi & duri exiſtunt, ergo qui carnem non flaccidam habent, illi muſculos robuſtos nacti ſunt, quare & robuſti exiſtunt: hæc ille, cui nihil addi poteſt, niſi quod breuiter muſculorum natura aperienda eſt.

2. *Quid muſculus*

Vocatur muſculus vel lacertus à ſimilitudine muſculi vel lacerti: definitur ab Andrea Laurentio lib. 1. *Pars organica quæ neruis, tendonibus, venis, arteriis & tunicâ propriâ eſt contexta:* Nerui ſunt ſpirituum vehicula; tendo muſculi firmamentum eſt; caro quæ princeps eſt pars, fibras diſcriminat; venæ quaſi auxonariæ ſanguinem vehunt: Arteriæ: ſpiritus qui caloris ſedes ſunt, tranſmittunt, tunicæ ad muſculi propugnaculum comparatæ ſunt. Et vero ex conſtanti Anatomicorum conſenſu, motus voluntarij organũ muſculus eſt, adeo vt quo muſculoſius corpus, eò non modo roboroſius ſit, quod ex ſe notum eſt, ſed etiam facilius, veluti habenarum motu, huc illucque eques equum, ita animal muſculorum motu ſe, quam in partem vult agat.

3. *Venter obeſus & magnus quid innuat.*

Quibus venter obeſus & magnus apud omnes Phyſiognomos, ad luxuriam propenſiores: Ratio eſt, quia calidiores ſunt, At Galenus; *craſſi-venter non erit ſubtilis intellectus.*

4. *Quid piloſus.*

Qui ventrem habet piloſum, luxurioſus & garrulus eſt; prioris ratio iam pridem inſinuata, & in vniuerſum oraculum eſt in facultate Phyſiognomica, qui corpore valde piloſi ſunt, dorſo, pectore ventre, fœmoribus, tibiis, in libidinem propenſiores. Peculiaris autem ratio hic eſt, quia magna partium procreationi deſtinatarum caliditas arguitur. Poſterioris rationem affert Cocles: Aues garrulę habent ſanguinem, ſpirituſque leues, facile ad iucunditatem excitantur, quam multiplici garritu effundunt, & quia mares ſemper fœminis calidiores, ideo citiùs, vehementiuſque ſemper cantant: At vero quæ aues maxime garrulæ ſunt, valde piloſæ ſunt circa ventrem: propter calorem vaporatiuum, qui potior eſt in ea parte, vbi concoctio viget, Quo fit vt ventris caro exquiſitiſſimi ſaporis ſit; ex quo pari coniectura ducere poſſumus, cur homines piloſi circa ventrem valde loquaces ſint: oportet enim valde calidos eſſe ſubtilioriſque ſanguinis & ſpiritus, ex quo intelligentiæ celeritas conſequitur, hanc vero loquacitas.

Hactenus dicta, quam commodus & laudatus ſit moderatus venter, manifeſte inſinuant.

5. *De Ventre paruo.*

Attexo ex Ariſtotele lib. 3. de Hiſtoria Anim. cap. 16. quod & ventrem, & nonnullas alias corporis partes ſpectat; *quibus multum, inquit, eſt carnis, iis venæ arctiores & ſanguis rubentior, & venter, ac viſcera parua; quibus parum, iis venæ ampliores, ſanguis atrior, viſcera maiora, & venter auctior: pingueſcunt intra carnem, quibus paruus eſt venter*; rationes horum Apoteleſmatum ex hactenus dictis peti debent.

De Vmbilico.

CAPVT XXVIII.

4. *Quid Vmbilicus, & quis eius vſus.*

VMBILICVS eſt id, quod in quaque re medium eſt; ſic apud Euripidem Delphi dicuntur ὀμφαλὸς γῆς, quod in orbis medio

ſiti exiſtimarentur; & Plinius Italiæ vmbilicum ait eſſe circa lacum Reatinum, quod ibi medium Italiæ ſit; ſumitur autem hic vmbilicus à nobis, pro illo inteſtinorum vinculo, quod mediam ventris planitiem obtinet ad embrionis nutrimentum, & vrinæ, quandiu in vtero eſt, ſecretionem comparatum; eſt vero, vt inquit Ariſtoteles ſect. 10. probl. 45. in reliquis animalibus exiguus, & incertus; in homine vero ſatis magnus, & tuberoſus. Iam diximus ſupra cap. 1. art 9. quomodo in corpore humano centri ratione͂ habeat.

2. Obſeruatio de dimenſione hominis.

Vera hominis dimenſio eſt, vt id totum ſpatium, quod interiacet imum colli, & furcam corporis, qua in duo femora aperitur, tres in partes æquales diuidatur; prima à furca ad vmbilicum, altera ab vmbilico ad furculam pectoris ſeu diaphragma, tertia à diaphragmate ad gulam; hunc qui commenſum habuerit: optime corpore ingenióque conſtitutus cenſendus eſt; ſed vt in pleriſque aliis, ita hic peccat ſæpe natura; cætera enim vt prætermiſſa abire patiar, narrat Cocles hominem vidiſſe ſe, qui partem eam, quæ vmbilicum & diaphragma interiacet, quinque digitorum latitudine maiorem haberet, ea, quæ à diaphragmate ad gulam protenditur.

3. Quibus regio inter vmbilicum Septumque tranſuerſum maior eſt guloſi ſunt.

Qui regionem, quæ inter vmbilicum ſeptúmque tranſuerſum, ſeu diaphragma interiacet, maiorem habent ea quæ inter collum ſeptumque tranſuerſum vallatur, guloſi, eſuriones, atque ſtupidi ſunt: ita Ariſtoteles. Guloſi quidem ſunt, & eſuriones, quia cum venter ea parte contineatur, quæ diaphragmate, & vmbilico vallatur, oportet vt magnitudine ſuperet reliqua membra corporis in proportione, ipſumque ſit valde vaſtum; At quo vaſtior ſtomachus, eo plus appetit, & comedit, & quia plus comedit quam neceſſum ſit ad reliquum corpus enutriendum, multum alimenti ſuperfluum eſt, hinc immenſa eſt vaporum copia, qui cerebrum ſenſuum ſedem obſtruunt, ex quo ſtupiditas manat, & inualetudo.

4. Quibus regio vmbilico ſubiecta minor eſt, vitæ ſunt breuioris.

Qui ſpatium vmbilico ſubiectum maius habent, quam ſuperius ad pectus pertinens, hoc eſt, vſque ad ſeptum tranſuerſum, vitæ breuioris, imbecilliſque viribus ſunt, Rationem adfert Ariſtoteles ſect. 10. probl. 63. quia tunc venter ob ſuam breuitatem frigidus eſt; itaque vt paruam vim concoquendi obtinet, ſic excrementis abundare aptiſſimus eſt; morbis autem ob id nimiru͂ pate͂t, qui tali ventre conſtant; Sumit hic Ariſtoteles ventrem pro ſtomacho; notum enim eſt apud Medicos triplicem cenſeri ventrem; ſuperiorem, qui membra naturalia animata, vt caput, continet; inferiorem, qui membra alimento parando deſtinata; medium, qui membra ſpiritualia, vt vocant, ſuo ambitu complectitur. Inferior ſeruit nutritioni, & generationi, vocatur à Platone appetitiuus, quia continet appetitionem vegetatricis facultatis, famem ſitim: aliquando præſepe appellatur, quia nutrimentum excipit, tranſmittitque in reliquum corpus.

5. Cur cum dolet ſtomachus totum corpus dolet.

Verum hic occaſione parui ſtomachi excrementis multis, ac propterea doloribus obnoxij; addendum eſt, dolente ſtomacho omnia membra dolere: primo, quia impedita prima digeſtione reliquæ omnes male fiunt neque poteſt primæ defectus poſtea recte ſuppleri, neceſſe autem eſt in vniuerſum corpus malum propagari, ſi male fiunt digeſtiones

gestiones: Secundò, quia stomachus cum corde ac potissimum cerebro, (quarũ duarum partium in totũ corpus insignis dominatus est) magnũ consensum habet; quam ad rem non incongruum erit verba Alexandri Aphrodisæi referre probl. 36. l. 2. *Consensus rerũ, atque effectus communis trifariam fieri solitus est: aut enim per cognationem, vt cerebri & stomachi (habent enim communem copiam neruorum;) aut per situs propinquitatem, vt cordis & stomachi, sic enim cor sentit, quoties materia acrior stomachum mordet, mouetur que ad id expellendum, quod molestum est; aut per transitionem, vt cum pedis digito offenso inguen tumescit: dum enim vis naturæ cum sanguine ad partem læsam festinat, adones inguinis sanguine implentur, & contumescunt.*

De Coxis.

CAPVT XXIX.

1. *Quid coxæ.*

COXA seu coxẽdices sunt ossa, sacro ossi vtrimque pertinaciter stricta, cauaque habent acetabula, quibus ossium femoris capitula inseruntur: coxæ vocantur quasi conuexi axes: in ipsis enim femora mouentur, Græce vocantur ἰσχίαι, vnde ischiadicus morbus, & ischiadici qui coxendicibus laborant; vulgus anchas appellat. Porro sacrum os vocatur quia magnum; sic Homero pisces magni, sacri sunt.

2. *Ossea robustum indicant.*

Qui coxas osseas & neruosas fortiuntur, robusti, referuntur ad masculos; ita Aristoteles: Ratio autem, (quæ eadem valet in omnibus ossibus femorum, genuum, crurum) hæc est, quia non potest esse amplum os, cum naturæ frigidæ siccæque sit, nisi maxime vigeat calor; Et quidem potissimum locum habet hæc ratio in ossibus inferioribus, quia cum caloris sit proprium ascendere, nisi copiosus esset, omnino inferiores partes valde calore destitutæ remanerent videri potest cap. 23. huius libri.

3. *Carnosa timidum.*

Qui coxas valde carnosas habent, molles sunt, timidi, frigidi; referuntur ad fœminas, ita Aristoteles, consentit Rhases: *Coxæ*, inquit, *cum exterius multas habent carnes, fortitudinis imbecillitatem declarant:* Adstipulatur Conciliator; *Ancharum ossa exterius tensa fortitudinem insinuant, nisi in eis carnositas contingat:* Ratio iam statim proxime dicta est: debet autem pro certo haberi, quicumque partes inferiores, vt femora & crura habent carnosiora, quod fœminarum proprium est, eos frigidos esse; cum enim desit calor, siquid crassioris est in alimento, in ima subsidit.

4. *Graciles libidinosum.*

Qui anchas graciles habent, sæpe libidinosi sunt; cuius ratio facile patere potest ex eo quod problemati, Cur claudi salaces sint, respondet Aristoteles, scilicet cum femur male affectum est, quod in femoris alimentum cedere deberet, conuertitur in materiam seminis, pariter quoque gracilitas coxarum ex eo contingere potest, quod in semen ipsarum alimentum conuertatur.

5. *Tensæ ad cursum expedita.*

Qui coxas valde tensas habent, egregij sunt celebresque cursores, quia multo melius articulata habẽt femora, & ad cursum propterea, incessumque expeditiora; Atque in simili in triremibus qui valde explicatos solutosque habent humeros, fortissimi præ cæteris æstimantur;

nec vlli pistores valentiores sunt ad massam pugnis subigendam, quam qui maxime agiles solutasque habent omoplattas, vt diximus supra cap. 20.

De Femore, Genu, Crure, Talis.

CAPVT. XXX.

1. *Quid femur.*

FEMEN vel femur dicitur à ferendo quod reliquum corpus sustentet & fulciat. Proprie vero, teste Valla lib. 4. femina dicuntur partes posteriores; femora, partes anteriores: Homerus ille, sacerdotis Ægyptiæ filius ex Mercurio, dictus est femorosus, quod pro missos crines in vtroque femore haberet.

2. *Quid Genu.*

Genu est curuatura, qua femur cruri committitur, dicitur à genis, quia dum infans in vtero gestatur, complicatus est, suntque genua genis opposita; vnde, vt ludunt nonnulli, cum supplices veniam petimus & procidimus ad genua, lachrymas oriri continuo propter genarum, oculorum, genuumque mirabilem sympathiam: Est vero genui ad præsidium munimentumque adhibitum os, quod patella, mola, rotula appellatur, feruntque cum apertum esset Aiacis sepulchrum in littore, visam fuisse molam genu disci magnitudine, ex quo licet proceritatem tanti corporis æstimare.

3. *Quid crus*

Crus est tota illa pars, quæ à genu ad extremos pedis digitos pertingit, à currendo dicta, quod crurium ministerio in cursu vtamur, vel à verbo, κρόνω, quod inter ingrediendum huc illucque feriant: constat partibus, tibia, sura, tibia est os cruris, oppositum suræ, & committitur cum inferiore parte femoris, sicut cum humero, cubitus; fuit olim tibia instrumentum Musicum oblongum, teres, perforatum, ita nominatum, quod ex ossibus tibiarum conficeretur. Sura posterior pars cruris carnosa, quæ tantum in homine est, reliqua animalia sunt sine suris; ascendendo maxime cruribus laboramus, quia totum corpus, quod cum aliqua contentione illis innititur, sustinent; at descendendo, femoribus, quia præter solitum extenduntur, in longitudinem, quare vacillant sub pondere corporis, quod eis incumbit, versanturque qua thorax procumbit; vt ait Aristot. sect. 5. prob. 24.

4. *Nonnullæ coniecturæ ex his partibus ductæ.*

De his partibus omnibus in vniuersum dico, earum osseam grossitiem, caloris & fortitudinis masculeæ esse insigne, carnosam crassitiem, frigiditatis & fœmineæ timiditatis: Speciatim vero hæc dici possunt; cui genua inter incedendum nimis propter debilitatem nutant, argumentum esse debilis intellectus; nam indicium est debiles esse neruos; non sunt autem debiles nerui, nisi sit debile cerebrum, at vbi male affectum est instrumentum, male quoque afficitur potentia.

5. *Crura gracilia libidinosum indicant.*

Quicumque crura gracilia & neruosa habent, luxuriosi sunt; referuntur ad aues: ita Aristoteles. at huius Apotelesmatis Aristotelici occasione duo sunt hic nobis cum Camillo Baldo discutienda:

6. *Aues rapaces non sunt falaces, nec fœcunda.*

Vnum est, an aues sint luxuriosæ: certum autem est omnes aues, tam nocturnas, quam diurnas, quæ aduncum habent rostrum, &

& vngues curuos, minime salaces esse, nec multiparas, vt ait Philosophus 3. de Generat. Anim. cap. 7. ratio est, quia in huiusmodi auibus fere omne alimenti excrementum in pennas & vngues abit; semen autem genus quoddam est excrementi; quare semine minime abundant: atque hoc modo summus rerum omnium parens Deus, omni auium generi simul consuluit, tum iis, quæ raptu viuunt, tum iis quæ rapacium præda futuræ erant; neque enim, si illæ salaciores fœcundioresque fuissent, fieri potuisset, quin istæ continuis tantarum auium raptibus penitus delerentur; quin etiam illæ defectu prædæ, quæ cito absumpta fuisset, inedia conficerentur: præterea quomodo rapaces aues & multorum pullorum fomento in nido, eorumque victui, tanto labore, quæritando satis esse potuissent? Cæterum rapaces aues si excipias, omnes aliæ salaciores sunt.

7. *Per aues, gallos intelligit Aristoteles.*

Alterum est, quid hic per aues intelligat Aristoteles, cum omnes non sint salaces? Alexander Aphrodyseus Gallos intelligere arbitratur: Et sane vox Græca ὄρνιθας, qua hic vtitur Philosophus, Gallos interdum significat; sunt vero Galli salacissimi, vt quotidiana constat experientia: illorum autem crura gracilia sunt, dura & ossea, & calcaria habent; quæ omnia sunt siccitatis indicium: Semine abundant & calore cum salsedine quadam spirituosa coniuncto. Iam igitur ait Philosophus: qui gracilia habent crura ad Gallos referuntur, & libidinosi sunt: cuius ratio eadem est, quæ pro coxis gracilibus iam à nobis allata est.

8. *Crura parua timidorum propria.*

Porro Aristoteles in figura hominis timidi crura parua non omisit, quod generatim verum est propter debilitatem caloris, nisi aliunde contraria signa suppetant; Selinus primus; qui maxima bella confecit, regem Persarum vicit, imperioque suo adiecit Ægyptum, Syriam, Ciliciam, Armeniam, breuissima habuit crura, longum vero corpus, adeo vt equo insidens pulcherrimus haberetur: pedibus vero insistens nisi lõga veste, vt illi nationi mos est, indutus, monstrum referebat: At licet breuia essent crura, crassa tamen erant ac robusta. Quã dispar Eduardus, primus Angliæ Rex, qui à tibiarum longitudine Langscanz dictus est, vt prodidit Hector Boethius l. 14.

9. *Quibus crura peruertuntur timidi sunt.*

Quibus crura & tibiæ progressu ætatis peruertuntur, humidiores sunt: nam membra inferiora admodum madefacta & emollita, ac proinde debilitata, pondere superimposito deprauantur, quomodo arundinem pondere superinducto flecti necesse est; rem autem duram & siccam esse validiorem, humidam vero mollem & imbecillam, quamquam satis patet, argumento sunt homines ipsi, vt reliqua taceam; quippe si qui per luxum balneo & poculo immodicè vsi sunt, imbecilliores redduntur; sed si per frugalitatem modice, sæpe resiccarunt, robusti & efficaciores euadunt: ita Alexander Aphrodyseus l. 1. probl. 7. dum rationem affert, cur spadonum crura peruertantur, quam non vult aliam esse, quam nimiam huiusmodi hominum humiditatem, & excrementitiam redundantiam.

10. *Suræ deorsum contractæ fortem virum innuunt.*

Suræ deorsum contractæ fortem virum innuunt, & ea figura forti viro ab Aristotele tribuitur. A contrario signo suræ sursum ductæ & prægnantes, timiditatis sunt indicium

Aristotelis iudicio, dum timidi figuram describit: Ratio est, quia hæc dispositio ab humiditate oritur contraria vero à calore vegetisque musculis.

II. *Variæ coniecturæ ex iis quæ circa talos sunt.*

Quicumque ea quæ circa talos sunt, neruosa habet, & articulata, hoc est musculosa, ita vt appareant quodammodo distincti sub pelle musculi, fortes sunt secundum animam, referuntur ad masculinum genus; ita Aristoteles. Tali vocantur tubercula illa ossea, quæ vtrinque prope pedes prominent, atque in hac parte corporis robur pedis, & vis tum sustinens, tum mouens apparet: Ratio propositionis est quia cum extrema corporis neruosa sint, & bene articulata, necesse est vt potens validaque fuerit virtus formatrix: quare circa præcordia prædominatur calor & siccitas; hinc vero oritur audacia. Quod si quę circa talos sunt, neruosa quidem sint, at non dearticulata, indicium est dominari siccitatem, non tamen tantum esse calorem; nam si fuisset perfecte validus calor, materiam vicisset & dearticulatas partes effecisset.

At vero si hæc eadem quæ circa talos sunt, dearticulata quidem existant, at non neruosa; indicium est formatricem virtutem validam quidem esse, at deficere siccitatem, humoremque præualere; ac propterea, existimat Camillus Baldus, nisi sit aliud quod impediat, circa animam erit bona indoles, ad agendum prõptitudo, & ad artes & scientias capessendas propẽsio: temperies enim calida est & humida, secundum quam humani, ciuiles, & bene nati fiunt homines, non plus quam deceat neque prompti neque audaces, sed neque timidi.

De Pedibus.

CAPVT XXXI.

I. *Quid pes & eius cõpositio.*

Pes est infimum corporis membrum; dicitur à pedo seu solo Græcis ποῦς, à quiescendi ratione ἀπὸ τοῦ παύειν perfectiora animalia pauciores, imperfectiora quęque plures habent pedes, vt scorpiones & aranei inter terrestria; cancer & polipus, inter aquatica, pedibus abundant; Iulis.44 pedes habet. Porro in homine vt coxa scapulæ, femur brachio, tibia cubito: ita pes, manui, respondet: qua de re videndus Aristoteles I. de Histor. cap. 15. Constat pedio, metapedio, digitis: Pedium seu tarsus septem constat ossibus, quorum quatuor habent propria nomina, tria carent. Igitur vnus est Astragalus seu talus, aliud calx, tertium scaphoides, quartum cuboides, reliqua sine nomine; Metapedij sunt septem: singuli digiti tribus ossibus constant, excepto pollice, qui tantum duobus. Pedes planos conformauit natura vt firme ambulemus, curramus, stemus, stamus vtroque innixi, ambulamus, currimus, altero agitato, altero quieto, qui debet inniti rei immobili, vt quiescat, alioqui non bene fieri potest motus; hinc est quod cum arenæ innitimur, non bene ambulemus, quia ipsa mobilis est, nec pedem sistit. Digiti pedum longe minores digitis manus, istius enim officium est capere atque premere quod fit digitis, itaque longos esse oportuit, pedis vero officium est tutè constare, quod ea maxime parte fit quæ infissa est, extremum autem

tem diuisum est in digitos, ne, cum aliqua pars laborat, totus pes consentiat, quod ratione digitorum non æquè accidere potest; breues etiam sunt digiti, quo minus offendi lædique possint; ita Philosophus lib.4. de partib. cap.10.

2. *Quibus pedes agiles vegetas possident animæ facultates.*

Quibus pedes agiles sunt, magni ac bene compacti, neruosi, vegetas possident animæ facultates; Id namque ad masculinum genus refertur, sumptum ex Aristotele hic in Physiognomicis, atque iterum. 1. Rhetoricorum cap.5. vult omnem velocem robustum esse; sane pedes agiles spiritus animalis copiam arguunt: spiritus autem quasi igneus, est, at ignis propria agilitas: facit ad hanc rem quod Pyrrhus Achillis filius à pedum ignea celeritate dictus fuit, vt ait Cœlius lib. 5. cap. 3. & clarum est in Ata (siue Ada vt vult Martialis lib. 4.) qui Fonteio, & Vipsanio Consulibus à meridie ad vesperam conficiebat septuagintaquinque millia passuum, perpetuo cursu, cum tamen annum decimum nondum attigisset, vt refert Plinius lib. 7. cap. 20. portentosam fuisse spiritus animalis abundantiam, qua pedes agilescerent. Idem dico de Gente Indica, cui, Ocypodes, nomen est, equos cursu præuertere apud Strabonem l.15. Idem de Troglodytis, qui, vt ait Solinus.60. alias 70. feras quas sagittant, cursibus ipsi persequuntur: quid de Philonyde Alexandri magni cursore qui vno die 1200. stadia conficiebat, hoc est 150. milliaria, seu 50 Leucas Gallicas Quod vero bene compacti sunt pedes, tum facultatis formatricis robur, tum vegetum calorem ostendit, quem tamen pedes ex conditione sua modicum possident; constant enim multis neruis, pauca carne; & vero maxime pedibus manibusque torpemus, & in trepidatione metuque maxime laborant pedes, quia cum ex se valdè frigidi sint, per metum omni pene calore destituuntur: qua de re Aristoteles sect. 6. & sect. 3. probl. 31. Cæterum vbi vegeta vis formatrix, calorisque copia, ibi & vegetas animæ facultates esse indicium est.

3. *Quibus pedes exigui, molles sũt.*

Qui habent pedes exiguos, angustos, inarticulatos, delectabiliores visu sunt, quam robustiores; animæ mollitie laborant, in fœminarum ordinem cooptantur iudicio Aristotelis, cui nemo reluctabitur, vbi apud se cogitarit mollitiem & debilitatem virium oriri ex debilitate spiritus, calorisque naturalis, cuius debilitatis index est hæc exiguitas; Homerus tales pedes Telemacho tribuit.

4. *Quibus interior plãta pleniuscula est, astuti.*

Quibus pars interior plantæ non caua, sed pleniuscula est, ita vt solum toto attingat vestigio, ij versuti sunt: ita Aristoteles lib. 1. de Histor. cap. 15. & vero huic Aristotelicæ coniecturæ respondit euentus in homine pene toto ex vafritie compacto Marco Plauto, qui à planis pedibus ita fuit vocitatus: referuntur à Polemone ad vulpem: dolositate infamatum animal, planos pedes habens. Rationem afferre conatur hic autor, quod planities pedum signet abundantiam phlegmatis inductam super formam At vbi est hæc abundantia, ibi & facilis est rei mobilitas, in qua vafrities posita est. Verum hæc verba obscuriora sunt; ratioque minime aperta: nescio vero an lux adhiberi possit hac ratione, quod cui pedes adeo plani sunt non sunt adeo musculosi, musculi enim carnem contrahunt, qui vero minime musculosi sunt, debiles sunt: qui debiles,

debiles, astuti, conantur enim quod viribus nequeunt, saltem dolo consequi.

5. *Pedes magni calorē magnum innuunt.* Pedes magni caloris fomitem magnum notant; imo & omnes magnæ extremitates, cum caloris sit dilatare, adesse vero copiosum calorem conuenit, vbi remotissima quæque dilatantur. Sciopodes nonnulli seu vmbripedes, referuntur, qui humi vmbra pedis ab æstu Solis se defenderent, & haberent singuli singulos pedes, nec poplitem flecterent vt meminit Augustinus 16. de ciuit. cap. 6. Sed fabulæ sunt; ratio vero dicti nostri hæc est: Homo inter animalia calidissimum est ideo pedes proportione maximos habet; Aliam rationem habet Aristot. 4. de part. cap. 10. quia statura, inquit, rectus est homo, ac tales esse debuerunt, qui duo totam corporis longitudinem latitudinemque sustinent.

6. *Pedes blæsi spadonibus.* Pedes blæsi spadonibus, quia proceri satis ob copiam humoris, At cæterum imbecilli ad tantam molem sustinendam: quare peruertuntur quod idem accidit in ædificiis nisi superior moles fundamentis respondeat: quid simile iam de Talis & cruribus dictum est superiori capite.

De Incessu.

CAPVT XXXII.

1. *Ex incessu duci possunt coniecturæ.* MONET Ecclesiasticus c. 15. *Ex visu cognosci virum, ex occursu faciei sensatum, amictum corporis, & risum dentium, & incessum enuntiare de illo.* Thalassius Monachus Hecatontade 3. sent. 65. *Gestus exteriores, inquit, signa sunt motuum intrinsecus latentium, vt arborum incognitarum fructus producti.* Basilius vero Epistola 1. ita præcipit, *Incessus, neque segnis sit, vt animæ exolutionem declaret; neque rursus vehemens, ac insolens & cōcitatus, vt temerarios eius impetus, ostendat.* Quare nullus erit censuræ locus, si de incessu coniecturas ducamus Physiognomicas. Verum antequā sermonem adoriar, statuo sumi posse ex Incessu coniecturas duplices, alias de temperie hominis, alias de affectibus mentis.

2. *Celer, calorem innuit.* Celer incessus calorem notat virorumque proprius est; quare Cicero, cum Piso Gener eius mollius incederet, filia concitatius, ait Genero per ironiam, teste Macrobio lib. 2. satur. cap. 3. ambula tanquam fœmina: At filiæ, ambula tanquam vir. In piscibus cum causa copiæ & inopiæ branchiarum sit caloris, cordi insiti, copia, aut inopia, qui geminas, atque duplices habent branchias, celerius mouentur atque vehementius, vtpote calidiores, ita obseruauit Aristo. lib. 4. de partibus cap. 13.

3. *Tardus frigidam tēperiem.* Tardus ingressus, frigus, pituitosam, melancholicam, complexionem, pigritiam, segnitemque indicat, mulierum, senumque proprius est, quare anus Plautiana tarditatem ingressus excusans, ait se graue pondus gestare, *tantum*, inquit, *Hoc oneris fero; quid oneris; annos septuaginta quatuor*: accedit Albertus; tardus naturaliter ingressus animum indicat pigrum: nisi potiora alia signa dissentiant. Salamandra, animal lacertæ simile, cauda prolixa, flexuosa, cute aspera scabrum, colore albo, oculis profundis, ingressu tardissimo est, nec nisi impulsa mouetur,


uetur, adeo ſtupida eſt & frigida; ita ſe expertum ait in agro Totoſano Bodinus. Iam venio ad morales coniecturas.

4. *Grauis incessus bene affectæ mentis indicium.*

Tardi & grauiter ambulantes, cogitabundi ſunt, ac ſæpe bene affectæ mentis: Et quidem Ariſtoteles lib. 4. Ethic. Magnanimum virum ait tarde incedere, voce vti graui, oratione ſtabili ac ſedata, quia feſtinatio & celeritas ob rerum ſtudium adhiberi ſolet: magnanimus autem paucis rebus ſtudet, quia magnis ſtudet. Monentur ſacerdotes decretis Canonicis vt inceſſu ornati ſint, & grauitate itineris mentis maturitatem oſtendant:

5. *Hac de re institutio Ambrosij.*

Ac mirum eſt quam Ambroſius lib. 1 de officiis cap. 18. ingreſſum optimis inſtruat præceptis. *Eſt greſſus probabilis in quo ſit ſpecies auctoritatis grauitatiſque pondus, tranquillitatis veſtigium, ita tamen ſi ſtudium deſit, atque affectatio: nec enim fucatus placet: motum natura informet; ſi quid ſcilicet in natura vitium eſt, induſtria emendet; vt ars deſit, non deſit correctio.* Audi vero ipſummet eodem capite, quantum ponat in modeſto inceſſu. *Eſt in ipſo motu geſtu, inceſſu, tenenda verecundia, habitus enim mentis in ipſius ſtatu cernitur. Hinc homo cordis noſtri abſconditus, aut iactantior, aut turbidior; aut contra grauior & conſtantior & purior, & maturior, æſtimatur. Itaque vox quædam eſt animi ipſius motus.* Hactenus Ambroſius. Quod ſi Ariſtoteli dicere licuit animum ſedendo fieri ſapientiorem, quis negabit tardum ingreſſum, qui quieti accedit ſapientiæ quoque accedere. Huc referendum eſt quod primo libro c. 2. ex Ambroſio recitauimus de duobus Eccleſiæ ſuæ Clericis: quibus addo ſanctiſſimum hunc virum ægre admodum tuliſſe Angelos, ſeu ſacerdotes curſim ambulare, *quibus ſi cauſa deſit iuſtæ neceſſitatis, nauus ſit iuſtæ offenſionis.*



In

In hac figura manus, notantur digiti, & reliqua, prout à Chiromanticis appellantur; sed pleraque eorum commenta refelluntur hoc libro 3.

A Razeta.
B Linea vitæ, seu cordis, & eius soror.
C Linea naturalis, seu capitis, & eius soror.
D Linea mensalis, & eius soror.
E Cingulum Veneris.
F Linea Hepatis.
G Linea solis, seu via solis.
H Linea Martis.
I Linea Saturni.
K Via lactea.
L Percussio manus seu lunæ mons.
M Digitus Veneris.
N Mons Veneris.
O Digitus solis.
P Mons Solis.
Q Digitus Martis.
R Mons Martis.
S Digitus Iouis.
T Mons Iouis.
V Digitus Saturni.
Y Mons Saturni.
Z Sedes Mercurij.

Necesse habeo eorum uti nominibus, quorum utor assertionibus. Ambrosius lib.4. cap.4. Hexaëmeron.

DE HVMANA PHYSIOGNOMIA, SEV DE MANIBVS, VBI CHIROMANTIA NATVRALIS STABILITVR, Astrologica vero confutatur.

LIBER TERTIVS.

CHIROMANTIA est diuinatio, quæ ex manus inspectione colligitur; nobilis quidem Physiognomiæ pars, sed quæ virorum perditorum vitio multa superstitiosarum sordium eluuie, & impiorum vaticiniorum aspergine commaculatur; suus ei statim post brachia constitutus erat locus, sed quoniam paulo diffusius pertractanda, huc consulto remissa est. Principio tota manus studiosè delineanda, partésque singulæ describendæ: tum, quotuplex sit Chiromantia, dicendum: Deinde Astrologicæ Chiromantiæ vanitas confutanda, ac denique Physicæ Chiromantiæ vaticinia aperienda, quæ omnia vellem manus dignitati responderent. Quid est enim manus? Zoroastro, admirabilis naturæ miraculum; Plutarcho, causa humanæ sapientiæ; Lactantio, rationis & sapientiæ magistra; aliis, mundi artifex, amicitiæ sedes, humanæ vitæ præsidium, corporis propugnaculum, capitis defensatrix, rationis satelles, inter-

pres animi, conciliatrix diuinæ gratiæ, neruus orationis, officina ſanctitatis. Iſidoro dicitur manus quaſi munus, nimirum totius corporis munus; miniſtrat enim cibum ori, cæteriſque membris omnibus opitulatur. Denique fidei ſymbolum eſt, vnde porrigere dextram eſt fidem promittere, quod colligitur ex Virgilio 7. Æneid.

Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe Tyranni.

Et lib. 3.

Ipſe pater dextram Anchiſes haud multa moratus
Dat iuueni, atque animum præſenti pignore firmat.

Deſcriptio Manus.

CAPVT I.

1. *De carpo prima parte manus.*

CONSTAT manus tribus partibus, carpo, metacarpo, digitis; Corpus eſt iunctura ſeu commiſſura manus, vbi Palma radio iungitur. Latinis, nunc brachiale, nunc reſtricta quod ibi reſtringatur, & in arctum exeat manus, Arabibus Razeta dicitur. Octo conſtat oſſibus, ordine duplici diſtinctis, quæ propriis carent nominibus.

2. *De metacarpo 2. parte manus, & de variis lineis.*

Metacarpus, ſeu poſtbrachiale, quatuor gracilibus conſtat oſſibus; ſequitur Carpus; duplex eius pars interna & externa, interna vocatur vola, ſeu Palma, & eſt medius manus ſinus, externa vero eſt Protocapium; in vola obſeruatur à Chiromanticis lineæ, & monticuli; lineæ ſectiones ſunt, & inciſuræ; aliæ principales aliæ minus principales. Principales, linea vitæ, linea naturalis, linea menſalis, linea hepatis: minus principales, præter ſorores linearum quatuor principalium, ſunt, via lactea, cingulum veneris, linea martis, linea Saturni, vocanturque minus principales quod non tantam habeant in ſignificando facultatem, & quod non in omnium manibus exprimantur; linea vitæ ſeu cordis eſt ea quæ pollicem circuit, cuius ortus eſt inter pollicem & indicem & ad reſtrictam tendit; linea naturalis, ſeu Capitis ex eadem manus regione oritur, ex qua linea vitæ, & per mediam tranſuerſamque manum, ad percuſſionem protenditur. Linea hepatis oritur à linea vitę, vbi ad reſtrictam vergit, & ad auricularem medicumque digitum aſcendit, conſtituitque triangulum cum lineis duabus iam explicatis, linea vitæ & naturali; eſt autem pene ſemper tenuis, & vix niſi in dextra manu reperitur, quia dextram partem corporis iecur obtinet: linea menſalis oritur ſub auriculari à percuſſione manus, hoc ſortita vocabulum, quod inter naturalem & ipſum relictum ſpatium menſæ figuram arguat. Via ſolis de tuberculo ſolis progrediens ad volam vſque protenditur, lactea à reſtricta naſcens ſecundum percuſſionem ſurſum erigitur; nomen ex eo ductum eſt, quod vt volunt Chiromantici nonnulli, viros delicatos oſtendat. Cingulum Veneris in hemicycli figuram à medietate indicis & medij

ad medietatẽ minimi & medici progreditur; linea Martis à Razeta ad medium digitum, sursum erigitur; Saturnina, ab eadem Razeta ad digitum Saturni extenditur. Sorores sunt eæ quæ lineis principalibus adiacent.

3. *De monticulis.* Quod attinet monticulos, suus cuique digito monticulus respondet, quare datur pollicalis, indicalis, medius, annularis, minimus. Præter hos quinque addenda est percussio manus, ita vocata, quia percutiendo corpori admouetur, à Græcis vocatur, hypothenar; oppositum vero spatium quod est inter pollicem & indicem, vocatur thenar. monticuli à vanis & deliris Astrologis censentur subiici planetæ, cui & digitus, cuius sunt.

4. *Digiti tertia pars manus.* Digiti quinque sunt, pollex, index infamis, annularis, seu medicus, auricularis; quisque tribus constat ossibus; digitorũ seriem phalangas, seu aciem & agmina vocarunt quia ita dispositi sunt, vt velut in acie stare videantur: summa digitorũ pars, acynus; prominentiæ, condyli; intérstitia verò condylorum, internodia vocantur; vngues postrema muniunt.

5. *Quæ sit debita manus proportio.* Debita manus proportio est, vt palmæ manus, circa radices digitorum per transuersum, altitudo maioris seu medij digiti respõdeat; at integra palma à radice medij ad Razetam quatuor æqualibus partibus diuidenda est, ita quod longitudo palmæ latitudinem vna parte superet, ita notauit Taisnerus.

6. *Cur inæquales digiti.* Notum est autem omnibus quod obseruauit Meletius, digitos omnes parem longitudinem non esse sortitos, quod ita decori magis respondeant, & ad motum aptiores reddantur, si enim in æqualem finem desinerent, non modo incongrua indecensque eorum constitutio esset, verum etiam ad res peragendas inconcinna admodum imbecillisque videretur, cum in capiendo, omnibus ex pari rebus applicati eos à proposito fine plerumque frustrari accideret, sed in eo quod sunt disparis longitudinis, natura ipsos officulis in longum cohærentibus composuit, quo omnes, alter alteri ministrato subindie robore, magis contento tactu, accommodatioreque vterentur, ac in quolibet actu vniuersi fortiores euaderent.

Duplex Chiromantia, Physica, Astrologica.

CAPVT II.

1. *Quid Physica, quid Astrologica Chiromantia.* CHIROMANTIA alia Physica, quamquam Petrus Primodaius Academiæ Francicæ p. 2. die 1. cap. 4. has duas species in vnam conflat, sed male: Physica, ex manus asperitate, læuitate, longitudine, breuitate, crassitie, tenuitate, ex linearum situ, ductibus, permixtionibus, incisuris, luciditate, obscuritate, integritate, internam corporis temperiem coniectat, firmam, solidamque eius compaginem, & fabricam, exquisite aut secus coagmentatam, naturas interiorum partium, animi affectiones, propensiones, breuitatem & longitudinem vitæ; Hac facultate vsi sunt Aristoteles, Galen. Auicenna, Auerroes, Albertus, vt infra satis patebit. Et vere licita est, cum nihil præter id quod mere naturale est, tentet. Atque ea optime quis

quis vti potuisset in Esau, qui Genesis 27. dicitur habuisse manus hispidas & pilosas, quod sane feritatē, eius animi indicabat. Astrologica, est ea, quæ lineis manus certos planetas assignat, quos certis areolis & regionibus cōcludit, harūque linearum & regionum significatione ab iis planetis infallibiliter dirigi vult.

2. *Vanitas Chiromātia Astrologica.*

Et vero eo vsque dementiæ progressi sunt huius facultatis professores, vt profiteantur se posse ægritudines, infortunia, prolē, prolisque numerum & sexum; fratrum, sororū, vxorum virorum que multitudinem, status Ecclesiasticos, militares, iacturas rei familiaris, peregrinationes, itinera, vulnera; afflictiones, beneuolentiam apud magnates, mortis genus, quodcumque tandem illud sit, incestus, homicidia, captiuitates, vno verbo, omnia quæ homini euentura sunt vmquam, prænunciare posse; omnes denique futuros euentus, anticipare cognitione, sane quam confidenter recipiunt ac pollicentur; vt pene totidem verbis legere poteris apud Taisnerum initio libri quinti, huius superstitiosæ & impiæ facultatis patronum, atque defensorem, qui sponsoribus astris & manibus mira promittit. At Henricus Cornelius, & ipse harum vanitatum studiosissimus, vere dixit totam hāc artem Astrologicam nihil esse aliud quam superstitiosorum hominum fallacem coniecturam, qui ob multi temporis vsum scientiam fecerunt, in qua emungendæ pecuniæ gratia decipiunt imperitos, & ipsi simul decipiuntur.

3. *Impugnata, condēnata.*

Huiusmodi homines Astrologos fuse impugnat Valesius in suo præclaro opere de sacra Philosophia. Condemnant Sancti Patres, canonistæ, legistæ, Philosophi, Theologi, vt videre est apud Martinum Del Rio l. 4. disquisitionum Magicarum cap. 4. q. 1. condēnauit Sixtus quintus anno 1586. 9. Ianuarij, bulla ea, quæ contra Astrologicos & Chiromanticos est, vetuitque, ne quis Astrologiæ iudiciariæ artem, præterquam circa agriculturam, nauticam, & res medicas exerceret, néue quis humanos euentus, prosperam aduersamque fortunam prænunciare attentaret, etiamsi iudicia sua non certa, sed incerta esse diceret. Condemnarat ante Concilium Braccharense primum, capite nono & decimo: Condemnarat Concilium Toletanum primum omnes Astrologos iudiciarios, parentes istorum Chiromanticorum Astrologorū. Concilium Tridentinum de libris prohibitis regula nona, *Episcopi diligenter*, inquit, *prouideant, ne Astrologiæ iudiciariæ libri, tractatus, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus successibus, fortuitisque casibus, aut iis actionibus quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid euenturum affirmare audent.* Adde quod in catalogo librorum prohibitorum omnes libri chiromantici continentur.

4. *Olim combusti libri Astrologiæ iudiciariæ.*

Atque vtinam de his libris nunc contingeret quod olim de similibus contigisse legimus Actor. decimo nono, *multi autem ex iis*, inquit Lucas, *Qui fuerant curiosa sectati: contulerunt libros & combusserunt coram omnibus, & computatis pretiis illorum inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.* Quos libros Augustinus super psalmum sexagesimum primum ait fuisse de rebus pertinentibus ad Astrologiam iudiciariam.

Verum

5. *Eius commenta referre refutare est.*

Verum enimuero quando hoc perditissimo sæculo nefandæ latius gliscunt, & quasi cancer miserandum serpunt in modum, non male collocaturum me operam existimo, si huiusce artis, (si tamen est) fundaméta vaticiniaque vanitatis coarguam; memini præclarissimi dicti, aureæque Hieronymi sententiæ, *nonnulla referre refutare est*, & vero non citius claudi hominis vitium prodes, quam si ipsum è tenebris in lucem prodire, & ingredi iubeas; nec citius rei adulteratæ impostura patere potest quam si detractis phaleris, detersoque fuco nuda in medio conspicienda ponatur; quæ res maxime me recreat, maximoque labore leuabit, nam hæc Chiromanticorum commenta retulisse, refutasse erit. Quamquam, si nec hoc satis est, quæ confinxit opinio, confringet ratio; quod si ratio non confringeret, conuinceretque, irrideret saltem fides certissima veritatis regula.

Referuntur & refelluntur Chiromantiæ Astrologicæ Axiomata & fundamenta.

CAPVT III.

Liceat hic mihi Ambrosij verba in ipso limine explanationis Euangelij S. Lucę vsurpare. *Legimus aliqua ne legantur; legimus ne ignoremus; legimus non vt teneamus, sed vt repudiemus, & vt sciamus, qualia sint, in quibus magnifici isti* (addam ego Astrologi) *cor exaltant suum.*

1. *Varios digitos variis Planetis subiectos; Axioma primū.*

Pimum autem est, varios digitos eorumque montes variorum planetarum dominationi esse subiectos pollicem Saturno, Indicem Ioui; medium Marti, medicum soli, auricularem Veneri, triangulum Mercurio, percussionem Lunæ; quæ sententia est Alchindi, quāquam Ioannes Indagine, qui à priscorum tramite se discessurum negat, (imo & pene totum Chiromanticorū agmē) paulo aliter sentit, in omnibus licet non dissentiat, nam pollicem tribuit Veneri, Indicem Ioui, medium Saturno, Medicum Soli; auricularem Mercurio, triangulum Marti, percussionem Lunæ; cur pollex Veneri tribuatur Taisnerus lib. 2. c. 1. disputat his verbis; *Mons pollicis* (idem est iudiciū & de pollice) *merito Veneri dicatus est, quod experientia sæpissime notaui; quid oro fortius in hoc mundo esse potest amore? Venereis etiā ligulis etiam fortissimi & sapientissimi succubuere, vt Hercules, Sanson, Dauid, cæterique infiniti amoris igne & Venereis ligulis implicati fuere.*


Nescio quid sit amor, nec amo, nec amor, nec amaui,
Sed scio siquis amat, vritur igne graui.

Quid hîc dicas; quem sequaris in distribuendis Planetarum confiniis & dominationibus? quam festucaria est Taisneri ratiocinatio. Idem de sole, & de Ioue dicere potuisset. Quomodo tam finibus angustis continentur Planetę qui terram magnitudine superant? an adeo iustitiæ amantes, vt suis quique contenti in alios fines, proximosque digitos, nec valde dissitos montes, numquam inuolent? numquam insiliant? quomodo Pollici qui reliquis digitis præpollet, atque adeo musculosior, ampliorique osse instructior est, non dominatur Luna, quæ propter Solis societatem receptumque lucis fit quasi

quasi alter sol minor ἄλλος ἥλιος ἐλάττων, vt ait Aristoteles cap.vlt. lib. 4.de Generat. Animalium, aut potiùs cur non dominatur sol syderum præstantissimus? cur non Saturnus, vt vult Chalchindus?cur non Venus, vt sentit de Indagine & Taisnerus? quid cum Cæsar Augustus, authore Suetonio, vsque adeo imbecillum interdum sentiret indicem, seu salutarem digitum,vt torpentem contractumque frigore; vix cornei circuli complemento scripturæ admoueret, An eius Indici Iupiter dominabatur; qui calidus & beneficétissimus est vt vultis? en hoc Vltimum peto:Cum quis sex digitis est (quales nonnullos infra memorabimus) sextus digitus ad cuius planetæ pertinet imperium? An Saturnus falce, Mercurius tecnis,Mars armis, Sol spiculis,Iupiter sceptro,Luna pharetra sua, Venus semicinctio contendet, sibique, vt suum vindicabit.

2. *Nonnulla sunt diuinæ literæ Axioma. 2.*

Secundum est nonnullas esse diuinas literas quæ futura mirifice portendant,en tibi ex ipsis aliquas.



Ac exempli causa, si littera vna sit in prima iunctura, adulterium, & in adolescentia diuitias; si vero in secũda iunctura sit,ægritudinem, immensas malorum grandines,& in virili ætate paupertatem præsagiat. littera A in loco Iouis diuitiarum abundantiam,in loco Martis iracundiam, in loco solis fortitudinem,in loco Veneris infidelitatem, in loco Lunæ dilapidationem bonorum portendit, figura circularis semper boni augurij est præterquam in dominio Lunæ & Mercurij;cum Mercurius anceps sit, marem inter & fœminam,Luna vero vnâ cum Venere, fœmina sit, reliqui planetæ mares. In linea vitæ vel capitis si vnum O vel duo reperiantur vnius vel duorum oculorum amissionem significant;quod in seipso expertum se esse ait Ioannes Indagine, cumque hãc in manu sua depictam figuram videret,recordabatur inquit, quomodo olim in maximum alterius oculi discrimen deuenisset, quippe ad ignem sedens hyeme procidit,ac sinistro oculo in flammam conuolutus est, Debuerat potius crassus homo Lutheranus, hoc ascribere grauitati & crassitiei suæ, quam syderum influxui, figuræque à planeta impressæ. At,vt in vniuersum de istis præsagiis loquamur, quæ tandem ipsa sunt? ô nouum litterarum alphabetum,hasne litteras diuinas vocatis, quas Diabolus tantum docuit Quas summi pontifices Christi Domini vicarij condemnarunt? quæ libero arbitrio nobis connato labem aspergunt! ô mirabilem Antistrophen eadem littera diuitias & paupertatem portendit, si modo vel tantillum sede sua demigrarit, quasi Calculis luserit natura, qui, pro vario ordine,varij valoris sint.

3. *Ex diuersis lineis varia sumuntur vaticinia. Axioma tertium.*

Tertium est ex diuersis lineis varia sumi vaticinia,nam si linea mensalis(quam volunt esse omnium morum, & infortuniorum, casuumque, siue prosperorum, siue aduersorum certissimam indicem, vnde fortunæ & prosperitatis lineam vocant) habuerit ramusculos tendentes ad locum digiti Iouis, honores promittit,exaltationem ac magnarũ

diuitiarum possessionem, & pauperem paulatim ad dignitatum apicem ascensurum præsagit, si cruce notata fuerit crucem &suspendium, si habuerit incisiones, à pauperibus & potentibus inimicitias atque infestationes futuras, si in percussione fuerit delicata, & in ascensu grossa, futuram omnium inimicorum victoriam demonstrat. Si in linea vitæ diffusior superior pars fuerit aqua, Si inferior, igne morietur. Rami in hac eadem linea si respiciant versus restrictam, notant pauperem extra patriam moriturum, Si in restricta manus visa fuerit, quædam linea grossior, deinde alia subtilior, & rursum tertia grossior & profundior. Prima ætate, diuitiis abundantem: vbi ad medium vitæ peruenerit infœliciorem & inopem: Tertia vero ætate omnibus, quæ paulo ante amiserat, recuperatis vitam in honorum & diuitiarum augmento tranquillam præmonstrat; linea Solaris exiens à concauo versus annularem signat magnum fauorem apud principes, & prælatos & potentissimos homines, & eo magis quo magis extenditur in triangulo, versus angulum dextrum: si tamen à naturali versus annularem ascendat, minuit effectum; & si reperiatur inter naturalē, & mensalem signat amicitiam sine lucro & fauore, denotat etiam amicitiam nobilium personarum; hæ omnes coniecturæ non verissimæ, vt vocãt sed opiniosissimæ, ex Bartholomeo Coclite Discipulo Antiochi Tiberti Cesenatis; ex Ioanne Taisnero Athensi; ex Ioanne de Indagine Luthrano desumptæ sunt, quas, atque alias similes, refutare rationibus non est animus. Nam quis, nisi mente plane destitutus, iis adhibeat fidem? neque Authores fidem facere conantur, ac citius in ouo pilos reperies, & nodum in scirpo, quam in eorum scriptis vel minimam rationis speciem, fateor interdum eos, quasi Suillæ nari aureos inserere Annulos; omnino fucos vendunt, cyparissi fructus; at credo iam clarescit Astrologorum Chiromanticorum ineptia, qui omnino sua Vaticinia ex astris metiuntur, immo mentiuntur.

Quartum est, cuique semper mortalium vnum dominari planetã, cuius ipse genio naturæque accedat, atque huius dominationis indicium ex eo petunt, quod, qui in manu locus ei respondet planetæ, pluribus & concinnioribus lineis litterisque notatus sit, adeo vt Saturnius ille dicatur, qui digitum Saturno respondentem concinnis linearum anfractibus, litterarumque figuris condecoratum supra omnes alios habuerit. Digitos, pergũt, Saturnios esse graues, frigidos, melancholicos, sibimet placentes, peregrinationis amantes, quia hæc Saturni indoles fuit, Iouiales esse fortunatos, sanguineos, audaces in periculis misericordes, diligendos ab extraneis, procreaturos filios duos, veraces, sagaces. Talem enim fuisse Ioué referunt vetera monuméta. Solares esse diuites, superbos, elatos victores futuros omniũ omnino hostiũ quemadmodum sol semper omnia superat nubium obstacula. Lunares acutos splendidos, pigros, obnoxios multis reciprocis & æstuariis vicissitudinibus diuitiarum, penuriæ, ægritudinis, valetudinis, vt luna semper mutatur; venereos fraudulentos, fortunatos, libidinosos, prodigos; Mercuriales fraudulentos geometricos, augures, fures scientificos,

4. Cuique mortaliũ vnus dominatur planeta.

ſicos, inueſtigatores rerum arcanarum, minimè conſilij proditores, martios, macros, impios, ductores exercitus, vt Martem imitatione referant, nugæ nugarum, ſomnia ſomniorum, ô præclaros Philoſophos, quos ad exemplum veterum non exiſtimo, captandi gratia boni ominis, præfatos eſſe auſpiciis ſuarum coniecturarum, Deus, Deus! ergo quia Mars priſcis ſæculis, macer & impius fuit, planeta, qui arbitrio poëtarum eius nomine indigitatur, ſimilem indolem ingenerabit eis, in quos dominatur? ſplendidam illam Orbis facem, ac omnis lucis promptuarium æque bene veteres Martem appellaſſent, aut Ioue, ac ſolem appellarunt, & quòd ſolem non Martem appellarunt, hoc liberi fuit eorum arbitrij. Quid ergo ex hac appellatione arbitraria, neſcio quos influxus in naturas hominum deriuas? ac vanum prçterea eſt planetam aliquem nobis dominari vt patebit.

Falsò iactari à genethliacis certum planetam in ortu dominari.

CAPVT IV.

IN aciem Genethliacos, Chiromàticis maximo fœdere iunctos, euocabimus, quando ita ſuperioris capitis doctrina poſtulare videtur, ac primo totam Geneſeon pragmatiam proponemus, tum eam, ex integro, vanitatis & manifeſtæ falſitatis arguemus, primum moneo iſtos Genethliaticos & coniectatores, ex Aſtrorum aſpectu Chaldæos nominari, quia in Chaldæa maxime floruit hæc coniectandi vana facultas, atque ita habet vulgaris conſuetudo, vt quemadmodum Cretenſis pro perfido, Bçotus pro hebete, Cananæus pro Mercatore, Samaritanus pro Incantatore, & eo qui cum dæmone commercium habet (vnde illud obiectum Chriſto, Samaritanus es tu, & dæmonium habes; Chriſtus autem vtrique vno verbo reſpondit, & negando vnum negauit etiam aliud.) Arabs pro latrone (ſunt enim latrociniis infames Arabes ex Hieronymo In c. 3. Ieremiæ) ita Chaldæus pro Ariolo & Genethliaco vſurpetur.

Tota geneſeon pragmatia.

ARTICVLVS I.

ONerant aures, ineptiarũ plauſtra exonerant, libros replent Genethliaci, Bellantius, Iunctinus, Cardanus, Gauricus, Firmicus, Leouitius, Taiſnerus, Albumazar, Auerodan, Alamar, Mazanella, Zanel, Porphyrius Maginus; in ortu cuiuſque principatum ſeu dominationem vni planetæ deferunt. Quo tanquam ſponſore aduerſam nobis, vel proſperam fortunam, valetudinem, totámque vitæ habitudinem longe ante prænuntient, & fatali agnitione anticipent, caſtiganda nobis hæc impietas omnis expers iudicij. Atque vt omnia ex ordine & pro dignitate diſputentur, principio eorum ſententia aſcribenda eſt, tum firmis reuellenda rationibus.


1. *Sũma vanitatis Genethliacorum.*

Primum ſtatuunt in cœlis firmas & immobiles domos, & ſpatia gradibus triginta emenſa; ſingulæ autem

2. *In cœlis firma & immobiles*

domus. Primum fundamētum sciētia Geneth.

tem domus in tres partes diuiduntur, inquit Firminus libro 2. cap. 4. quarum singulæ denis constant gradibus, vocanturque facies vel decani; gradus vero alij sunt masculini, alij fœminini: Alij lucidi, tenebricosi, vacui, alij partiales azemeni seu valetudinarij; quattuor ex his anguli vocantur, scilicet prima domus est angulus oriētis; Septima, opposita anguli occidētis; decima, est angulus diei seu medij cœli, quarta est angulus noctis sub orizonte, in iis, vt aiunt, planetæ sunt fortiores, post has alias quatuor domos succedentes nominant, in quibus sunt planetæ debiliores quam in angulis, & sunt domus 2. 8. 11. 5. reliquæ quatuor cadentes nominantur cæteris debiliores.



3. Duodecim domus, secundum fundamentum.

Secundò has duodecim domos, in quibus totius astrologicæ prædictionis summa cardoque versatur, vulgatis rythmis memorant, neque pigebit ascribere memorię iuuandæ causa. Natus patrem vincit; pater filium, infirmus vxorem, mors ambulat, regnat, fortuna incarcerat. Prima domus est domus vitæ, & significatur voce, *natus*; est prima in horoscopo, imo & ipsa horoscopus vocatur, in ea de vita naturali hominū & spiritu iudicatur. Secunda est, ex qua spei possessionis facultatum, victus ministrorum, seruorum incrementa noscuntur, est autem piger locus, ab horoscopo alienus, & porta inferni appellatur, quod nullo cum horoscopo, hoc est prima domo, miscetur aspectu. Tertia domus est in qua successum cum fratribus, sororibus, propinquis; & minoris itineris locant. Quarta domus parentes ostendit, patrimonia, hæreditates, thesauros & quicquid ad latentes, & repositas patrimonij facultates pertinet. Quinta est domus filiorum & dilectionis, legationum, donationum, & eorum, quæ post defunctionem vitæ ad laudem vel vituperium pertinent bona fortunæ, & similia. Sexta domus, si quid ad tristitiam spectat, ad ægritudinem; id sextæ deputatur domui; exaggerat hæc in nos falsos testes, latrunculos, & qui vitæ nostræ insidiantur, homicidas; sanguinarios; vocatur hæc domus mala fortuna, gaudium Martis, quasi Mars istis gaudeat Septima domus; ex hac quantitas nuptiarum & qualitas trutinanda & petenda sunt Octaua ab oriente mansio, domus est, vel pars mortis, timoris, pauoris; hinc mortis qualitas indicatur. Nona domus. in hac hominum sectas, sapientiam, religionem, peregrinationes reperiemus. Decima domus est, domus regni, hinc magistratus, dictaturas & quicquid potestatis est futurum, prospiciemus. Vndecima domus est domus laudis, fortunæ maioris, auxiliatorū ministrorum, gaudium Iouis. Duodecima omniū pestilenntissima habetur.

4. Tertiū fundamentum, planetariū amicitia inimicitia aspectus, &c.

Tertio de planetis multa commemorāt quod necessariū est ad perfectam horum mysteriorum initiationem perfectumque teletam. Planetæ septem sunt, Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna; illis varias domos assignant, exaltationes,

tationes, casus, amicitias inimicitias, aspectus, alios Orientales, Occidentales, Meridionales, Septentrionales, benignos, malignos, masculinos fœmininos, multa alia prætereo, quod attinet ad planetarum domos, in quibus eos maiori, quam in aliis locis pollere aiunt facultate, vt quisque domi suæ potentior est quam foris.

Aries & Scorpius, domus sunt Martis

Taurus & libra, veneris

Gemini, Virgo, Mercurij.

Sagittarius, Pisces, Iouis.

Capricornus, Aquarius, Saturni.

Leo Solis. Cancer Lunæ.

Maximopere hic notandum magnum ab astrologis statui discrimen inter signum & imaginem; Arietis imago v. c. componitur ex Stellis, arietis figuram conflantibus; at Aries signum immobile est, à cuius initio veris initium ducitur, cum ab initio Arietis imaginis nullo modo ducatur. Iam enim Sol est in vigesimo septimo gradu Arietis, & triginta octo minutis, immo plus, cum aperit ver; similiter reliquæ signiferi circuli nato, & signa & imagines vocantur, & signa quidem, fixe & immobiliter æquinoctiis intercipiuntur, prætereа vnum in terminos alterius non excurrit, cum Imagines sæpe excurrant, vnde illud: Manilianum: Scorpius in libra consumit brachia. Imo imagines nonnumquam non occupant triginta gradus seu totum spatium, quod occupat signum, cui quasi trabali clauo, semper affixi sunt totidem gradus, cum igitur dicitur Aries & Scorpius domus esse Martis; & sic de reliquis, intelligendum est, de Ariete & Scorpio signis, non imaginibus. Exaltatione variæ, Saturnus in gradus 20. libræ, Iupiter in cancri 15. Mars in 28. Capriconi, Sol in 19. Arietis, Venus in 26. Pisciũ, Mercurius in 15. Virginis, Luna in 4. Tauri, casus omniũ sunt in locis oppositis

Amicitiæ quoque & inimicitiæ multæ sunt; amici Saturni sunt, Iupiter, Sol, Luna; inimici sunt Mars & Venus: Iouis amici sunt omnes dempto Marte, Martis amica Venus est & Sol, cæteri inimici; Solis amici sunt Iupiter, Venus, Inimici sunt, Mars, Mercurius, & Luna; Mercurij amici sunt, Saturnus, Iupiter, Venus, cæteri inimici. Lunæ amici sunt Saturnus, Iupiter, Venus, cæteri inimici.

Aspectus sunt, sextilis, trinus seu trigonus, quartus seu quadrigonus, Oppositio sextilis est cum per sextam partem Zodiaci, hoc est per duo Signa distant: qui est amicitiæ imperfectæ; si autem per tertiam partem zodiaci distant, id est per quattuor signa, trigono aspectu se aspiciunt, qui est amicitiæ perfectæ; si vero per quartam partem zodiaci, scilicet tria signa, opponuntur, quadrigono, aspectu se intuentur, qui est amicitiæ imperfectæ; si autẽ per sex Signa, tunc simpliciter opponi dicuntur, coniunguntur autem tunc cũ in eodem Signo sunt.

Orientales sunt, qui mane ante Solent oriuntur; occidentales, cum occidunt post Solem; Septentrionales cum in suo excentrico ab Eccliptica, versus Septentrionem declinant; Meridionalia contra, cum eodem modo versus meridiem declinant. Benigni denique sunt alij, alij magni, benigni sunt Iupiter & Venus, illic fortuna maior, hic fortuna minor; maligni sunt Saturnus, Mars, ille in fortuna

maior, hic in fortuna minor, verum enimuero boni planetæ in malis domiciliis malitiam contrahunt: mali in bonis, boni euadunt. Masculini sunt qui calidi sunt; fœminini, qui frigidi, his accedit stellas alias in talique aspectu, cum aliis & planetis beneficam aut maleficam vim influere, alias steriles, alias fœcundas.

5. Quid obseruent Genethliaci in constructione [illegible]

Porro his omnibus positis, figura extructa notam singula signorum planetarum loca, quis planetarum sic in prima Domo cœli, quis in Secunda, quis etiam planeta, in propria sibi domo, vtrum sol in Leone, Saturnus in Capricorno, & sic de reliquis; tum attendunt quis, & qui ex omnibus habeat maiores dignitates, sunt autem hæ dignitates, propria domus, exaltationes, magis beneuoli aspectus, anguli quatuor, Orientis, Occidentis, Imũ cœli, medium cæli, tum eos Dominos genituræ pronuntiant & ex his futura vaticinantur. Hactenus tota horoscoporum pragmatia,

Reluuntur omnia Superioris articuli Dogmata.

ARTICVLVS II.

6. Error Genethliacorum, dũ solum cœlũ aduertunt, cæteris omissis quis non plures horũ Astrologorum, quã astrorum erro-

PEr nostras lineas redibimus; vt iam impressa deteramus vestigia; male à carceribus ominantur genethliaci, dum solum cœlum attendunt, & planetas cæteras generationis causas, siue studio, siue per negligentiam, prætermittentes. An ad constitutionem fœtus non requiritur materia? cuius mira est varietas, & quæ in fœtum redundat, vt videre est apud Hippocratem 1. de genituris, atque vt herbæ variæ eodem conformatæ tempore, diuersis facultatibus pollent, quia à diuersis seminibus ortæ, num etiam hoc in fœtu humano reperietur? propter materiæ varietatem, ex qua conformatur; requiritur locus idoneus vbi conformetur puer. num igitur vteri figura, situs, durities læuitas, humiditas, multum conferunt? num requiritur alimentum quod modo parcius, modo copiosius subministrari potest fœtui, vnde peius vel melius habeat? quod si prægnãs mulier imtẽperanter viuat, subito timore, aut gaudio, aut graui morbo corripiatur, num fœtus corrumpetur in vtero, aut saltẽ ægritudinis seminarium secum deuehet? an licet tempore conceptus regnent prolificæ stellæ, num poterit mater iam dictis affectionibus esse obnoxia, vnde varia fœtus habitudo consequatur? num à nutrimento, exercitatione, curis & maiorũ nostrorũ temperamẽto multum quoque nostrũ dependeat, num repugnat plures causas ad effectũ requiri necessario, & tamen ex vnius dumtaxat notitia affectus, cognitionem anticipari? quid igitur astrologi toti sunt in contemplatione stellarum? cætera vero iam dicta neglectui habent; fatetur quidem Cardanus pernecessarium esse astronomo omnes causas perscrutari, & vndique conquirere auxilia ad prædicendum, at situlam fecerunt, aquam è puteo non hauserunt; nusquam in eorum libris reperitur quicquam de materia, nutrimento, natura fœtus, habitudine, complexione, cibo, potu, exercitatione, curis, & similibus, quod totum fusius disputatum reperies apud Alexandrum de Angelis libro secundo cap. 3. & quarto.

res deprehendat?

Age

7.
Error Genethl. genituram non conceptũ considerãtiũ.

Age verò num plus conceptui dare debueratis quam geniturę, vt familię vestræ princeps fatetur Ptolomæus in 3. apophtegmatum? *Cum,* inquit, *principium temporale hominis aliquod statuatur, natura quidem illud est principium, cum semen vtero genitali admittitur, potentia autem & secundum accidens, cum hora partus infans egreditur, qui igitur horam admissi seminis casu vel obseruatione deprehenderit, illam sequi potius eos decet, in proprietatibus corporis animaque dignoscendis, iis, quæ eo tempore fiunt, stellarum configurationibus consideratis, cum enim semel à principio semen ex ambientis aëris affectionibus, certa qualitate disponitur, licet per consequentis conformationis tempora varietur, quoniam tam propriam cognatam materiam naturaliter sibi adsciscit, cum actum fuerit, magis etiam primæ suæ qualitatis dispositioni assimilabitur.* Hæc Ptolom. quibus manifestè profitetur, plus horam conceptus quam natiuitatis Astronomo pensitandam; rectè, nam sane ex conceptu, quod negari non potest, pendet ratio sexus & complexionis, & qui mas sanguineæ complexionis conceptus fuerit, in ortu non mutabitur in fœminam, neque pituitosam temperaturam adsciscet, adde quod, fœtus, cum primum formatur in vtero, multo tenerior est, quam cum in lucem effunditur; quare magis pati potest ab astris; & vero Aristoteles lib. 5. de gener. anim. cap. 6. cum dixisset visam aliquando fuisse perdicem albam, & coruum, & passerem, & vrsam, subdit: *Accidunt hæc, cum in generatione peruertuntur; facile enim moueri deprauarique potest, quod paruum est; tale autem, quod gignitur est, principium enim in iis, quæ gignuntur, in paruo consistit.* Verum quia natiuitas omnino obscura est & incognita, ne artem in vltimum adduceret discrimen, dixit paulo post Ptolomæus, *qui horam ignorant principij seminalis, illos necessarium esse sequi principium natiuitatis*; quasi vero sit inter natiuitatem conceptúmque consensus, quo fiet, vt quid de illa sentiendum sit, facile ex illo intelligere possimus; At, vt argumentatur Picus Mirandulanus insignis astrologorum malleator lib. 7. cap. 6. quis est iste consensus? quæ similitudo? Respondet Haly solem hora genituræ semper reperiri in signo, quod, aut Septimum, aut nonum, aut decimum sit ab eo, in quo fuit hora conceptus, hæccine igitur illa similitudo? O ridiculam vanitatem! quasi aliquod tempus alicui tempori hac ratione non consentiat, quare scilicet sol, quocumque tempore, in signo, in quo alias fuit, aliquo signorum numero distat necessario. An probabilius quod adfertur de Luna; cuius locus, cum nascimur, horoscopus sit conceptionis, & qui lunæ locus tunc, horoscopus sit deinde natiuitatis; at hoc est ignorare lunæ motum; nam post nouem menses in eadem domo reperiri non potest, in qua ante reperiebatur.

8.
Experiẽtia, quæ sola fauere posset Genethliacis, non fauet.

Attexo ad calcem, artem hanc non potuisse primum in hominum animis informari, nisi experientiæ magisterio, at cum domus planetæ, stellæ gradusque cœlorum nobis imperitent, quis vnquam potuit harum, quæ iam sunt, coniunctionum, oppositionum; naturam inter Domos planetas, & stellas, experientia notare ab primo nascentis mundi exordio; stellæ centum annis vnum gradum conficiunt, non

non igitur nisi post 36000. ad eundem locum redibunt; deinde si Hebræi 22. Litteris, omnia omnino, quæ sub cognitionem cadere possunt exprimunt, ex earum varia copulatione immensa verborum examina componentes; ex 1022. Stellis, ex 12 domibus, quarum singulæ in triginta gradus diuiduntur, ex septem planetis, quot aspectus, concursus, coniunctiones euadent, plus dico stella polaris tempore Hipparchi, hoc est, paulo amplius centum annis ante Christum, duodecim gradibus distabat à polo, iam 4. tantum; solis Apogæum tempore Ptolomæi erat in quinto gradu & trigesima Geminorum minuta: Iam est ex Tychone, in 6. gradu Cancri, & secundum alios in vndecimo Capricorni; Deinde centrum cœli solis distabat à centro terræ 24. diametris ipsiusmet terræ, tempore Ptolomæi: Iam distat tantum octodecim; quid plura hic, vt planum faciam antiquorum experientias his nostris temporibus aptari non posse præterea quod recens reperti planetæ Borbonij & Medicæi, maioribus nostris incogniti, nihil ne possunt in homines, si tanta est aliorum potestas? at quid possint qua tandem experientia notum est? accedo iam ad singula sigillatim refutanda.

9. Examinantur duodecim domus superiori articulo recensita.

Primum de duodecim domibus cæli; quæro quæ tandem erit ratio demonstrandi duodecim ibi esse domos, seu naturas distinctas, viribus & proprietatibus, non plures neque pauciores; Cur deinde quælibet in triginta partes diuiditur, vt tota diuisio cæli fiat in partes omnino 360. Respondet Auemrodam, & Taisnerus, numerum hunc inter omnes opportunissimum, vt pote qui sine aliqua mutatione physica in plurimas partes diuidi possit, nempe in duas æquales 180. in tres æquales 120. Præterea in quatuor, & sunt nonaginta, tum in sex, & quælibet pars obtinebit gradus sexaginta, deinde in octo, & cuilibet portioni respondebunt quadraginta quinque. Denique in duodecim & cuilibet parti conuenient triginta! præclarum vaticinandi genus, diuidunt hoc modo cælum, ob numeri ad diuidendum opportunitatem; tum quasi ex cæli natura profecta, Non ex sua libidine confecta sit diuisio, dogma constituunt, partes illas duodecim diuersis pollere facultatibus, atque adeo, diuersis quas supra recensuimus; accedit quod domus hæ fixæ & immobiles statuuntur, prima quidem in Oriente, decima in medio cælo, in imo cælo quarta, septima in occidente, at nihil est in cælo quod perenni vertigine non agitetur? statuunt igitur in loco quodam imaginario, vt nonnulli, qui spatia quædam imaginaria admittunt extra cælos, at ei quod imaginosum est, quæ vis physica inesse potest ad res mortalium agitandas? num igitur fabulæ sunt, pro variis domibus cæli varios esse effectus? Saturnus v.c. in primo loco facit cum clamore edi partum, facit inflatos, & superbia turgidos. in 2. est maximarum turbarum concitator, & ægritudinum maximarum conciliator est. In tertia pigros & negligentes. in quarta infames, in quinta fœlices, in sexta erraticos, in septima hæmorroicos, aut neruorum dolore contractos efficit, in octaua, si tamen in Martis finibus fuerit, ex alienis mortibus pecunias decernit: in Nona philosophos, mathematicos, vates; in

in decima Præfectos, Prætores, Duces, illustres viros reddit, in vndecima, nihil nisi post triginta annos boni spondet, in duodecima tumultus excitat & magna pericula, hæc Iulius Firmicus lib. 3. cap. 3. qui & cæterorum planetarum vires fuse prosequitur, sane non magis ignis ab aqua, Lepus ab Elephāto, & Delphinus à Ceruo distat, quam idem ipse à se Saturnus, dum varia incolit domicilia; accedit quod quæ in vno horizonte prima domus, in alio est secunda, in alio tertia, nam semper primæ domus trigesimus gradus orizontem attingit; Secundæ vero orizontem totum superat gradibus triginta, & sic consequenter, ergo in eodem loco varias in se habet virtutes idem planeta, Mars in septima domo tristatur, in prima lætatur, at eadem potest esse prima & septima; ergo in eodem loco & bene & male habet.

10. *Examinatur modus has domos cōstituēdi.*

Secundum est, nondum inter astrologos conuenisse, quomodo constituendæ sint hæ domus, nam si per æqualem diuisionem Zodiaci costituuntur, æquator æqualiter diuidetur, si per diuisionem æqualem æquatoris, Zodiacus inæqualiter diuidetur, si per æqualem diuisionem verticalis circuli Æquator & Zodiacus inæqualiter diuidentur, quare provt varie à variis domicilia cælestia constituuntur, fieri poterit vt stella vna sit in domicilio profano, fortunato, ex vnius sententia, in infausto & infortunato ex alterius libito. Næ in re adeo momentosa apud ipsos iam constare sententia certa debuisset.

11. *Non possunt signis aut cōstellationibus Zodiaci planetarū vires tribui.*

Tertium est non posse signis aut constellationibus Zodiaci planetarum vires tribui; nam tribuerat quidem Ptolomæus, Cuius tempore ver incipiebat à sexto gradu, & quadragesimo minuto Arietis, quemadmodum sexcentis aut septingentis annis ante Ptolomæum, aperiebat in primo gradu & ęstas, in primo gradu constellationis cancri, at cum hæc mutata iam sint, nec amplius signi initium initio constellationis respondeat, à recentionibus astrologis quæcunque à Ptolomæo tributa erant constellationi, tributa sunt signo, quo tandem iure? Signum uon potest esse nisi aut Imaginosum aut certe in cælo, quod supra firmamentum sit; si imaginosum; nihil amplius requiro, si in superiore cælo quid? num magis vnus orbis ab alio naturæ discrimine disparatur quā vna pars ab alia eiusdem orbis? num signa superioris ab imaginibus inferioris tantum diffident, quantū imagines inferioris inter se? Cur igitur quod de Imaginibus firmamenti olim affirmabatur, hoc de signis noni cæli affirmatur? cur iam hæc duodecim signa, Arietis Leonis, Sagittarij amara, calida, sicca, ignea cholerica; Taurus, virgo, caper, actia, melancholica, terrea, frigida, sicca; Gemini, Libra, Aquarius, dulcia, sanguinea, aërea, calida, humida; cancer, scorpius, pisces, salsa, pituitosa, frigida, humida asserūtur vt olim Ptolomæi tempore Imagines tales censebantur, Imo quod attinet ad imagines verum figmentum esse iam manifestatum est, nam imago non est domus planetæ, sed tantum signum, mitto arbitrarias esse imaginum appellationes, nec nisi fingendi licentiam, tauros, leones, pisces, cælesti domicilio donasse, clarum est; apud Arabes qui religioni ducunt humanam effi-

giem referre, aquarius est mulus clitellatus; gemini, duo pauones; virgo, spicarum manipulus, de quo plura vide apud Scaligerum in notis Manilianis, cur igitur horum animantium proprietates his constellationibus tribuuntur, & aliæ quidem humidæ, aliæ calidæ, aliæ ferinæ, aliæ mites, aliæ fœcundæ censentur?

12. *Malè distributæ planetarũ domus.*

Quartum est, male ab astronomis planetarum domos distributas esse; nam si noxias vires contemperandas censent (vnde Saturnum frigidum, diurnum, Martem calidum, nocturnum fecerunt) Saturno non signa frigida, Capricornũ & Aquarium debent tribuere, quod si congruum planetis sydus assignare volebant, cur Saturno sicco aquarij humidum domicilium datum est? ad hæc Marti calido & sicco tributus est Aries humidus; Veneri calidæ & humidæ, libra, signum autumnale, siccum scilicet & frigidum; cancer calidus est, quomodo eius calor cõgruit frigori Lunæ? Iupiter naturæ est valde temperatæ & benignæ, nec video quam communionem habeat cum Sagittario; Ptolomæus aliam rationem huius distributionis attulit à planetarum constitutione desumptam; Saturno, qui à nobis longissimè distat, Capricornus à nobis remotissimus; Lunæ terris propinquæ, Cancer non adeo à terris dissitus, iure consignatus fuit; verum hoc fulcrum nimis imbecille, vt tam vastas planetarum domos sustineat, non magis à nobis Gemini, quam Leo distant: Cur igitur sol in leone, non in geminis domicilium sibi constituit? Cur Saturnus in Aquario. Cum Aquarius non maximè à nobis distet. Cur Leo Soli tribuitur, & Cancer qui leoni proximus est, Lunæ; nam Cancer planetæ consequenti solem, hoc est Mercurio, tribui debuisset; cum hæc duo signa, leo & cancer se consequantur, hæc ita disputat Alexander de Angelis lib. 4. cap. 28.

13. *Inter planetas male conciliata amicitia.*

Quintum malè inter planetas cõciliantur amicitiæ; nam qui se amant in vnum coëunt amoris compagine; maximum amicitiæ viscarium est similitudo, quam si sustuleris, amicitiam sustulisti; at Iouem, humidum calidum, colore clarum, sapore dulcem; Saturnum, frigidum siccum; colore cinericium; subfuscum, nigrum, sapore stipticum; Martem, siccum calidum, rubeum, amarum; solem, calidum siccum, colore luteum; sapore acutum; Venerem, humidam, frigidam, albam, & vnctuosam; Lunam, frigidam humidam, argenteam, salsam; Mercurium, ancipitem, & planetæ, cui se adiungit, qualitatibus sese accommodantem, fingunt. Iam quæro quænam similitudo sit inter Saturnum & Iouem, qui Saturno amicus dicitur; nam Saturnus frigidus siccus, Iuppiter humidus calidus est; Mercurium amat Saturnus, cur igitur Saturnum Mercurius non amat? Num tanta est inter Mercurium & Saturnum, quanta inter Saturnum & Mercurium similitudo? addo præterea, cur non æque amicus Lunæ Iuppiter, ac Ioui Luna, an tantam morum asperitatem infudit in planetas benignissimus rerum omnium conditor, vt amati non redament? Sane nescio quid illecebrosæ suauitatis habet amor, vt rapiat etiam nolentem ad amoris reciprocationem. *Ego, tibi*, inquit Seneca, *monstrabo Amatorium sine medicamento, sine herba, sine*

sine vllo venefica carmine, si vis amari, ama; video quid dicant, de amore planetarum minime cogitasse Senecam. Ac nescio cur Saturnum, vt adeo maleficum infament, cum ei primi in conceptione mensis curam demandent; an vitæ exordia adeo tetræ custodiæ committenda? Attexo hic transeunter, ex Augustino lib. 1. de consensu Euangelistarum cap. 23. hanc opinionem de Saturno malefico Deo, & sydere, olim adeo præualuisse in humanis mentibus, vt nec nominare illum vellent, senem potius, quam Saturnum appellantes, tam timida superstitione, vt etiam Carthaginenses pene vico suo nomen mutauerint, vicum senis crebrius, quam vicum Saturni appellantes.

14. *Refutantur quæ de aspectu planetarũ dicta sũt.*

Sextum est. Cur aspectus trigonus, aut sextilis impediat virus mali planetæ, quadratus beneficentiam benigni, cur non æquè quadratus mali, sextilis & Trigonus boni, ac contra; sane, merum arbitramentum, nulla ratio, denique quibus tandem astrologis fidem dabimus, inter se cum non conueniant, quomodo nobis cum illis conueniet? alij Pruthenicas; alij Alphonsinas tabulas sequuntur, vtrique differentissimas, figuras cœli alias planè faciunt Hebræi à Latinis & Græcis; Sinenses ex Trigautio quingentas constellationes numerant, supra eas, quas nos hic in Europa suis quasque nominibus appellamus; Quid de sexu planetarum? Albumasar Mercurium marem, Ptolomæus fœminam facit, quanquam & in Quadripartito Androgynum esse vult.

15. *Vrgetur difficultas de natiuitate Gemellorum*

Reliqua quæ superiori articulo diximus omissa facile patior, quia cum præcipua refutata fuerint, non nisi cæterorum litura superesse potest: si enim domus planetarum à fundamentis reuulsæ sunt, tota graduum, facierum, decanorum, & cæterorum exædificatio corruat necesse est. Tantum hic duo peto à genethliacis, vnum est num Gemini eundem habeant horoscopum? Cur igitur tam dissimiles sexu, vt alter mas, alter fœmina; dissimiles affectibus, vt alter comis, vrbanus & quietis amans, alter moribus ferox & quietis impatiens, dissimiles forma vt alter læuis, alter hispidus in modum feræ, vt in Esau ac Iacob contigit. *Vno eodémque temporis puncto nati*, inquit Tullius libro 2. de diuin. *dissimiles, & naturas & vitas & casus habent.* Proclus & Emysthenes Lacedæmoniorum Reges gemini fratres fuerunt, at hi nec totidem annos vixerunt, anno enim vno Procli vita breuior fuit, multúmque is fratri rerum gestarum gloria præstitit.

16. *Quid ad hoc astrologi.*

Respondent propter incomprehẽsibilem & citissimã cœli vertiginem fieri, vt Gemini, qui eodem momẽto non nascuntur sub eodem cœlorum positu ducatúque astrorum non nascãtur; conficit enim Solis cœlum, vt de cæteris taceam, singulis minutis horariis 5900. milliaria; stella vero quælibet supra æquatorem 352857. at virtus constellationis in ictu pungentis est. Illustrabat hoc nobili illo commento de figuli rota Nigidius, (vnde & figulus appellatus est) vt refert Augustinus cap. 3. lib. 5. de ciuitate Dei, dum enim rotam figuli, vi quanta potuit, intorsisset, currente illa, bis numero de atramento, tanquam vno eius loco, summa celeritate percussit: deinde inuenta sunt signa, quæ fixerat, desistente motu, non paruo interuallo in rotæ illius extremitate distantia; sic

vero, inquiebat, in tanta cœli rapacitate, etiamsi alter post alterum tanta celeritate nascatur, quantam rotam bis ipse percussi, in cœli spatio plurimum est, hinc autem sunt quæcunque dissimillima perhibentur in moribus casibusque geminorum.

17. *Quid cōtra Astrologos Gregorius Magnus.*

Vidit hoc iampridem Gregorius Magnus in homil. Epiphaniæ, qui cum Astrologis argumentum hoc nostrum de geminis obiecisset, subiungit. *Sed ad hæc solent mathematici respondere, quia virtus constellationis in ictu pungentis est; quibus è diuerso dicimus, quia magna est mora natiuitatis, si igitur in ictu puncti constellatio permutatur, necesse iam erit vt tot dicant fata, quot sunt membra nascentium* hæc ille, addo fieri posse vt propter difficilem partum, vt fit in vnius, quam in duorum natiuitate, maior sit mora, ergo tanta illic in vno eodemque homine fati diuersitas esse deberet, quanta in his duobus.

18. *Quid Phanorinus.*

At Phanorinus apud Gellium lib. 4. cap. 1. *Si idcirco gemini non eadem vitæ sorte sunt, quoniam non eodem temporis puncto editi sunt; peto respondeant, cursum illum temporis transuolantis, qui vix animi cogitatione comprehendi potest, quonam pacto aut assequi queant, aut ipsi perspicere, cum in tam præcipiti dierum noctiúmque vertigine minima momenta ingentes dicant facere mutationes.*

19. *Quid denique Augustinus.*

At subtilissime Augustinus totum hoc argumentum multis versat modis initio lib. quinti de ciuitate Dei, primo enim, post verba à nobis relata ex capite 3. *Hoc figmentum*, inquit, (*nimirum de rota figuli*) *fragilius est quam vasa, quæ illa rotatione finguntur. Nam, si tam multum in cœlo interest, quod constellationibus comprehendi non potest, vt alteri Geminorum hæreditas obueniat, alteri non obueniat, cur audent cæteris, qui Gemini non sunt, cum inspexerint eorum constellationes, talia pronuntiare quæ ad illud secretum pertinent, quod nemo potest comprehendere, & momentis annotare nascentium.* Prçterea capite quinto: *Deinde quæro*, inquit, *si tanta distantia est temporis in natiuitate geminorum, vt per hanc oporteat eis constellationes fieri diuersas, propter diuersum Horoscopum: & per hoc diuersos omnes cardines, vbi tanta vis ponitur, vt hinc etiam diuersa sint fata, vnde hoc accidere potuit, cum eorum conceptus diuersum tempus habere non possit; aut si duorum vno momento temporis conceptorum potuerunt esse ad nascendum fata disparia, cur non & duorum vno momento temporis natorum, possint esse ad viuendum, atque moriendum fata disparia? Nam si vnum momentum quo ambo concepti sunt, non impediuit vt alter prior, alter posterior nasceretur, cur vno momento, si duo nascuntur, impediat aliquid, vt alter prior alter posterior moriatur? Si conceptio momenti vnius diuersos casus geminos habere permittit, cur natiuitas momenti vnius non etiam quoslibet duos in terra diuersos casus habere permittat? Ac vt omnia huius artis, vel potius vanitatis commenta tollantur, quid est hoc, quod vno tempore, vno momento, sub vna eadémque cœli positione concepti diuersa habeant fata, quæ illos perducant ad diuersarum horarum natiuitatem? & vno momento temporis sub vna eadémque cœli positione, de duabus matribus duo pariter nati, diuersa fata habere non possunt, quæ illos perducant ad diuersam viuendi, vel moriendi*

moriendi necessitatem? An concepti nondum habent fata, quæ nisi nascantur habere non potuerunt? quid est ergo quod dicunt, si hora conceptionalis inueniatur, multa ab istis dici posse diuinitus? Ex his facile est videre, quod idem Augustinus ait ibidem capite primo, Astrologos nihil vnquam dicere potuisse, cur in vita geminorum, in actionibus in euentis, in professionibus, artibus, honoribus, cæterisque rebus ad humanam vitam pertinentibus, atque in ipsa morte, sit plerumque tanta diuersitas, vt similiores eis sint, quantum ad hęc attinet, multi extranei, quam ipsi inter se Gemini, per exiguum temporis interuallum in nascendo separati, in conceptu autem per vnum concubitum vno etiã momento seminati.

20. *Vrgetur alia difficultas de multitudine hominũ, qui eandem sortem patiuntur.*

Alterũ vero quod peto à Genethliacis, est num omnes qui Cannensi pugna ceciderunt, eodem astro fuerint nati; quod olim M. Tullius quærebat; num illa quadringenta millia qui in prælio inter Ladislaum Panoniæ Regem, & Amuratum Turcarum Imperatem gesto, obierunt similibus orti erant natalibus; quid quoties nauis laxatis in medio cursu compagibus mergitur, quoties eam aut profunda hauriunt, aut comminuũt scopuli in medio æquore, vnde nulla enatandi sit facultas, an vectores omnes, quorum alij Arabes, alij Ægyptij, alij Hispani, alij Galli, alij Germani esse possunt, sub eorumdẽ astrorum congressu nati sunt? an omnes sub Aquario, qui periculum imo mortem in mediis aquis minitatur? num aliquis sub Sole, alij sub Ioue, qui prosperum exitum spondeant? An iurgium erit inter fata, sed quicquid sit, necessario nonnulla ex his fallacia erunt, si enim omnes propter aliquorum fata humida submergantur, num genesis Iouialium & Solarium fallax erit? Si vero propter hos alij emergant, etiam tunc eorum Horoscopus fallax sit necesse est; quam vere dixit Leonidas; *Astrologiæ* (de hac Iudiciaria loquebatur) *Mater audacia est; obstetrix stultitia.*

21. *Scriptura varia loca contra Astrologos.*

Sed quid moror? cœlum tonat, ranæ taceant; en summæ veritatis oracula; Deuteron. 18. *Gentes istæ diuinos audiunt; tu autem aliter institutus es à Domino Deo tuo.* Is. 44. *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus; stabiliens terram & nullus mecum; irrita faciens signa diuinorum, & ariolos in furorem vertens; conuertens sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam faciens*, & iterum cap. 47. *Defecisti in multitudine consiliorum tuorum, stent & saluent te Augures cœli, qui contemplabantur sydera, & supputabant menses, vt ex eis annuntiarent ventura tibi:* & Ieremias cap. 10. *Dicit Dominus iuxta vias Gentium nolite discere; & à signis cœli nolite timere, quæ timent Gentes.*

Obiicitur Astrologos sæpe verum prædixisse.

ARTICVLVS III.

22. *Obiicitur, & probatur Astrologos vera prædicere.*

Nihil adeo aperte falsum est, quod aliquam veritatis speciẽ præseferre non possit. Obiiciunt Astrologi sæpe se ex natalitiis astris prosperam aduersamque multorum fortunam prædixisse P. Nigidius figulus, nato Augusto horam partus accepit, consultisque sideribus natum orbi esse terrarum Dominum affirmauit, vt refert Suetonius in

in Aug. cum natus esset Nero, prædixit Astrologus natum esse Imperatorem, qui matrem esset necaturus, nec defuit præsagio veritas. Vitellius diem prædixit Astrologis quo abituri essent Italia, illi contra diem mortis; Item Pico Comiti Myrandulano absolutis illis præclarissimis duodecim libris in totam artem planetariam, diem ipsi mortis, morbique genus prædixerunt, & vere; mortuo Leone decimo Pont. Max. quæsitum fuit à Paride Cerosario Mantuano Astrologo ea tempestate famosissimo, An vlla summi pontificatus spes ex astris Cardinali Farnesio affulgeret? respõdit in præsentia quidem, nulla, at ad annum 1534. qui à prædictione fuit duodecimus; certissima; & sane eo ipso anno renuntiatus est summus Pontifex Paulus 3. Vaticinatus est præterea post septem annos magnum ab aquis periculum, & post viginti septem; vitę exitum. nonnulla sunt alia similia.

23. *Responsio Augustini.*

Antequam respondeam vtar oratione Augustini, qui lib. 2. de doctrina Christiana cap. 23. cum iam de multis superstitionibus disputasset, tandem ita concludit, *Hoc autem genus fornicationis animæ salubriter Diuina auctoritas non tacuit, neque ab ea sic deterruit animam, vt propterea talia negaret esse sectanda, quia falsa dicuntur, à professoribus eorum: sed etiam si dixerint vobis, inquit, & ita euenerit, ne credatis eis., non enim quia imago Samuelis mortui Saüli vera pronunciauit propterea talia sacrilegia, quibus illa Imago præsentata est, minus execranda sunt, aut quia ex Actibus Apostolorum fœmina ventriloqua verum testimonium perhibuit Apostolis Domini, ideo Paulus Apostolus pepercit illi spiritui, ac non potius fœminam illius Dæmonis correptione, atque exclusione mundauit: omnes igitur artes huiusmodi, vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis, quadam pestifera societate hominum & Dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta; penitus sunt repudiandæ & fugiendæ Christiano.* Atque alibi S. Doctor, cuius ex variis locis multa congerit Gratianus 26. q. 5. respondet, permittere Deum, vt Astrologi vera prædicant, ad cognoscendum dilectionem nostram erga ipsum; cognoscendam, inquam, à nobis potius quam ab illo, qui scit omnia, antequam fiant: secundum illud Deuteron. 13. *Si surrexerit in Medio tui propheta, aut qui somnium dicat se vidisse, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi, eamus, & sequamur Deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis, non audies verba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus, vt palam fiat vtrum diligatis eum.*

24. *Respondetur quomodo sine ope Dæmonis Astrologi futura prædicant.*

Iam vero respondeo duobus modis posse Astrologos vera prędicere, nullo astrorum proxenetico officio tum sine ope Dæmonis, tum cum hac ipsa Dæmonis ope. Ex se igitur verum prædicere possunt primo. casu & fortuna. quis enim totum diẽ iaculans non aliquando collimet in scopum? casui non raro attribuendum est, non scientiæ vllius facultati, quod vera anticipent, quis adeo effrenis mendacij est, qui semper mentiri possit, inter multas lutosarum falsitatum sordes, facile vna potest veritatis gemma latere; lubrica coniectatione innixi quasi per tenebras ingredientes imprudenter nonnunquam in veritatem incidunt olim de Apollinis oraculis vulgo iactabatur

iactabatur falsa reticeri, vera prædicari, idipsum de oraculis astrologicis sentio, quam sæpe ac sæpe sæpius mentiuntur? traduntur æternæ obliuioni mendacia, veræ prædictiones eæque paucissimæ, hominum ore vulgantur. Non miror quod aliquando verum prædicant, mirarer si nunquam. Secundo leuitate consulentium astrologos, fit, vt vera ipsos denuntiare contingat: Si cui enim magnam apud principes gratiam, ingentes facultates spoponderunt, fit, vt, licet fortè nunquam eo colẽdo principe cogitasset, iam nihil aliud agitet animo, nihil verset aliud, immensa recursantium cogitationum sollicitudine æstuat mens, nõ est lapis qui nõ moueatur. quid mirum si tandem principi gratiosus euadat, Debetur hoc studio & labori, non astrorum sponsionibus; prædixit Astrologus ingentes infortuniorum clades, ægritudines, infaustos negotiorum successus; despondet hic animum, perpetuo corroditur quasi impendentium malorum molestia, sibi grauis, omnibus permolestus; non miror iam astrologicæ prædictionis euentum. Tertio multa ex vsu rerum humanarum, ex peritia multis variisque experientiis collecta, ex temporis corporisque habitudine, consuetudine, studio, maiorum prosapia, aliisque similibus augurantur, quod Medici & Physiognomi facere possunt; & feruens imperitæ plebeculæ examen hoc Astris censet tribuẽdum? quid Medici ex morborum symptomatibus, nónne diem mortis horámque sæpe coniectant, cur non potuit Lucius Bellantius Senensis Astrologus, Pico Mirandulæ Comiti ex delicata corporis eius habitudine, aliisque signis corpori impressis prædicere, vltra trigesimum tertium ætatis annum vitam ipsi non esse producendam, multa similia prætermissa esse patior. Taceo quod adeo perplexis ambagibus sua conuoluunt effata, vt, quodcunque euenerit, prædictum esse videatur, & ipsi diuini haberi possint; qua in re similes sunt Apollini Delphico, qui à Pyrrho, Æaci filio, consultus de belli euentu respondit.

Aio te Æacide Romanos vincere posse.

Cui oraculo veritas deesse videri non poterat, siue Pyrrhus à Romanis, siue à Pyrrho vincerentur Romani; qua de re præclare agũt Marcus Tullius 2. de diuinatione, & Augustinus 3. de ciuit. Dei, cap. 17.

25. *Quomodo duce & authore dæmone vera prædicant.*

Præterea, duce & authore dæmone sæpe de futuris enuntiant, vt præclare dixit Sixtus V. Bulla data anno 1586. contra exercentes artem Astrologiæ iudiciariæ: verba paulo fusius referenda mihi videntur. *Nec vero ad futuros euentus, & fortuitos casus prænoscendos, (futuris euentibus ex naturalibus causis necessario, vel frequenter prouenientibus, quæ ad diuinationem non pertinent, duntaxat exceptis) vllæ sunt veræ artes, aut disciplinæ, sed fallaces, & vanæ, improborum hominum astutia, & dæmonum fraudibus introductæ, ex quorum operatione, consilio, vel auxilio, omnis diuinatio emanat; siue quod ipsi prauitate sua, & odio in genus humanum, occulte etiam præter hominis intentionem se ingerant & intrudant vanis inquisitionibus futurorum, vt mentes hominum perniciosis vanitatibus, & fallaci contingentium prænuntiatione implicentur, & omni impietatis genere deprauentur.*

Ita etiam docet Augustinus l. 5. de

de ciuitate Dei c. 7. *Non immerito creditur, cum Astrologi multa vera respondent; occulto instinctu fieri spirituum non bonorum, quorum cura est has falsas opiniones de astralibus fatis inserere humanis mentibus, atque firmare.* Hactenus Augustinus: qui lib. 2. de doctrina Christiana c. 22. & 23. rectè notat, iusto Dei iudicio fieri, vt qui res abstrusas scire tentant in Dæmonum consuetudinem labantur; sane aliqui aperte cum Dæmone agunt; alij tacito pacto, quod fortasse non aduertunt: aliis Dæmon auceps vaferrimus animatum, dux est, quanquam insciis, ad vaticinia fundenda, & quidem vera, vt eos magis irretiat, in impietatem præcipitet, sibique pessime deuinciat. Ita olim ante Euangelium multa futura vera prædixit vt homines magis superstitionibus obligaret.

26. *Quomodo Dæmō potest scire futura.*

At quomodo, inquies, Dæmon potest scire futura? Respondeo multis modis; primo, propter exquisitissimam causarum cognitionem effectus probabilissime coniectat; si enim hoc possunt Nautæ, Medici, atque alij, cur non, & quidem multo perfectius, idem poterit Dæmon in multis euentibus naturalibus & politicis? & quæ statim supra diximus de hominibus, sine ope Dæmonis, futura cognoscentibus, aut vera prædicentibus, etiam in Dæmonem cadunt. Secundo multa à bonis Angelis nouit, quæ Deus facienda decreuit, & bonis Angelis reuelauit ita Augustinus l. 2. ad Simplicianum q. 3. & l. 2. de Genesi ad literam c. 17.

Tertio, scripturas nouit, in quibus multa continentur adhuc facienda, de qua videri potest Athanasius in vita S. Antonij; sic olim prædicere potuit multa fidei mysteria; & narrat Augustinus l. 8. de ciuitate Dei cap. 23. Trismegistum Idolorum subuersionem prædixisse. *Hæc vana*, inquit, *deceptoria, perniciosa, sacrilega Hermes Ægyptius, quia, quo auferrentur tempore, venturum sciabat, dolebat; sed tam impudenter dolebat, quam imprudenter sciebat; non enim hoc ei reuelauerat Spiritus Sanctus, sicut prophetis sanctis.* & paulo post; *huic autem Ægyptio illi spiritus indicauerant futura tempora perditionis suæ, qui etiam præsenti in carne Domino trementes dixerunt, quid venisti ante tempus perdere nos?*

Quartò, narrat facienda quæ iam fieri cœperunt, vt postea putes eum futura prædiuinasse, cum tantum præsentia dixerit; de quo consulendus Athanasius iam citatus.

Quintò, dicit futura, quæ facere decreuit, vt ait Augustinus iam laudatus super Genesim; & sane si ante suffocationem alicuius è maritis Saræ Dæmon prædixisset illum esse suffocandum illa ipsa nocte, verum annuntiasset, quia illud ipsum facere decreuerat, quanquam nihil potest, nisi quantum illius ordinatione finitur cuius plene iudicia nemo comprehendit, nemo iuste reprehendit vt ait Augustinus l. 2. de ciuit. Dei cap. 23. atque hic notes peruelim sæpe has prædictiones esse falsas, quia plerumque nescit certo Dæmon quid sibi Deus sit permissurus; quam sæpe multa desorbet spe, quæ reipsa cogitur reuomere: cum vero scit quid ipsi Deus permissurus est, vt in Iobi tentatione contigit, quid mirum tunc, si certo, & vere, quid futurum sit, prænuntiare possit.

Vltimo, probabile est quod in pœnam

pœnam vanæ & impiæ credulitatis hominum, iustissimo & secretissimo Dei iudicio, multa Dæmonum vaticinia suum consequantur effectum, licet cum nulla futurorum cognitione pronuntiata sint; quare Climacus gradu 3. diuinissimam illam protulit sententiam, *iis qui Dæmoni fidem habent, Dæmon sæpe vates fuit*; nimirum in pœnam superstitiosæ credulitatis.

27. *An dispositiones cogitatione conceptas cognoscat.*

Cæterum Augustinus l. de diuinatione Dæmonum cap. 3. & sequentibus disputat de variis modis quibus ipsi futura prædicere possunt, atque, inter cætera, hæc habet, *aliquando & hominum dispositiones, non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt. Atque hinc etiam multa futura prænuntiant, aliis videlicet mira, qui ista deposita non nouerunt*; ita Augustinus. at lib. 2. retractationum cap. 3. hanc suam sententiam iam relatam tali censura notat *quodam loco dixi, Dæmones aliquando hominum dispositiones non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscere. Rem dixi occultissimam, audaciori assertione, quam debui, nam peruenire ista ad notitiam Dæmonum per nonnulla etiam experimenta compertum est: sed vtrum quædam signa dentur ex corpore cogitantium illis sensibilia, nos autem latentia, an alia vi spirituali ista cognoscant, aut difficillime potest ab hominibus aut omnino non potest inueniri.*

D. *Ambrosij de genethliacis sententia.*

ARTICVLVS IV.

28. *Genethliacorũ sciẽtia vana.*

Mirus est in confutandis Genethliacis Ambrosius toto cap. 4. lib. 4. Hexaëmeron, at quoniam non libet hic totum exscribere, præcipua seligam orationis eius capita, ex quibus reliqua facile coniici possunt, *Nonnulli*, inquit, *natiuitatum tentauerunt exprimere qualitates, qualis futurus sit vnusquisque, qui natus sit, cum hoc non solum vanum sed etiam inutile sit quærentibus, impossibile pollicentibus. Quid enim tam inutile vt vnusquisque sibi persuadeat, sibi, hoc esse quod natus est? nemo ergo debet vitam suam, statum moresque mutare, nec eniti quo melior fiat, sed in ea persuasione neque probum potes laudare, nec condemnare improbum, qui necessitati natiuitatis suæ respondere videatur, & quo modo Dominus præmia proposuit bonis aut improbis pœnas, si facit necessitas disciplinam, & conuersationem stellarum cursus informat: & quid est aliud quam hominem de homine exuere, si nihil moribus, nihil institutioni, nihil studiis derelinquitur &c.*

29. *Pollicetur quod præstare non potest.*

Paulo post disputat impossibile esse pollicentibus, eam, quam dant fidem, præstare. *Nam*, inquit, *vt de eorum aliquid disputatione sumamus redarguendi gratia, non probandi, magnam vim dicunt esse natiuitatis, eamque minutis quibusdam & certis colligi oportere momentis, ac nisi verius colligatur, summam esse distantiam: breui enim atomo, exiguoque momento distare natiuitatem in-*

opis & potentis; egentis & diuitis; innocentis & noxij; & plerumque eadem hora generari longæuitati debitum, & prima ætate pueritiæ moriturum, si reliqua disparia sunt & puncto aliquo discreta. Hoc quemadmodum possint colligere, respondeant. Constitue partum fœminæ, obstetrix vtique cum primum cognoscit, explorat vagitum; quo natiuitas colligitur: attendit vtrum masculus sit an fœmina; quot vis inter has moras prætерire momenta. pone Mathematicum præparatum, Nunquid potest vir interesse puerperio; dum mandat obstetrix, audit Chaldæus, ponit Horoscopum in alterius sortem, iam nati fata migrarunt, de altero quæritur, & alterius genitura proponitur; pone veram esse eorum opinionem, de natiuitatum necessitatibus non potest vera esse collectio; puncta transeunt, fugit tempus irreparabile; Non est dubium quod tempus in atomo, & in momento, & in ictu oculi sit; adducor vt credam, quando omnes in atomo, in momento, & in ictu oculi suscitamur, vt Apostolus protestatur, inter effusionem & susceptionem depositionemque pignoris, inter fletum eius & nuntium quot atomi transierunt? & hoc, vt simpliciter ista texuerim, Nam & ipsi vitalem illum signorum duodecim circuitum in duodecim partes diuidunt, & quia triginta diebus Sol duodecimam partem eius sphæræ eius, quæ inenarrabilis habetur, regreditur, quo gyrus solis anni circuitu compleatur, in triginta portiunculas, quas Græci μοίρας vocant, vnaquamque duodecim illarum distribuunt portionem; ipsam quoque portiunculam in 60. vices conferunt. Rursus vnumquodque de illis sexaginta sexagies secant. Quam incomprehensibile est in quo sexagesimo tot sexagesima portiunculæ natiuitatis momenta constituant? & qui singulorum signorum sit, aut motus, aut species in natiuitate nascentis? Vnde cum impossibile sit tam subtiles minutias temporis comprehendere, exigua autem minutia inuehat vniuersitatis errorem, totum negotium plenum est vanitatis; disputatores eorum quæ sua sunt nesciunt, quomodo aliena nouerunt? quid sibi immineat ignorant, quomodo possunt aliis quæ futura sunt denuntiare? Ridiculum est credere, quia si possent sibi potius prouiderent.

30. Plane inepta.

Iam illud quam ineptum, vt si quis signo Arietis ortum se dicat, ex vsu pecudis æstimetur præstantissimus consilio, quod in grege huiusmodi emineat pecus; aut locupletior, eo quod vestitum habeat Aries naturalem, & quotannis lucrum capiat indumenti; eoque viro illi tam familiaria videãtur quæstuum esse compendia: similiter, & de Tauri & Piscium signis argumentantur, vt ex natura vilium animantium cœli motus, & signorum interpretandas existiment potestates. Cibus ergo noster viuendi nobis decreta constituit, & alimenta nostra nobis, id est Aries, Taurus, & Pisces morum imprimũt disciplinam, &c. Aiunt autem plurimum referre, vtrum ortum generati benefica signa videant, an malefica & noxia, & in eo natiuitatis esse distantiam, quod benefici signi aspectus plurimum conferat, malefici & noxij plurimum noceat, sic enim eadem signa qui venerantur; appellare consueuerunt, necesse enim habeo torum vti nominibus, quorum vtor assertionibus, ne ignorata magis quam vacuefacta atque destructa sua argumẽta cõmemorent. Itaque cum illum vagum celeremque motum non queant comprehẽdere,

dere, sæpe fit vt per illam puncti & momenti incomprehensibilem subtilitatem ponant benefici signi aspectum, vbi grauis atque nocitura incurrat offensio; & quid mirum, si ibi luduntur homines, vbi signa innoxia blasphemantur, quæ si natura noxia esse esse creduntur, Deus ergo summus arguitur, si facit quod malum est, & fuit improbitatis operator, &c.

Etenim quis prudentium credat quod signorum motus qui ad diem sæpe mutantur, & multipliciter in se recurrunt, insignia deferant potestatum; Nam si ita esset, quantæ ad diem regalium natiuitatum exprimerentur figuræ, quotidie ergo Reges nascerentur, nec regalis in filios transmitteretur successio, sed semper ex diuerso statu, qui ius imperialis acquirerent potestatis orirentur; quis igitur Regum Genituram filij sui colligit, si ei debeatur imperium, & non proprio successionem regni in suos transcribit arbitrio.

Explicantur duo loca ex Scriptura, quæ perperam pro Astrologica chiromantia adferuntur.

CAPVT V.

1. *Locorum scripturæ abusus.*

TANTA est hominum licentia & peruersitas, vt nihil pene fingi possit tam absurdum, aut impium, quod aliquibus diuinarum paginarum oraculis, in contrarios sensus luxatis, tueri ac defendere non tentarint. Quod vel ex hoc vno intelligi potest, quod iã dicturus sum: laudantur à nonnullis duo scripturæ loca, quibus Chiromantiæ Astrologicæ, quæ tota vanitati & superstitioni mancipata est, conciliari pondus videtur. Verum quæ est horum authorum ingenij indoles, ne quidem de Chiromantia in vniuersum, vel voculam sonant, nedum Astrologicam Chiromantiam prædicant, & confirmant.

2. *Primus locus pro Chiromãtia Astrologica affertur, explicatur.*

Primus petitur ex cap. 13. Exodi vbi ex Dei iussu populum, cum primum Ægypto eductus est, alloquitur Moses his omnino verbis *Mementote diei huius in qua egressi estis de Ægypto, & de domo seruitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto, vt non comedatis fermentatum panẽ. Septem diebus non apparebit apud te aliquid fermentatum, neque in cunctis finibus tuis, narrabisque filio tuo in die illo dicens: hoc est quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum de Ægypto, & erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos*; At vero his verbis an commendatur Chiromantia? An significatur solemnitatem paschalem futuram populo memoriale liberationis, sicuti signa impressa manibus ex planetarum influxibus sunt signa futurorum? vnde tandem vel minima huiusce suspicionis nasci potest occasio? Agitur ibi de signis arte vsurpatis, non à natura impressis cuiusmodi sunt annuli, quibus in amicorum memoriam eorum effigiem insculpimus; vt primo Tristium Elegia 6.

In digito, qui me férsque, refersque tuo.

3. *Secundus locus affertur, explicatur.*

Secundus locus petitur ex libro Iob cap. 37. *Qui in manu omnium signat, vt norint omnes opera sua.* Ergo inquiunt, depinxit Deus in manu singulorum, quid ipsis euenire de-

beat, quid facturi passuriue sint. Docte & copiosè hac de re Pineda in eum locum, cum multas referat expositiones, vnius tantum meminit Francisci Titelmani, cuius interpretatio Chiromantiæ faueat, non quidem Astrologicæ, sed in vniuersum spectatæ Chiromantiæ, sunt autem duæ veræ huius loci explicationes; nam quæ Titelmani est, omnino vana, & fictitia est.

4. *Prima expositio secundi loci.*

Vna est Valesij; Deum signasse homini in manibus opera sua, quia intuendo manus cognoscit se natum ad omnes artes tractandas, exercendas, perficiendas; *Mira est enim*, vt ait Cœlius lib. 4. cap. 3. *Artium numerositas quam membri huius adiumento condiscimus, exercemus. Taceo hic pingendi, fingendi, sculpendi nobile artificium; iis penetramus in viscera terræ, metallorum inde vim longe pretiosam eruentes; admittuntur maria, repelluntur; certis quoque limitibus, velut septis, præscriptum proferre pedem vetantur, obiectis molibus; penetramus aquarum ima, naturæ supellectilem vndique nobis vendicantes; totque modis rerum facies mutatur, camporum dominamur laxitati, supercilia montium, quantumuis senticosa, nobis obnoxia reddimus. Bestias item omnes terrestres, aquaticas, aëreas, quidquid fere mundi vastitas complectitur, manuum solertia nostri fit iuris; Ausim dicere, semotis manibus, non inermes modo nos futuros, sed vel brutis infœliciores.* Hactenus Cœlius; sane non tantum manus instrumentum est corpori, animo autem mens, vt ait Aristoteles in problematibus sect. 6. verum etiam & menti & animo instrumentum est, & sicut ratio ad inuentionem, oratio ad auxilium, ita manus ad perfectionem data est. Legendus idem Aristot. 4. de parti. cap. 10. vbi disputat contra Anaxagoram, qui hominem censebat prudentissimum, quod manus haberet. *At contra*, inquit Philosophus, *homo manus habet, quia prudentissimus est, vt enim rectius, perito tibiæ, tibia dabitur, quam tibiam habenti peritia tibiæ addetur, ita natura, quæ rectissime semper agit, homini, non propter manus prudentiam dedit, sed propter prudentiam, manus; qui enim prudentissimus est, potest vti multis instrumentis, manus autem esse videntur non vnum instrumentum, sed multa, est enim, vt ita loquar instrumentum ante instrumenta, & nobis est velut vngula, & cornu, & hasta, & ensis & quoduis aliud armorum, aut instrumentorum genus.*

5. *Secũda expositio, & melior.*

Altera expositio ipsius Pinedæ multo melior, & commodior est; quam antequam adferam, suppono, signare, in Scriptura idem esse quod claudere & sigillare; vt Danielis 12. *Claude sermonem & signa librum*, & Deuteron. 32. *Condita & signata in thesauris tuis*; Præterea, illud, signare in manu, idem est, ac signare seu claudere manum; quemadmodum Oseæ 4. *Interrogate in ligno*, id est, interrogate lignum. Hoc supposito sic se habet expositio; Deus signat seu claudit manum hominum, tempore scilicet niuium, & tempestatum, atque grandinum, de quibus eo loco sermo est, quia coguntur tunc, maxime Agricolæ clausis manibus feriati ab omni opere, domi manere; ratio autem quare signat manum, est, vt singuli norint opera sua, id est, si per opera sua intelligas opera Dei, singuli norint quantum dependeant à Deo, qui omnia nutu suo regit, vel si vis referre opera sua ad opera hominum

num, idem eſt, ac ſi diceret: ſinguli homines nouerint infirmitatem ſuã, quia ſcilicet ab ipſis non pendet vt poſſint vacare, aut non vacare labori. Priori expoſitioni magis fauet Hebræus Codex, poſteriori vero LXX. Interpretes, habent enim, *Ita vt ſciat omnis homo infirmitatem ſuam.*

De Ambidextris.

CAPVT VI.

1. Nomina Græca dextræ & ſiniſtræ manus.

IAM refutata Chiromantia, Aſtrologica, inſtitutum noſtrum exigit, vt phyſicæ Chiromantiæ coniecturas perſequamur; atque ab ambidextris ducendum nobis exordium.

Græci dextram manum δεξιὰν, vocant, ἀπὸ τοῦ δεξιέσθαι δι' αὐτῆς τὰς πράξεις, eo quod ipſa plurimas res, agamus, at ſiniſtram ἀρίστεραν, nuncupant quaſi οὐκ οὖσαν ἀρίστην, quod non egregia optimáque ſit; dicitur etiam σκαιὸ παρὰ τὸ σκάζειν quod claudicare interpreteris, quia in rebus peragendis ipſa per ſe claudicat.

2. De quibus ambidextris hic loquimur.

Iam verò ambidextri, ſeu ambilæui, ſunt ij, qui ex æquo ad omnia munia vtraque manu poſſunt vti, quam ad rem non parum valere conſuetudinem doctrice experientia nouimus; conſuetudini debemus, quod licet omnes partes ſiniſtræ infirmiores ſint, quam dextræ, in omnibus tamen ſenſibus, vtraque parte ſenſus pene ex æquo vtamur. Nam vtraque aure æque bene audimus, vtroque pede æque bene ambulamus: hic tantum loquimur de iis, qui facultatem hanc, non à conſuetudine, ſed à natura acceperunt, quales exiſtimo fuiſſe Gabaënſes ſeptingentos lectiſſimos viros, qui manu ſiniſtra vt dextra vtebantur, & Ajoth qui Iſraëlitas poſt octodecim annorum ſeruitutem, quam Eglon Regi Moabitarum ſeruierant, in libertatem vindicauit; his addo illum Agarenum ſcholæ gladiatoriæ principem, qui duabus haſtis ex æquo pugnabat in bello, ductuſque eſt in triumphũ à Theophylo Imperatore, vt refert Cuſpinianus; coniecturas quærimus ex hoc robore duplicato ſumptas.

3. Dextræ partes nobiliores ſiniſtris.

Primo ſtatuendum eſt dextras partes nobiliores eſſe ſiniſtris, vt ſuperiores inferioribus, & anteriores poſterioribus; quare recte veteres in adorando ſolam dextram ori admouebant ad oſculum, & Pythagoræi dextrum in genere entium, ſiniſtrum in genere non entium conſtituebant. Entium ſeries hæc erat, vt refert Ariſtoteles cap. 5. lib. 1. Metaphyſicæ, finitum, impar, vnum, dextrum, maſculinum, quieſcens, rectum, lumen, bonum, quadratum. Non entium vero coordinatio, infinitum, par, multa, ſiniſtrum, fœmininum, motum, curuum, tenebræ, malum.

4. Itē & calidiores.

Præterea partes dextræ calidiores & valentiores ſunt ſiniſtris, quia iecur dextrum eſt, & licet cor vitalis caloris fons in medio ſitum ſit (medium, cum Ariſtotele 3. de partibus cap. 4. intelligo corporis neceſſarij: cuius ſanè exitus eſt qua excrementa emittuntur; reliquæ enim partes ad vitam neceſſariæ non ſunt;) licet, inquam, cor in medio ſitum ſit, ſuo tamen turbinato mucrone ad ſiniſtrum latus vertitur; os vero illud, quo ſpiritus effunduntur dextrorſum obuerſum eſt, immo

cum in eo duo visantur thalami seu ventriculi (alij cauitates vocant) in dextro spiritus, qui sanguinis portio sunt calidissima, in sinistro frigidior sanguis continetur, atque ex hoc capite, quod dextra sint calidiora & valentiora, sinistra humidiora & frigidiora, fit, vt sinistrum oculum citius quam dextrum contrahamus, quia quod humidius est, facilius patitur; sinistra quoque auris facilius sanetur, quam dextra, quia minus sanguinis continet, ideo citius siccatur, coïtque: Et vero motionis originem sumi à dextra parte, iam supra diximus lib. 1. c. 16. art. 3. Quadrupedia, vt equus, mouent posteriora crura ad priora per diametrum; primo quidem dextrum crus prius, sinistrumque posterius; postea sinistrum prius, dextrúmque posterius, vt habet Aristoteles lib. de incessu, vbi etiam, quemadmodum & 2. de Cœlo cap. 2. à triplici motus principio, augmentationis, sensationis, & motus localis has differentias duci obseruat, supra, infra, dextrum, sinistrum; ante, retro; vbi igitur est principium augmentationis, quod est in animalibus, os, quo alimentum sumunt, & in plantis, radices, ibi est sursum, oppositum est deorsum; vbi principium motus localis, est dextrum, oppositum est sinistrum; vbi principium est sensationis, facies scilicet in qua omnes sensus sedem habent, est ante, oppositum retro; iam ad rem venio.

5. Quis & qualis ambidexter.

Ambidexter est is in cuius thorace ita situm est cor, vt licet in dextram partem magis propendeat, tamen propter suum summum calorem satis copiosos spiritus in sinistram partem effundat, adeo vt agilitatem præstare possit sinistræ pariter ac dextræ, in quo cum videas magnum caloris excessum, suspicari facile est, quare, vt author est Hippocrates, nullæ sunt mulieres ambidextræ, frigidiusculæ quippe sunt. Præterea facilè est videre, num ambidextri turbulentis sint moribus, præcipites, & temerarij propter excessum caloris.

6. Nonnulli plus valẽt sinistra quã dextra, & quare.

Sunt vero, qui, contra suetum naturæ ordinem, robustiorem & agiliorem habent læuam, quam dextram, cuiusmodi fuit Ismaël Sophi Persarum Rex, crudeli feritate æstuans, & libidinis facibus inflammatus; Tiberius quoque Imperator, qui præterea articulis erat adeo robustis, vt recens malum digito terebraret, & talitro adolescentis caput sauciaret, vt refert Suetonius: Indacus etiam qui sub Leone Imperatore Martiani successore vixit, audacissimus homo, ex Suida, læuam dextra habuit valentiorem. Quodnam iudicium de huiusmodi ferendum? Iam diximus necessarium esse, vt præpostere collocatum fuerit cor, & superius os, quo spiritus effundit, in partem sinistram obuersum, aut aliqua alia de causa cordis & hepatis affluentiorem sese vim in sinistrum latus corriuasse, quam in dextrum; vitium autem animæ plerumque sequitur corporis vitium, vt sæpius insinuatum est.

De

De carnosis, gracilibus, duris, mollibus, subtilibus & longis Manibus.

CAPVT VII.

1. *De Manibus multũ carnosis.*

MANVS multum carnosæ copiosum humorem produnt; nam caro humidi temperamenti est,& quia nimia humiditas ingenij bonitati officit, multum carnosi, nota excellentis ingenij carent.

2. *Manus duræ seu dura caro hebetudinem sensuum, & intellectus significãt.*

Manus duræ, seu caro dura, hebetudinem sensuum, atque intellectus portendunt; mollis viuacitatem solertiam, & magnam ad omnes capescendas disciplinas aptitudinem. Optime Aristot. 2. de Anima *Homo sensum tactus*, inquit, *habet exquisitissimum præ omnibus animalibus, quare & omnium animalium prudentissimus est; duri carne, inepti mente, molles autem carne, bene apti mente.*

3. *1. ratio superioris dicti.*

Huiusce dicti Aristotelici diligentius ratio nobis peruestiganda est; occurrit multiplex. Prima, quod carnis conditio sequitur sanguinis conditionem, qui, si purus sit & subtilis, mollis erit caro, si crassior & terrestrior, dura: quantum vero sanguinis conditio ad ingenij vim conferat, testem habemus Hippocratem, qui, libro de partibus, nihil esse in corpore pronuntiat quod magis ad prudentiam faciat, quam sanguinem; & quanquam hic Medicinæ Antistes rationem pro more tacuerit, nobis tamen tacenda non est; igitur spiritus animalis ex sanguine gignitur, quem aut subtilem aut crassum pro vario sanguinis affectu esse oportet; quis porro nescit spiritum crassum, &, quod idem est, excrementosum, terreum & tardum officere acumini, & sagacitati ingenij!

4. *Secunda ratio.*

Secunda ratio; Caro est sensorium tactus, quo mollius sensorium eo magis speciebus peruium; ergo qui carnem duram habẽt hebetiori sunt tactu, qui mollem, multo vegetiori. Verum non hic figendum vestigium; quibus dura caro, omnia quoque sensuum organa, vtpote eodem intincta sanguine duriora, crassioraque sunt, ac proinde sensus hebetiores, sed si hebetiores sunt sensus, intelligendi facultas minor est; quid sunt enim sensus, nisi intelligentiæ nuntij atque administri? confirmat maxime hanc rationem, quod cuiuscunque sensus quodlibet instrumentum est etiam instrumentum tactus: quare, qui meliorem tactum habet, eundem sensoriam facultatem meliorem simpliciter habere consequens est, at hæc facultas dispositio est ad intellectus bonitatem.

5. *Tertia ratio.*

Tertia ratio, mollitudo carnis signum est excrementosam materiam quæ indurare potuisset, optime secretam esse, atque euaporasse; immo & caro mollior, quia magis aperta & peruia, perpurgationi materiæ excrementitiæ maxime famulatur. Optime igitur affectum corpus est, quod molliori carne vestitur, ideo sensitiuis facultatibus pollet, atque intelligendi vi, quæ optimam corporis temperiem consequitur. his omnibus calculum adiicit Fabius cuius hoc præclarum dictum est *in Malaco sanum*, eiusque mentem Cœlius Rodiginus, vir in omni re literaria existimatissimus

optime expiſcatus eſt l. 6.c.1.in carnis raritate ac mollitie; (hoc enim ſonat Malacum) ſumma eſt mentis ſanitas ſeu prudentia, ingenijque pręſtantia; ſubſcribit & diuinus Philoſophus in Tymæo; *Potuit*, inquit, *Deus compactius, ſolidiuſque hominis corpus effingere, vt contra incurſantes extrinſecus iniurias munitũ foret; mollius tamen facere præoptauit, vt intelligentiæ functioni accommodatius eſſet.*

6. Soluitur oppoſitio.

Opponés mulieres molliores eſſe carne quam viros, & tamen intelligendi facultate multo inferiores, cum, vt ait Ariſtoteles, inualidi ſint conſilij. Reſpondeo in mulieribus mollitudinem ex abundanti humore aqueo, non ex ſpumoſo aëreo, & contemperato calido naſci, quare tardæ ſunt, & pigræ, nos vero hic loquimur de ea mollitudine, quam ſine pituitæ copia, incorrupta natura tribuit, ſeu aërij huiuſmodi præcellens abundantia: vtrumque humidum tactu cognoſcere licet.

7. Humana cutis præſtātiſſimæ tēperiei, ac maxime cutis manuum.

Non eſt hic omittendum hominem inter omnes animantes optima temperatione præditum eſſe, ęquum enim fuit præſtantiſſimæ omnium animæ, quæ perfectiſſime erat operatura; corpus perfectiſſime diſpoſitum tribui, & in reliquis animalibus, quæ perfectiora ſunt, ea quoque perfectiori temperatura conſtãt. Atque cum inter varias humani corporis partes magna ſit temperationum diuerſitas, humana cutis, ac præſertim manuum cutis, ea autem rurſus maxime, quæ in interiori manus parte eſt, inter omnes corporis partes temperatiſſima eſt, ac quemadmodum humana temperatio reliquas omnes cæterorum animalium, temperationes bonitate ſuperat, ita reliquarum partium corporis temperamentorum, illud, quod manuum proprium eſt regulam ac Canonem recte dixeris; quid porro iam mirum, vbi optime affecta cutis manuum, &, quod conſequens etiam eſt, caro, ibi præſtantiſſimam eſſe in corpore temperiem animamque ſuo recte defungi munere? Ac quibus caro rarior eſt, vt hoc obiter dicam, ij florentiori valetudine gaudent, ratio ſatis ſupra inſinuata eſt; ſed audi Ariſtotelem ſect. 1. prob. 54. *Vrbs, locuſque, qui placide aſpiratur, ſalubrior eſt; quapropter & mare ſalubre eſt, ita etiam corpus quod perſpiratius eſt ſanitati opportunius conſtat; ſic enim facile excrementa excernuntur, cum contra in corpore denſo, quia prope fit vt inuiſibilia foramina claudantur, excrementa magis hærere neceſſe ſit.*

8. Manus ſubtiles & longæ timidorum propria.

Manus ſubtiles & longæ timidorum propriæ ſunt; ratio ex Camillo Baldo hæc eſt; longæ ſunt manus, quoniã materia eſt mollis & obediẽs calori, ideo extenditur, at ſubtiles & graciles, quoniam parum aluntur; quod fit quia vis attrahens alimentũ debilis eſt, hæc autem eſt calor naturalis; ergo cui manus ſunt graciles & ſubtiles, illi ineſt debilis calor naturalis, qui autem huiuſmodi eſt, timidus eſt. Itaque manus ſunt longæ, quia cum calor moueat propter ſuam debilitatem tantum ad vnam partem, non æque ad omnes, contingit ad eam magis promptiuſque mouere, vbi eſt minor reſiſtentia, vbi ſcilicet materia hominis nata eſt magis ferri; at certum eſt quod non ſolum hominis, ſed & omnium viuentium propenſio eſt, vt promptius ſecundum longitudinem, quam ſecundum craſſitiem augeantur; quod patet in arboribus, in quadrupedibus, in equis, in pueris, prius enim ac facilius & promptius

promptius secundum longum crescunt, quam secundum latum; vbi autem longitudinis metam attigerint, tunc secundum latitudinem crescunt.

De Manibus magnis, paruis, pilosis.

CAPVT VIII.

1. Manus magnæ articulosæ robustorũ sunt.

MANVS magnæ, articulatæ, neruosæ, robustos ostendunt. Consentit Aristoteles, qui homini forti & animoso extrema tribuit corporis fortia, & magna, nec immeritò; cum inde vegeta vis formatrix, copiosusque calor arguatur; & quidem robur ex manibus maximè augurandum esse arbitror. Et verò quicunque roboris laude celebrantur manus robustissimas habuere. Claudius II. Imperator pugno dentes equi excutiebat. Longimanus Persarum Rex neminem manu fortiorem habuit. Quid ille Septimius qui pollice currum ex aduerso nitentem repellebat?

2. Manus paruæ & graciles sunt debilium.

Manus paruæ & graciles contraria sunt signa prædictis, quod habeo ex Aristotele, qui languidas tribuit extremas corporis partes, manus tenues, atque prolixas, vt iam diximus, homini timido, qui sane & frigidus & debilis est, vt in confesso est. Huc refero quod de pedibus habet idem Philosophus, quorum cum manibus eadem ratio est. *Quicunque pedes, inquit, paruos, strictos, inarticulatos habent, visu delectabiliores, quam fortiores; molles sunt secundum ea, quæ sunt in anima. Referuntur ad fœmininum genus.*

3. Crassæ & breues pigrorum.

Crassæ & breues manus cum paruis digitis pertinent ad pigrum, obtusum, & hebetem; ratio est quia arguitur perparum caloris, multúmque crassæ & humidioris materiæ.

4. Pilosæ luxuriosum, & ferum arguunt.

Manus pilosæ, luxuriosi, feri, & agrestis hominis propriæ; prima coniectura sæpius probata est; secunda experimentũ habuit in Esau, cuius manus pilosæ & hispidæ, immo & ipse totus hispidus; cum contra Iacobi manus læues essent; quis porrò Esau? vt venator præstantissimus, ita supra modum ferox, ferinus, belluinus; adeo vt ferarum, cum quibus frequenter agebat, mores referret; fauet ratio; nam manuum pilositas immensum caloris fomitem arguit.

5. Interiora manuum sine pilis, & quare.

Cæterum interiora manuũ, sicut & inferiora pedum semper pilis carent, quia densissimus Tendo illis partibus subtenditur.

De Lineis manuum in vniuersum.

CAPVT IX.

1. Magna est habẽda ratio linearum, quibus manus depingitur.

PRINCIPIO, si quis ceruicosior omnia à lineis ducta vaticinia, Apio, quod dicitur, non satis inspecto, irridenda putet, cogitet quæso, quod cogitasse minimè videtur, lineas manus non fieri casu per constrictionem eius in pugnum; nam pedes, qui nullo modo contrahuntur lineis distinguuntur, fronsque ipsa lineata est, quanquam ibi nulla sit constrictio; deinde cum omnes eodem modo manum contrahamus, vix, inter decem millia, duo qui eodem modo notatas habeant

manus, reperientur; neque Aristoteles, aliique Physiognomi, nisi à natura singulari studio conformatæ forent lineæ, tanti vnquam eas existimassent, quanti existimasse patebit: imo Simia, quæ humanæ sagacitati propius, quam cæteræ animantes, accedit, mirificè delineatas habet manus, adeo vt delineatio ab humanæ conditionis præstantia non aliena videatur; præterea nulla penè pars est, quæ tot venarum, arteriarum, neruorum tendinum, membranarum, fibrarum implexibus contextuque vario constet, & quia multò plures maioresque in extremas laterum partes protenduntur musculi, ideo monticulis è regione oppositis vtrinque vallatur, & quasi sepitur; in medio vallicu-lus, quem volam vocamus, visitur, & linearum conformatio musculorum connexiones, limites, complexus, fibrarum colligationes, tendinum venarumque ductus, robur & facultatem consequitur in summa cute manus, quæ summe temperata est, & facilius has notas admittere potest. Ac fateor quidem sulcatam quasi manum ductibus linearum, striis, plicisque irrugatam, vt cum mouenda erit facilius excipiat motum, at nego nullum alium vsum esse harum linearum. Venio ad coniecturas.

2. *Longiores lineæ longioris vitæ signū; probatur authoritate Aristotelis.*

Qui longiores, & per totam manum productas lineas, seu singulas, seu binas, seu ternas habent, longioris vitæ sunt, breuioris vero, qui breuiores, quæque totam longitudinem non designent. Hoc omnium Physiognomorum experientia, iam inde à prioribus sæculis compertum; quod solum si foret, foret satis. Quis enim Tatij sententiæ non accedat, à quo cum quæreretur, quid sapientius esset præ cæteris, experientia, respondit? Verum enim vero omissa experientia, & relicta gregariorum Physiognomorum turba, prorsum nobis alio est acies conuertenda. Aristoteles hoc ipsum expressis verbis habet 1. de historia cap. 15. *Pars interior manus*, inquit, *vola dicitur: carnosa est; scissuris, vitæ indicibus, distincta; longioris scilicet vitæ singulis, aut binis, ductis per totam breuioris, binis, quæ non longitudinem totam designent*; At sectione 10. problemat. 48. (aut 45. secundum versionem Ludouici Septalij Patritij Mediolanensis in 2. libro Commentariorum in Philosophi problemata,) paulo fusius. *Cur qui manus cæsuram per totam obtinent palmam viuere diutius possunt? An quoniam minus viuere possunt, quæ carent articulis, incompactaque sunt; quale genus omne aquatile est? quod si quæ articulata non sunt, vitam breuiorem agere solent; constat contra sese habere quæ articulata. Cuius profecto generis illa etiam sunt, quæ, cum sua natura omni articulo careant, existunt tamen articulata, nonnunquam quoad maximè licet, consistunt; manus autem pars interior penitus articulo vacat*; scilicet vt explicat vetus Commentator Aristotelis Petrus Aprono articulo vacat per partium diuisionem, vt in digitis videmus, articulata tamen est per lineales distinctiones. Idem omnino ac pene iisdem verbis repetit Philosophus sect. 34. probl. 10.

3. *Probatur idem ratione.*

Sed quoniam res hæc maximi momenti est: has probationes attexo. Prima est; cum duæ sint fœtus conformationes, alia ex semine, alia ex sanguine, quæ ex semine, primum absoluitur; tum ad alteram, studium viresque natura conuertit.

Caro

Caro vero, & maximè manuum, quæ extremæ corporis partes sunt, in postremis effingitur; quam efficacem igitur, quam vegetam esse oportet vim illam formatricem, quæ in extremo opere suo cum maximè debilitata quasi iacere deberet, tam accurate manus delineat, incisurásque conformat: Præterea oportet bonum esse humidum, bonúmque calorem, & maximum naturæ studium, quæ tantam operam rebus in minutissimis ponat. Quanto igitur studio, quam potenti vi formatrice perfectæ & absolutæ sunt principes partes, cerebrum, cor, iecur, pulmo, quæ omnium primo elaborantur? hanc rationem nostram nonnulli in paulo diuersum sensum inflectunt; natura intendit, inquiunt, corporis absolutam formationem, quæ postulat quoque hanc concinnam, venustam, elegantem, debitámque manus delineationem; quod si natura in rebus his minimis, quales sunt incisurarum ductus, & striæ, non assequitur intentum, multo minus absolutam assequitur principum partium fabricam: Secundo manus, quæ longas incisuras habent, eæ quoque optima articulatione constant; at præterquam quod, vt dixit Aristoteles, articulata de articulatis viuaciora sunt, inter articulata animalia, quæ meliores habent commissuras, expeditioresque ossium diatroses seu articulationes, meliori temperamento gaudent, vt pote crassioribus humoribus expurgatiora, quam rem ex eo colligo, quod qui ægritudine afficiuntur articulos sentiant prægrauatos, ac minus bene affectos.

4.
Ex lineis sanitatis

Lineæ profundæ, rectæ, altæ, expressæ, amplæ, in longum tractum continuo productæ, viuo colore pellucidæ, vitam notant paucis ægritudinibus obnoxiam: contra, lineæ tenues, abruptæ, concisæ in plures ductus confractæ, decurtatæ, incisæ, aliarum linearum interuentu diuulsæ, exiles, & velut in surculos & ramulos fissæ, præ se ferunt imbecillitatem, non solidum nec bene coagmentatum corpus. Ratio petenda est ex imbecilla, vel generosa conformatrice facultate, vegeto vel imminuto calore, abliisque, vt statim supra dicebamus.

& ægritudinis augu- ria capiũtur.

5.
Quibus desunt lineæ in manibus non bene affecti sunt corpore.

Quibus manus à natura est quasi planum æquor, nullis lineis intercisum, non sunt bene affecti corpore; quia indicio est elanguisse vires potentiæ formatricis, dixi autem natura, quia sunt, quibus notæ istæ siue ætate ingrauescente, siue vehementibus morbis obliterantur. porro hic maxime obseruatione dignum arbitror, ex lineis optime sanguinis conditionem coniici posse, nam si sanguis abundat, rubent, & splendicant, generosum & vegetum corpus, audaciam, animique robur significant; contra, si desit sanguis, pallent, debilemque calorem naturalem indicant. Verum ne in his fallatur physiognomus curandum est vt manus sint lotæ, attendendum num exhaustæ nimia ægritudine, num defatigatæ, num calefactæ, num frigidæ, nam frigore sanguis ab extremis partibus ad cor refugit; sicut calore ad extremas partes reuocatur; igitur moderate se habeant manus post tantillulam quietem, vt iudicium de iis feratur.

De quatuor principalibus lineis in particulari.

CAPVT X.

1. *Quattuor principales lineæ explicantur.*

QVATTVOR sunt principales lineæ iam supra capite primo explicatæ. Linea cordis seu vitæ: linea Hepatis, linea naturalis, linea mensalis: atque à corde ducta arteria ad lineam cordis terminatur; cumque multum laborauimus, propter magnum cordis calorem, in linea cordis magnus pulsus sentitur; Quia vero cor omnium viscerum, & membrorum corporis radix prima est, vitæque fons, hæc linea, linea vitæ vocatur; ab hepate terminatur vena ad lineam hepatis; à cerebro ad lineam naturalem, seu cerebri neruus propagatur; nihil igitur mireris si à tribus his præcipuis partibus nomen sumpserunt; in mensali vero linea, communis vena terminatur. Qua propter non existimo absonum cuiquam videri posse, si saltem aliquas coniecturas, ex tribus quidem prioribus de Corde, Hepate, & Cerebro; ex postrema vero, de tota corporis compagine, & fabrica ducamus.

2. *Coniectura ex linea vitali.*

Si linea vitalis nimis ampla sit, & profunda, calidum cor, ferocem & iracundum hominem arguit; & qua versus Razetam profundior & depressior est, eo major calor proditur; si recta, viuo colore pellucida, minime in surculos & ramulos fissa, vegetum cor, firmamque: valetudinem præsagit; quod si breuis sit, neque ad Razetam vbi finiri debet pertingat, præterea lineolis intercisa sit, male colorata, aduersa notatur valetudo.

3. *Ex naturali.*

Naturalis, seu cerebri linea debet coniungi lineæ cordis in summo manus, alioqui magnus calor cerebri indicatur; vnde dolores capitis nascuntur; idem dic si nimium rubescat. Subtilis & longa, frigiditatem & siccitatem, distincta obuersis lineolis, nullis tamen scissa, cerebrum sanum ingeniumque viuax; puncturæ inordinatæ cerebrum male affectum capitisque dolores; & quidem, vt nonnulli volunt, (quanquam nec affirmo, nec, nego, quia rationem non video,) si in principio, in iuuentute; si in medio, in virili ætate; si in fine, in senectute futuros designant.

4. *Ex linea Hepatis.*

Linea hepatis, quæ eadem est & stomachi, si longa, profunda, lata, decenter continua & bene colorata, significat bonitatem stomachi & virtutis digestiuæ; si nimium rubeat, nimium calorem earum partium indicat.

5. *Ex Mẽsali.*

Mensalis, conditionem splenis arguere à multis notata est; quare si quis eam nimis tumidam habeat, quartanæ febri, quæ ex melancholia oritur, cuius sedes & officina est splen, obnoxios esse animaduersum est. Cæterum quia vnaquæque ex istis lineis nonnumquam sororem lineam habet, si ipsæ tenues exilesque sint, sorores contra amplæ & bene concinnatæ, multo mitius ferendum erit de partibus illis, quæ lineis respondent, iudicium.

Hæc sunt quæ in hac Chiromantica linearum pragmatia, magnam nobis probabilitatis speciem habere visa sunt; commenta autem vanissima, fabulosa, & ad libidinem conceptas diuinationes minime sumus consectati.

De

De digitis.

CAPVT XI.

1. *Etymologia digitorum, atque alia nonnulla.*

HOMINIS proprij videntur; sunt enim manus præcipua pars, manus autem rationis famula est & administra; & vero picæ, quæ quinos habent digitos, humanam loquelam imitantur; digiti vocantur, quia deceti ordine à natura digesti sunt: quini sunt in singulis manibus, atque ex Hebræorum doctrina quinque sensibus respondent; pollex, palato; Index, Naso, & odoratui; Medius, Tactui; Annularis, oculis; Minimus, auri; atque ex eo quod quinque sint, fit vt maxime per quinque numeremus, immo nationes omnes vsque ad decem sine repetitione solent numerare, vna gente Thracum excepta, quæ tantum vsque ad quattuor, & nonnullis Peruanis, qui tantum vsque ad quinque numerant: his adde Meletidem adeo vecordem, vt, toto ingenij captu, vix ad quinque numerare didicerit, vt ait Zenodotus in Collectaneis, vbi illud prouerbium tractat μωρότερος μελιτίδου. Ratio, inter alias, quæ apud Aristotelem sec. 15. probl. 3. videri possunt cur vsque ad decem numeremus, est hæc, quod per digitos maxime numeremus, qui deni sunt in binis manibus: extra consuetam naturæ legem legitur quidam Gethæus senos & manuum & pedum digitos habuisse 2. Regum 21. & 1. Paralipo. cap. 20. Item Marci Curiatij, è patritia gente, filiæ duæ sedigitæ, & Volcatius illustris in poëtica sedigitus fuit appellatus ex Plinio l. 11. c. 43.

2. *Nomina digitorum.*

Nomina digitorum sunt hæc; Pollex, Index, Medius, Medicus, Auricularis; primus grossior & robustior, quod cæteris præpolleat, pollex vocatur. Secundus index & demonstrator, ab indicando & demonstrando, dicitur etiam salutaris à Suetonio in Augusto cap. 8. siue quia eo labia comprimimus, quod maxime salutare præceptum est, & silentium indicit, vt ait Martianus Capella de nuptiis philosophiæ, siue quia, non nisi visa & indicata salutamus. Hebræi simpliciter digitum vocant (Esbang) quia in operibus præcipuus est. Tertius Medius est; Verpus à verrendo dicitur; præterea infamis, siue quia in medio positus videtur ob ignauiam, quod aliis indigeat; siue quia, cum alium flocci pendimus, aut insigni contumelia afficimus, id obiectu Medij digiti protenti, reliquis compressis denotemus; hinc Atheniensibus vocatus fuit Catapygos, quasi Cynœdus, quod infamiam incuteret, vt pote molliciei, & effœminationis signunt, sicut ait Alexander ab Alexandro l. 4. cap. 26. & Martialis l. 2. quem irrideri vult, hoc modo irrideri præcipit, *digitum porrigito medium*, & l. 6. *ostendit digitum sed impudicum*; apud Laërtium l. 6. Cynicus quidam Philosophus, peregrinis Demosthenem videre cupientibus, medium digitum extendit, & dixit, hic vobis est Atheniensium Orator; mordaciter, & canine, quasi per errorem digitum impudicum pro indice extendit, superbiam eius effœminatam subobscure taxans, qui, vel à mulierculis, optabat digito monstrari & dicier hic est: & alia plura videre est apud

Delrium Adagio 801. in illud Isaiæ cap. 58. extendere digitum. Quartus post hunc à minimo proximus, annularis est, sic dictus quod annulo aureo circundari soleat, præsertim is, qui in sinistra manu est, arteria enim tenuissima ab eo digito ad cor protenditur, vnde visum antiquis eum digitum annulo, quasi corona circumdari, vel certe ob auri ipsius naturam, quo cor vegetatur; sponsusque, quasi cordis vicario, ei annulum, fidei pignus, imponit. Medicus etiam vocatur, quod olim eo Medici pharmaca miscerent. Omnium minimus, ac vltimus à quibusdã Auricularis dicitur, quod eo veluti auriscalpo emungendis auribus vti solemus. Iam veniamus ad coniecturas.

3. *Digiti crassi & breues tarditatem ingenij notant.*

Digiti crassi & breues sunt stolidorum & tardioris ingenij hominum, ita Albertus, A porta, Polemon; ratio est, iam supra inculcata, quia arguitur multum redundantis materiæ, vnde crassities, & parũ caloris, vnde breuitas: Atque huc facit quod ante cibum crassiores digitos habeamus, cum redundant fumi diuersi, malique humores, qui sumpto cibo conficiuntur, sicque digiti gracilescunt.

4. *Articuli crassi malam complexionem innuunt.*

Digiti, cum articulis crassis, malam complexionem arguunt; quia copiam humorum indicant; si recte retro flectantur, subtiles, ingeniosos & loquaces demonstrant, tunc enim est humorum tenuitas & subtilitas; maxime si in extrema iunctura retro flectantur, vt in simiis contingit.

5. *Digiti lõgi, edacẽ.*

Digiti longi edacem hominem arguunt, ex omnium physiognomorum sententia; quia longa significant additamenta, seu lobos iecoris; certum vero est iecur cibum conficere; porcus voracissimus est, & simul maximi iecoris.

6. *Pollex breuior sed crassior robustorum est.*

Qui pollicem habent breuiorem, sed crassiorem, magni roboris sunt. Maximinus Imperator pollice erat tam vasto, vt, referente Iulio Capitolino, mulieris dextrocherio, pro annulo vteretur. Aristoles 4. de partibus cap 10. de digitis sic disputat: *Adiunctus est manui pollex à latere, isque breuis & crassus, sed non longus, vt enim, si manus deesset, potestas capiendi non fieret, sic nisi digitus hic à latere adesset, non eadem illa facultas probe daretur, hic enim à parte inferiori sursum premit, vt cæteri à superiore deorsum, quod fieri ita oportet, si valide quasi copula forti colligandum sit; pollet hic plurimum, vt vnus multos æquiparet; breuis etiam est, vt robustus sit.* ita Aristoteles, adde infamem omnium infirmissimum, quia longissimus est, tum proximum ipsi esse imbecillitate Auricularem, quia tenuissimus est; quare pollex tum maxime robustus erit, cum breuior sed crassior erit, non quidem à carne, sed osse & musculis, quos quattuor generis habet, flectentes, extendentes, adducentes, abducentes.

7. *Obseruatio de longitudine auricularis, &c.*

Digitus Auricularis, si non perueniat ad secundam iuncturam Medici, vitium in natura est: si Index, Medicus, & Auricularis habeant tantum duas lineas in 2. iunctura breuis vita arguitur, ratio petenda est ex iis, quæ capite 9. & 10. dicta sunt: cæterum de asperitate, læuitate, pilositate digitorum hic non loquor, quæ de manuum similibus affectionibus supra dicta sunt, de digitis quoque dicta esse nemo non videt.

De

De Vnguibus.

CAPVT XII.

1. *Vnguium finis & vsus.*

VNGVES rectè natura molita est, quippe quæ cæteris animalibus, eos, vel ad diuersos vsus dederit, homini autem operimenti tantum gratia concessit, digitos enim extremos integunt & tuentur ita Aristot. 4. de partibus c. 10. inter excrementosas corporis animati partes numerandi sunt: sane stirpes siue plantæ suis radicibus alimentum iam confectum ex terra hauriunt, quocirca, ne excrementum quidem contrahi in stirpibus solet, terra enim caloreque eius perinde, vt ventre, vtuntur; animalia, quasi terram intra se continent, suum ventris sinum, vt ait idem Philosophus 2. de partibus cap. 3. hinc retrimentitiæ superfluitates emanant, inter alias, vngues, qui, si abunde augentur, male affectæ naturæ indices sunt, neque enim nisi abundent, excreméta crescere possunt copiose, quod in febrientibus, & omnibus morbidis videre est. Nescio tamen cuius Genij fuerit Ioannes Petrus Bosisius Fabri lignarij Bononiensis filius, cui vngues amputare nunquam cōtigit, immo nec necesse fuit, licet ad virilem ætatem accesserit, ex Cardano, quam dissimilis Muri montano, cui, vt se expertum ait Matthiolus in cap. 63. l. 2. Dioscoridis, si amputentur vngues, vel vna nocte crescunt.

2. *Vngues homini breues.*

Notat autem Aristoteles l. 2. de Generat. Animalium cap. 6. hominem pro magnitudine sua vngues minimos habere, cum in eo minimum sit excrementum terrenum, cum enim excrementum quodque sit, quod incoctum remanet, & quod terrenum est, maxime sit incoctum, optime sequitur in eo, qui maxime calore abundat, minimam esse excrementi terreni copiam.

3. *Vnges asperi adūci quid significent.*

Vngues asperi, adunci, calidæ siccæque naturæ homines, breuioris vitæ, minime fœcundos significant, sola scilicet caloris siccitatisque vis efficere potest, vt ita vibrentur, atque reflectantur vngues: at calorem siccitatemque iam dicti effectus consequuntur; referuntur ad aues rapaces, & carniuoras, quibus omnibus rostrum & vngues recurui, & parcissime generant vt iam diximus superiori libro cap. 3. qui tabe laborant, illis propter nimiam siccitatem vngues recuruantur.

4. *Quid rotūdo & asperi: quid crassi.*

Rotundi & asperi vngues, libidinis indicium; ita Albertus, & A porta; ratio est, quia ex rotunditate magnus calor indicatur, moderatusque humor, qui à calore tractetur.

Crassi vngues, seu qui carni inhærent, hebetem, stolidum, imprudentem significāt; quia hæc carnis moles, qua vngues obruūtur, pessimam retrimentitiam materiam nimiamque humiditatem arguit. Georgius Valla in suis problematibus vult idem significari per paruos & angustos, quod paruitas & angustia perparum caloris, qui superfluitates explicet, dilatetque, indicare videatur.

5. *Vngues qui decidūt lepram portendunt; quid nigri.*

Vngues, si sine causa decidunt, futuram lepram, idque in proximo, demonstrant, propter humorum corruptionem. Vngues nigri, parui, melancholicorum proprij sunt; sic senum vngues, immo & totum

corpus,

corpus, propter defectum caloris nigrescunt.

6. *De maculis variis Vnguium.*

Notæ albæ ex phlegmate oriuntur; nigræ, ex melancholia; scite Alexander l. 1. problem. cum quæsiuisset, cur digitis manuum potius quam pedum nascantur, quæ albugines appellantur, & per puerilem magis quam per firmam ætatem, respondet quoniam pituita ex qua oriuntur, in pueris potius, vt edacioribus, atque otiosioribus superat; vnguibus autem pedum propterea minus hoc accidit vitium, quoniam pedes per ambulationem frequentem, & agitationem amplius exercentur; itaque vacantem illam materiam digerunt melius atque absumunt.

Cæterum notat Ioannes Tardinus maculas illas aliquando intra septem aut decem dies, à radice vsque ad extremitatem propelli, immo interdum disparere, antequam eo peruenerint, quia cum vis expultrix vicinarum partium superfluum illum humorem ad vngues detruserit, vis expultrix vnguium ad extremitatem eum propellit, immo sæpe digerit antequam extremum vnguem attigerit excremētitius humor: censet enim hic author, cum multis aliis, vngues animatos esse: Hieronymus Cortesius in opere de physiognomia, Hispanico sermone conscripto, multas, easque vanissimas, ac forte superstitiosas obseruationes refert de istis vnguium notis, at hæc pauca, quæ vere philosophica sunt, nobis sufficiunt.

7. *Quid Vngues plani, albi, &c.*

Vngues plani, albi, molles tenues, subrubentes bene lucidi, optimum ingenium indicant; & hoc est vnum ex signis, quod valde raro fallit, inquit Albertus. ratio est quia sic optima hominis temperies arguitur; maxime cum vngues carnis conditionem sequantur, cuius bonam habitudinem cum ingenij viuacitate atque solertia cōiunctam esse diximus supra capite 7.

De gestu motuque manuum.

CAPVT XIII.

1. *Manus lingua cōmunis omniū linguæ; & ad mille vsus.*

CÆteræ corporis partes loquentem adiuuant, hæ, prope est vt dicam, ipsæ loquūtur; An non his poscimus, pollicemur, vocamus, dimittimus, minamur, supplicamus, abominamur, timemus, interrogamus, negamus? Gaudium, tristitiam, dubitationem, confessionem, pœnitentiam, modum, copiam, numerum, tempus ostendimus? vt in tanta per omnes gentes nationesque linguæ diuersitate, hic mihi omnium hominum communis sermo videatur. Ita Quintilianus: Cæterum de motu gestuque manuum multa Rhetores, ac maximè noster Ludouicus Cresolius in suo aureo illo opere Vacationum Autumnalium, siue de perfecta Oratoris pronuntiatione & actione; Physiognomi vero non multa tradunt, immo nec tradere possunt.

2. *Capitis frictio indicium animi dubij.*

Capitis frictio indicium est animi dubij & pertubati; Marcus Tullius, vbi inducit Lucium Pisonē reprehendentem C. Cæsarem cupidum triūphi, meminit scribæ caput sinistra manu perfricantis, indicans perturbatum illum, incertique animi fuisse; Item Eschines, oratione contra legatos ad Philippum, Demosthenem caput fricuisset ait, & sollicitudinem animi hac nota indicasse

casse ita refert Victorius lib. 8. cap. 6. Variarum.

3. *Caput digito scalpere effœminati est.*

Caput summo digito scalpere, effœminatorum est. Lucianus delitiis effœminatum hominem describit his verbis. *Vir insigni forma, lubrico incessu, fracta ceruice, muliebri aspectu, voce mellita, olens vnguenta, caput summo digito scalpens.*

4. *Varia de motu gestuque manuum.*

Qui frequenter mouetur & loquitur motu manuum, loquax est? qui vero abstinens est à motu manuum, hic perfecti intellectus est, bonæ dispositionis, & sani consilij ita Ioannes Baptista A Porta. Ratio in promptu; illud vehementioris & calidioris naturæ signum, hoc temperatioris; Socrates inter loquẽdum, quia vehementius commouebatur, digitos iactabar.

Si quis ex consuetudine clauso pugno incedat; hic quoque vehementioris naturæ est. Nam & in ira solent in pugnum concludi. manus.

Digiti crepitu iubere, arrogantis fastuosique est; gestus est Dominorum seruis humilius ministerium aliquod innuentium; ita Martialis l. 3. in Zoilum.

Digiti crepantis signa nouit Eunuchus.

Vsurpauit hoc Hieronymus, in Epistola ad Ruffinum Monachum, in superciliosum quendam, qui doctu-rus, digituli crepitu silentium imperabat; deinde simili fastu, per interualla voces promebat, vt singultire crederes, non loqui.

Tremor manuum identidem cõtingens in iuuene bene affectæ valetudinis, magnum est iræ signum; oritur enim tremor hic ex vehementi spirituum commotione.

DE HVMANA PHYSIOGNOMIA,

LIBER QVARTVS.

IAM post expensas Physiognomica lance vniuersas humani corporis partes, superest, vt nonnullas eiusdem corporis affectiones, ab nostro Mantices instituto non alienas, quandoquidem temperamentum indicant vnde mores animi consequantur, sedulo expendamus; tum demum, post collecta in vnum signa, quæ certas virtutes, aut vitia, aut potius naturales ad ea procliuitates notant, colophonem adhibeamus.

De Adipe.

CAPVT I.

1. Variæ adipis species, & nõnulla ei germana.

PINGVEDINEM ab adipe nonnulli distinguũt, quod extremitatibus musculorum, membraneis neruosisque partibus adhæreat adeps, pinguedo cute & carne intercludatur. Sed Aristoteles cap. 17. lib. 3. de Histor. ac passim alibi pro eodem sumpsit. Sagina est adeps arte comparatus; abdomen, adeps qui spinæ adhæret, & ad ventrem vsque peruenit, in quo & iacent renes.

2. Adipis definitio.

Adeps, est sanguis concretus, qui non est admodum aptus vt in substantiam viuentis conuertatur, & cuti membranisque potissimum adhæret. Tres sunt partes definitionis; prima declarat materiam adipis esse sanguinem, quod his indiciis proditur; animalia quæ sanguine carent, eadem quoque carent adipe; quæ abundant adipe cito senescunt, breuioris vitæ sunt, & sterilia, quia sanguis, qui debuisset verti in alimentum, & in generationis materiam, vertitur in adipem; quare deficiẽte sanguine cito exsiccatur corpus, in quo posita est senectus, ac sic interitui fit opportunius. Oppones ventrem omnium partium pinguissimum, & tamen potissimum chylo nutriri, cuius portionem optimam sibi retinet, ergo non tantum sanguis in adipem conuertitur; Galenus

lenus lib. 3. de facultatibus cap. 13. & lib. 6. de placitis cap. 14. vult chylo ventriculum nutriri, at nutritur etiam ſanguine, quod oſtendunt venæ, quæ in eo ſunt, vt notauit Fernelius lib. 6. Phyſiol. cap. 1. quare reſponderi facile poteſt nutriri chylo, & aliqua portione ſanguinis, cuius reliquum in adipem conuertitur. Secunda pars definitionis declarat adipem vix poſſe eſſe opportunum alimentum, eſt enim nimis aëreus, vt prodit albus color, & leuitas, qua fit vt ſtomacho innatet, quod ſi forte ſanguis & neceſſarium alimentum deſit, vniuerſæ partes eo reficiuntur, atque adeo macreſcunt, & extenuantur. Tertia pars docet locum in quo ſolet generari adeps,, nimirum, circa cutem potiſſimum, & membranas, quæ per vniuerſum corpus oberrant, cum nulla pars ſit, quam membranâ non veſtierit natura; ratio autem dicti eſt; quia, qui locis illis exudat ſanguis, concreſcit; an calore, an frigore? frigore exiſtimo partium illarum ad quas appellit; video enim liquatum ſemel adipem calore, poſtea frigore concreſcere, nunquam calore; & vero cum liquetur calore, frigore tantum concreſcere poteſt, ne eiuſdem cauſæ in eodem contrarij dentur effectus; quod ſæpe verſat Ariſtoteles lib. 4. Meteororum, ac ſic rarius carni, quæ calidior eſt, adhæret, quam membranis & cuti.

3. *Cur Cerebrũ expers ſit adipis.*

Porrò cerebrum membranæque ipſum circumueſtientes plane adipis expertia ſunt, vt humorum halitus, qui ad hanc ſupremam corporis partem ex inferioribus omnibus partibus eleuantur, liberum habeant exitum, alioqui in cerebri ſubſtantia contenti ſpiritus corrumperentur; inteſtinis vero & ſtomacho copioſus adeps circumiectus eſt, vt effluxum caloris prohibeat ad concoctionem promouendam; cæterum materia, quæ in capite in adipem conuertenda foret, à pilis abſumitur, quorum materia eſt pinguis exhalatio, cuius ſignum eſt, quod flammam concipiunt; atque hinc etiam fit vt lepores, omnium animalium villoſiſſimi, vt loquitur Plinius, vix vnquam adipeſcant, quia pilis abundant, & ſemine.

4. *Materia adipis & carnis eadem.*

Materia adipis & carnis eadem eſt, nempe ſanguis; ſed caro per coctionem caloris ex ſanguine naſcitur, adeps per concretionem ex partis, cui adnaſcitur, frigiditate, quare, tum adeps, tum caro, humiditatem poſtulant; ſed caro iunctam calori, adeps frigori; Carnem hic intelligo molliorem illam ſubſtantiam, quæ corpus animalis ambit, neque enim iam, aut de parenchymate viſcerum, aut glanduloſa carne, quæ pro firmamento venis & arteriis annexa eſt, aut emulgentem vim habet in corpore, mihi ſermo eſt.

5. *Ex adipe & carne temperies cognoſcitur.*

Iam vero ad Phyſiognomicas cõiecturas de carne & adipe, quia inter ſe valde congermaneſcunt, accedamus. Temperies ex adipe & carne optime cognoſcitur: frigida & humida, carnoſa & adipoſa eſt; ſi ſuperet frigus, magis adipoſa eſt; ſi humiditas, magis carnoſa.

Frigida eſt ſicca temperies, modice adipoſa eſt.

Calida humida, plurimum carnoſa.

Calida ſicca, plurimum gracilis & dura, parum carnis habet ſed rubræ.

6. *Temperies adipoſa frigida eſt.*

Ac in vniuerſum dici poteſt temperiem adipoſam eſſe frigidam quod

 indicauit

indicauit Aristoteles cum dixit lib. 3. de Histor. cap. 16 pinguescere quibus paruus est venter, quod arguit frigiditatem; ratio dicti est, quod adeps frigore concrescat, & præterea, quod cum ipse sit sanguis concretus, quantum adipi accrescit, tantum sanguini detrahitur, ac, quod consequens est, calori; notatuque dignum est quod scripsit Fernelius lib 1. Physiol. cap. 15. non nasci adipem neque in calidissimis neque in frigidissimis hominibus, neque in frigidissimis partibus vt cerebro, neque in calidissimis vt corde, quia mediocritatem quandam caloris frigorisque postulat, licet aliquanto plus frigoris, quam caloris; at mutatione & progressione ætatis, quia calor minuitur paulatim, sæpe contingit hominibus pinguescere, quod frequentius est in sanguineis, & sanguineis biliosis, in quibus purissima sanguinis pars facile ex venis exudat, & ad membranas appellit, vbi coagulatur, & in adipem concrescit, quod si feruidus calor primæ ætatis permaneret, totam materiam facile resolueret, & adipem arceret; & vero in interioribus sinibus, vbi multus est calor, nullus est adeps; & ren dexter quia calidior, minus sinistro pinguescit. Mulieres, quia frigidiores, multum pinguescunt: addi potest & alia causa, quia plurimum domi sedent, nec exercitatione vtuntur, quæ materiam adipis resoluat, consumatque.

7. *Adiposi minus frigus sentiunt.*

Adiposi minus externis frigoris iniuriis obnoxij; finis namque adipis est fouere internum calorem, & vero, si cui, propter vulnus peritonæi, & adipis ipsius aliquid detrahatur, solet ipse postea frigus maxime pati in illis partibus; atque Aristoteles l. de sensu & sensili vult oculos non rigere frigore, propter copiosum adipem adnatum membranis ipsorum; solent autem frigore infestari homines qui minimum habent adipis; At quomodo fouet internũ calorem prohibetque externum frigus? scilicet, vt indumentum, illum reflectendo, istud repellendo; ad quod postremum multum facit eius lentor, quo percutientis aëris ingressum prohibet.

8. *Steriles, cito senescũt breuis vita.*

Adiposi, steriles, citò senescunt, & breuis vitæ sunt; ratio inter explicandam definitionem satis insinuata est, nimirum deficit sanguis, & calor. Addendum hic tantũ Thunnos inter pisces insignis pinguedinis, biennio tantum viuere, & pinguedine dehiscere, vt ait Aristot. c. 17. lib. 6. Histor. Animalium; præterea adiposos valde angustas habere venas, & arterias; vnde spiritus libere discurrere non potest, nec refrigerationem admittere, ex quo suffocatio consequitur, vt contigit Magæ Cyrenes Regi, qui cum otio se dedisset, magnum adeo pinguedinis fœnus contraxit, vt inde præfocatus è carcere, ex sagina compacto, euolarit, vt refert Athenæus lib. 12. cap 27. quare merito dicitur à nonnullis meliorem esse pinguedinem lignis & plantis, quam animalibus; nam ligna pinguia vt palma, cedrus, olea, nunquam teredine corripiuntur, quia constipantur omnes meatus quibus aër externus insinuare se posset & putredinem efficere, hinc Salomon, qui omnia naturæ secreta nouerat tabulata templi ex olea esse voluit; & in templo Vticensi trabes cedrinæ post mille ducentos annos Repertæ fuerunt ab omni carie immunes; atque, vt ad institutum redeam

deam, optime Hippocrates lib. 2. Aphor. 44. *Qui natura admodum crassi sunt, citius intereunt quam qui graciles.* Galenus vero in eum locum *Optimum est*, inquit, *bene carnosum esse, hoc est commoderatum; vt neque crassitudo adsit, neque gracilitas tales enim possunt ad longam senectam perduci, si vero à modo recedatur, melius est vt ad gracilitatem, nam malus est ad crassitudinem, excessus; angustæ enim sunt horum arteriæ & venæ, atque ob id paucum omnino sanguinem habent spirituumque, adeo vt cum ætate processerint, cito ipsis, vel paruam ob causam calor natiuus destruatur*; addo ego, quod nimia pinguedo repentinæ mortis occasio esse solet; nam arcte constringit spiritus, & vasa sanguinis, ita vt difflatio & spiratio plurimum impediatur; deinde propter cutis densitatem excrementa fuliginosa retinentur, vnde calor insitus seu humidum radicale caloris fomentum & sedes facile obruitur, & per strangulationem opprimitur; atque ad hanc rem notat Aristoteles sect. 5. probl. 34. cui secundam volumus conciliare valetudinem, non densum sed rarum reddendum esse corpus, quia, vt vrbs, & alius quicunque locus salubris est cum placide aspiratur, ita corpus, quo spiratius est, sanitati opportunius est; excrementa enim cito excernuntur, quare putrescere non possunt, vbi autem corpus densum est, & pororum meatus occupati, nulla fit transpiratio, putrentque, quæ in corpore retinentur fuligines excrementitiæ.

9. *Adipis mediocritas optima.*

Adipis mediocritas ostendit nutritionem optimam & validissimam sanitatem; ita Auerroës 2. de partibus cap. 5. idem habet Aristoteles multis locis, ratio est; quia sanguinis moderata copia acquiritur, cuius tamen non multum absumatur; verum quidem est, quod ait Aristoteles sect. 8. probl. 7. non eundem habitum sanitati & robori esse idoneum, cum alteri pinguis, alteri laxus conueniat, sed pinguedinem hic intelligit paulo vltra mediocritatem, vnde corporis transpiratio impediatur.

10. *Incubus quid & quibus familiaris.*

Incubus familiaris est obæsis corporibus, pueris, & quibus concoctio impeditur, vt literarum studiosis: est autem incubus grauis corporis oppressio & nocturna suffocatio, respirationem offendens, vocemque intercipiens, non adimens quidem, at stupefaciens & hebetans sensus, & qui eo laborat existimat se ab incumbente mole premi; eius causa est crassior pituita, aut in vniuersum omnis humor circa præcordia inhærescens, quo per crapulam & cruditatem turgescente, diaphragma pulmonesque premuntur, crasso autem vapore illinc in cerebrum & fauces expirato, vox supprimitur, sensus atque mens obturbatur, visisque tristibus offũditur; ita Frãbezarius ex Fernelio & veterũ decretis.

11. *Cholerici macilentiores melancholicis.*

Hoc loco explicanda quæstio, quinam macilentiores melancholici an cholerici. Existimo esse cholericos, quia calidi & sicci, quare carẽt vtroque adipis principio, effectiuo & passiuo, effectiuum est frigus, passiuum est humor; at in Melancholicis saltem vnum principium reperitur, nempe frigus, deinde sero abundant & incoctis humoribus, quibus humescunt membra; & ad pinguescendum aptiora redduntur; quare si quid sanguinis exudat, facile in adipem conuertitur, maxime cum hic sanguis,

qui in adipem concreſcit, ſit aquoſus.

De Munditie Corporis,

CAPVT II.

1. *Duplex in homine cutis.*

DVplex eſt in homine cutis, vna, in externa, quæ δέρμα ceu corium, alia externa quœ ἐπιδέρμις vocatur. Interna, viuit, ſentit, temperatiſſima eſt; facta à natura, inquit Galenus 1. de temperamentis quia ſenſibilium norma quædam inſtrumentumque tactus erat futura, eſt in animali à prima conformatione. Externa vitæ, & ſenſus expers eſt; & ex ſordibus poſt primam conformationem coaleſcit.

Cutis in homine ſubtiliſſima eſt, multis ſubtilibuſque ſpiraculis peruia, vt ſordes, & ſudor egreſsũ habeãt, refert Oribazus, ſi Conciliatori fides adhibenda eſt differentia 43. quendam Perſarum Regem ex humana cute feneſtras ſibi paraſſe propter eius inſignem tenuitatem, ſubtilitatem & perſpicuitatem.

2. *Ortus pulicum in animalibus, &c.*

Ex his ſordibus, quæ per tranſpiracula cutis emittuntur, pulices, pediculi, atque alia animalia enaſcuntur ſub Epidermio; pulices, qui haſtas habent poſterius ad ſaltandum, & ſex pedes ad ambulandum, minima quadam putredine gignũtur, ſedemque ortus ſui ſordes aridas obtinent; vnde & ſiccior temperatura pulicibus obnoxia eſt, abũdantque Auguſto propter ſiccitatem. Pediculi ex nimio corporis humore oriuntur, vnde pueri, tabidi, purulenti pediculis infeſtantur; & nonnullos fœditate hac ſeu phtiriaſi obiiſſe proditum eſt; vt Alcmenem Poëtam, & Pherecidem Syrum, quẽadmodum ſcribit Ariſtoteles lib. 5. de Hiſtoria c. 3. vbi de his animalibus fuſius diſputat.

3. *Frigida ſicca temperies omnium mũdiſſima.*

Melancholici omnium mundiſſimi ſunt, quia frigido & ſicco tẽperamento; quod minime omnium aptum eſt ad generationem horum animalculorum; principia quippe generationis duo ſunt calor & humor, ac ſane cum omnibus animalibus ſuus, adhæreat pediculus, vt Canibus ricinus, alius aliis, aſino, qui frigidus eſt & ſiccus, nullus omnino eſt. Bilioſi ad pulices proni, ſanguinei & pituitoſi ad pediculos, vt pote qui ſubtiliore cute ſunt & tenuiore, vnde facile ad extrema corporis ſordes tranſmittunt, vbi etiam facile propter tenuitatem & ſubtilitatem (cum enim cutis externa ex ſordium materia generetur, vnius tenuitas alterius tenuitatem arguit) corrumpi ſolent; hinc qui ficubus, perdicibus diutius alerentur, pediculorum examen progignerẽt propter eorum ſubtilem materiã ſubtileſque euaporationes inde ortas, & ad cutem facile tranſmiſſas, ibique corruptas.

De Sudore.

CAPVT III.

1. *Septem corporis excretiones.*

SEptem ſunt corporis excretiones, lacrymæ, mucus, ſaliua, ſemen ad procreationem, excrementum ſiccum, excrementum humidum, totius corporis ſudor, de quo hîc agimus.

2. *Tres Concoctiones.*

Tres ſunt concoctiones valde celebres;

lebres; in prima fit chylus in stomacho, & eius præparatio est in ore, absolutio in intestinis; materia est cibus & potus; excrementum est stercus; in secunda fit chymus in iecore, materia est chylus, absolutio fit in vena caua, excrementum est serum, vtraque bilis, pituita, ac bilis quidem flaua in vesicam fellis, atra in lienem recipitur, pars seri in Vreteres & Renes, & vocatur vrina, alia pars, quæ serum simpliciter vocatur, vnà cum pituita in venas abit. in tertia, quam Anadosin vocat Galenus, fiunt secundarij quattuor humores, in extremitate venarum capillarium sanguinea substantia, vt vocat Conciliator differentia 33. tum ros in superficie singularum partium, deinde cambium in earundem poris, gluten denique ibidem, sed ita affectum vt proximè in easdem partes sit conuertendum.

3. *Quid sudor.*

Sudor est excrementum seri quod vna cum alimento sese insinuauit in extremas partes, tum per cutem manat multis de causis; atque hic tum quantitas tum qualitas sudoris consideranda est postquam dixero eum adeo salubrem, vt Cyrus Senior famulitium, nec ad prandium nec ad cœnam admitteret, nisi laboribus illum expressisset, cui quoque Cyrus minor tribuebat sanitatem qua præditus erat vt scribit Xenophon lib. 2. pædiæ. *Omnis sudor,* inquit Seneca epist. 51. *per laborem exeat*, reprehendens sudatoria, in quæ siccus vapor, corpora exhausturus, includebatur; quæ vocatur etiam calida & assa sudatio; atque in huiusmodi sudatorium coniecta est Cæcilia Virgo, ad Martyrium, & Fausta Constantini vxor, ad supplicium.

4. *Prima causa copiosi sudoris.*

De quantitate sudoris hæc dico. Sudor vberius erumpit ob multas causas.

Primo ob serosa excrementa tenuia & copiosa, hinc Hippocrates lib. 4. Apor. 41. ait, *Sudor multus ex somno factus absque causa manifesta, corpus vti copiosiore cibo significat. Si vero cibum non accipienti hoc accidat., scire oportet quod euacuatione indiget.* Scilicet cui hoc contingit, non propter virium imbecillitatem contingit, quandoquidem multus sudor erumpit, sed propter nimiam repletionem, quæ ob recentes aut prius assumptos immodice cibos nata est; si ob recentes cibos prohibendum est ne amplius sumantur; si ob prius assumptos, euacuatione opus est; & l. 7. Aphoris. 63. *Sudor multus calidus, vel frigidus semper fluens repletionem humoris esse significat*; *abducere igitur oportet è robusto corpore superne, è debili vero, infernè*, hoc est vnis per vomitus, aliis per alui deiectiones. Ac splenici & quartanarij omnes copiosissime sudant, cum multo sero abundent; nam lien iecoris, ventriculi, & vicinarum partium calorem exoluit; ac forte inde factum est vt Hippocrates lib. 4. de morbis Melancholiam, aquam nominarit, quia causa est aquæ, ceu seri abundantioris; nisi malis dicere, ita nominatam, quia obseruatum est splenicos ex multæ aquæ potu potissimum infestari.

5. *Secunda causa.*

Secundo ob meatuum raritatem; ac refert Aristot. 3. de partibus c. 5. nonnullos sudorem cruentum sudasse, cum corpus esset laxum & fluxum, sanguisque præ cruditate humesceret ob caloris imbecillitatem, qui exiguis venulis inclusus concoquere non posset; sudat autem

maximè

maxime facies, & pars superior, non modo quia cal dior est, & calor eo humorem euocat, sed etiam quia laxior solutiorque.

6. *Tertia causa.*

Tertio ob facultatis expultricis firmitudinem. Imperator Maximinus quandoque vno sudore sexdecim lixas vincebat, item milites septem superabat fortissimos; suos interdum sudores in calicem excipiebat, vt sextarios implerent. Porro sextarius seu aquæ seu vini, (hoc enim hoc loco dicere commodum est) viginti vncias pendebat vt ait Fannius nobilissimus author.

Nam libræ, vt memorant bessem sextarius addit,
Seu puros pendas latices, seu dona Lyæi.

At libra erat 12. vnciarum, bes vero octo, vnde cum sextarius addat bessem libræ, erit sextarius 20. vnciarum; quantus igitur sudor iste qui sextarios impleret?

Ac propter hanc eandem rationem, seu facultatis expultricis robur, in crisi, & decretoriis diebus copiosior manat sudor: præterea qui dormiunt, magis sudant; quia calor interiore parte collectus expultricem roborat; partem posteriorem magis vrgent rigores, anteriorem sudores: quia hæc calidior & validior est; at forte sudores hi minus sentiuntur, quia in stomachum recipiuntur, à quo, velut à spongia, attrahuntur; ac refert Augustin. lib. 14. de Ciuit. cap. 23. nouisse se hominem, qui, quotiescunque vellet, sudaret; quod ex contentione virium oriebatur, in eumque locum ait Ludouicus Viues, se, dum Brugis tertianis teneretur, quoties Medicus salutarem futurum sudorem diceret, paulisper spiritu retento semper sudare consueuisse.

7. *Quarta causa.*

Quarto in effœto corpore ob retentricis imbecillitatem; & sæpe, post diuturnas ægritudines, ita debilitari nonnullos contingit, vt ad minimum motum sudoribus perfundantur; & in sincope hoc contingit, cum sanguis & spiritus in cor se contrahunt, extimis relictis, quæ naturæ destituta regimine, sudorem continere nequeunt.

8. *De paucitate sudoris Axiomata.*

De paucitate sudoris hæc obseruanda; primo parcius erumpit ob excrementa crassa & pauca, vt in melancholicis interdum contingit. 2. ob meatuum densitatem, obstructionem, frigus externum; hinc Sol maiores excitat sudores in corporibus indutis, quam nudis, licet hæc plus calefaciat; ratio est, quia in nudis deurendo foramina comprimit, simulque vapores absumit; ac minus sudamus, cum longo interposito tempore sudamus, quia minus aperti meatus, quam cum breui; quia tunc multo magis aperti sunt; sudor minus profluit residere sinenti, quam abstergenti; quia sudor exterior refrigeratus, veluti operculum, foraminibus adhæret corporis, ita vt interior se prodere nequeat. 3. ob expultricis facultatis imbecillitatem, qua fit vt humor hic excrementitius ad extima non protrudatur, sed in intimis remaneat.

9. *De Qualitate sudoris.*

De qualitate sudoris hæc notanda sunt Axiomata. Primo sudor calidus est ab humore tenui calidoque, frigidus à frigido & crasso; ille naturam vegetam, aut saltem paucum excrementitium humorem, qui propterea facile incalescat; hic fractam & debilitatam indicat, aut copiosum humorem, vt pote qui non potuerit incalescere; hinc est quod in syncope sunt sudores frigidi, vt iam

diximus

diximus; ac, ſemper apud Ariſtotelem, & Medicos calidi frigidis multo meliores habentur, & Hippocrates lib. 4. Aphor. 42. multos quidem ſudores morbum, at frigidos diuturniorem, calidos breuiorem ſignificare affirmat: 2. ſudor ſalſus eſt, quia portiones aqueæ terreſtribus admiſcentur, ſi terreſtris portio redūdat, quod naturæ vegetæ eſt & calidæ, ſapor reſilit amarus; ſi aquea, quod frigidioris naturæ eſt, inſipidus. Empedocles mare ſalſum aiebat quod terræ ſudorē eſſe vellet 2. Meteoro. c. 1. adeo ſalſedo ſudori germana eſt; porro admixtio eius quod minime concoquitur ſalſedinem efficit, vt patet in ſedimentis omnibus, ac maxime vrina, & ſudore, quæ minime concocta ſunt, quia non ſunt craſſa & ſpiſſa, vt ait Ariſtoteles 2. Meteor. cap. 3. denique ſudor male olidus imbecillam frigidamque naturam indicat, nam mali odoris cauſa, eſt cruditas; *pingue os*, inquit, *non male olet, quia pingue concoctum eſt* ſect. 13. proble. 4.

De Sternutatione.

CAPVT IV.

1. *Quid & vnde ſternutatio.*

STERNVTATIO eſt contractio & collectio cerebri ad excluſionem rei noxiæ; qualis vero eſt in thorace tuſſis, in ventriculo ſingultus, talis eſt in cerebro ſternutatio; At quomodo fit? Recte Hippocrates 7. ſententiarum ait fieri ex anterioribus cerebri ventriculis humefactis, atque ita humefactis, vt in ſpiritum vertatur humor, quod dico, quia ſi quid humoris in capite exuperet, nequaquam propterea gignitur ſternutamentum, quam multis enim intermanant cerebri retrimenta, & per narium emiſſacula humoris nimietas extruditur, ſine ſternutatione; mordax nimirum ſit humor neceſſe eſt, aut mordax aliquid naribus imponas, vt natura deſiderio expellendæ materiæ ſtimulantis ad ſecretionem commoueatur: prætere a reſolui quidem, ſed non conſumi debet in cerebro humor, hinc fit vt calor ſolis ſternutationem prouocet, calor ignis minime; hic enim humorem conficit, ille reſoluit tantum, præterea nihil; ſi quis ſternutaturus oculum aut naſum perfricuerit, minus ſternutabit; quia frictio calorem ciere poteſt, qui natiuo & interno calori additus humorem decoquit: Ariſtoteles paulo aliter hac de re philoſophatur, *Fricatio*, inquit, *calorem ciere poteſt, qui calor, quoniam locus, quo ſternutamus, oculis & naſo in propinquo eſt, alterum ſternuendi calorem tollit, quemadmodum minor ignis ab maiore abſumitur.*

2. *Sternutatio humorum abundantiā arguit.*

Sternutatio craſſam redundantium humorum copiam arguit; Michaël Scotus hanc in rem, *Nimia*, inquit, *faciei rubedo, pallidi angues, frequens brachiorum extenſio, & corporis pandiculatio, crebra oſcitatio, creber capitis dolor, aurium tinnitus, lacrymantes prurienteſque oculi, grauis ſomnus, ſomnolentia, craſſa ſternutatio, fæculentas redundantium humorum ſordes teſtantur.* Ratio horum omnium in promptu eſt.

3. *Laborioſa ſternutatio ſiccitatis ſignum.*

Qui laborioſè ſternutat ſiccioris naturæ eſt, aut deficit viribus, habet enim foramina per quæ ſpiritus permeare ſolent, adducta, atque coniuncta; ſiccitatis au-

tem est constringere atque adducere; quod si viribus deficit, non nisi difficile humorem eleuat & concoquit; propter hæc duo senes frigidi & sicci, viribusque effœtis, laboriose sternutant.

4. *Sternutatio vehemens & crebra, signum bene affecti cerebri.*

Sternutatio vehemens & crebra bonam cerebri habitudinem, dolorumque capitis raritatem notat, cum caput posse concoquere seque noxiis humoribus expurgare, indicio sit; scribit Hippocrates, *mulieri, quæ difficulter parit, si sternutamentum superuenerit, bono est*, tunc enim signum est naturam, quasi intermortuam, expergefieri, & reuiuiscere; ac sæpe moribundi sternutatorio excitantur, quasi hoc si affici nequeant nulla salutis sit spes; atque apud veteres sternutamentum, vt scribit Aristoteles, pro numine habitum est, non autem tussis, neque grauedo; tum quia de capite membrorum omnium præcipuo atque diuino, vnde cogitatio est, suum ducit principium; tum quia cæteri illi effectus ratione morbi eueniunt, hic secus exultet natura, cum calor humorem spiritumque resoluit: Quid, nunquid sternutantibus, quasi gratulabundi, bene precamur? ac scio huiusce cõsuetudinis aliam causam & originem celebrari; olim, dum nouum inopinatumque pestilentiæ genus grassaretur, tempore Pelagij Papæ, sternutamentum mortem propinquam prænuntiabat, nempe ad extremum vi morbi depopulantis præcordia, redacta natura, collectis viribus extremum edebat conatum, & subito collapsa fatiscebat; qui vero tunc sternutanti astabant de precatoriis subito verbis fausta precabantur *Te Deus adiuuet*, ad præsens malum quasi præsenti precationis amuleto auertendum, vt videre est apud Polydorum Virgilium lib. 6. cap. 11.

5. *Qui crebro sternutent.*

Crebro sternutant qui cibo & potu largius vtuntur, qui meatus obtinent ampliores, qui breuioribus naribus sunt; qui cibo quidem & potu largius vtuntur, quia magna humorum copia, quæ inde progignitur, cerebrum, quo defertur, proritat; at quibus meatus sunt ampliores, quia ipsi forinsecus facile spiritu odoreque replentur, facile quoque ad sternuendum proritantur. Cum breuiores sunt nares, humor calefactus celeriter in spiritum commutari potest, cum contra quibbus longiores sunt nares, iis præ longitudine citius spiritus refrigescunt. Atque ex hoc triplici capite oritur, quod homo in animantium genere sternutare maxime soleat, vt aiunt Alexander Aphrodisæus l. 1. proble. 114. Aristote. sect. 10. proble. 20. qui etiam de tota sternutandi ratione consulendus est sect. 33. porro homo in cibum & potum effusior est, meatus obtinet ampliores, breuioribusque naribus est, quam cæteræ animantes, meatuum ampliorum optimum est indicium quod olfactu maxime valeat inter omnes animantes, at quo arctiores sunt meatus, eo magis vim obtinent olfaciendi.

6. *Crebra, debilisque respiratio, breuioris vitæ signum.*

Qui crebro, & debiliter, aut crasse sternutat, breuioris vitæ est: vulgaris est hic plebeculæ sensus nec à vero alienus, nam qui ita sternutat, crassis vaporibus abundat, quibus tamen non commodè exoneratur, cum debilis sint sternutationis.

7. *Præclarum Cleanthis dictum.*

Addam hic Coronidis loco quod refert Laërtius l. 7. cap. 2. Cleanthes Assius cum hominis mores ex conspectu

pectu deprehendi posse dixisset ex Zenonis sententia, Philosophum ludere, qui hoc audierant, volentes, hominem cinædum, sed multis laboribus ab ineunte ætate exercitatum adducunt, vt artis suæ specimen ederet. Cleanthes igitur cum hominis faciem, manus callosas & sole adustas vidisset, & aliquandiu siluisset, iussit hominem abire foras; ille cum discederet sternutamento concussus est, quo audito, Cleanthes ait, satis hominis naturam intelligo; mollis est, non enim facile sternutant qui sub Dio laborant: quam vane, quamque superstitiose obseruata fuerint ab antiquis sternutamenta, ad varia auguria capienda videri potest Alexander ab Alexandro l. 2. Genial. dierum c. 27.

De oscitatione.

CAPVT V.

1. *Quid sit oscitatio.*

OSCITARE significat proprie totum os aperire, quod expressit Persius satyra quinta.

Stertis adhuc, laxumque caput compage soluta
Oscitat hesternum, dissutis vndique malis.

Cæterum oscitatio ad superfluitatum, in mandibularum ac thoracis coeuntium musculis, expulsionem comparata est: hinc intelligitur quare frequens à somno & digestione cibi obueniat; si affluentes sunt huiusmodi superfluitates (quas Galenus in l. 7. sententiarum Hippocratis contendit esse humiditates flatuosas, vel spiritus vaporosos) & per cutem currant horripilationē, & tremorem; si vero nimio plus abundent, febrem inducunt; quod si inter oscitandum totum corpus extendatur, pandiculatio vocatur.

2. *Quid significet.*

Oscitatio frequens male affecti, & in proximo febris periculo constituti, aut nauseantis & hallucinantis, soluti vagique animi indicium est. Illud ex dictis manifestum est; hoc vero in hunc modum conficitur; Cum remittunt languentes nausea, & tædio & fluxa cogitatione animi facultates, fumidos vapores conficere & comprimere nequeunt, sed superantur, motuque à vaporibus musculi distenduntur. Atque hic operæpretium notare est, quoties sternutamentum compressimus, statim nos oscitare ni caueamus, humor enim qui sternutamenti materia fuisset, materia incipit esse oscitationis. Propositionē hanc illustrabit quod refert Gellius l. 4. cap. 10. *Deliberatum*, inquit, *de nota eius, qui ad Censores ab amico euocatus est, & in iure stans clare nimis & sonore oscitauit, atque inibi prope vt plecteretur fuit; tanquam illud indicium vagi animi foret, & hallucinantis, fluxæ atque apertæ securitatis; sed cum ille deierasset inuitissimum se & repugnantem oscitatione victum, teneri que eo vitio, quod oscedo appellatur, tum notæ iam destinatæ exemptus est.*

3. *Varia de oscitatione.*

Horrescimus, vbi oscitauimus, quia aliquid calidi spiritus, cuius detractione corpus refrigeratur, excurrit; præterea qui oscitantem videt, oscitare incipit: oritur hoc ex imaginatione rei visæ, imaginatio motum excitat. Denique qui lassitudine nimia fatiscunt, aut somnolentia tenentur; infirmi etiam aduentante aut augescente febre, facile oscitāt, propter vaporum abun-

dantiam: Atque olim tempore Pelagij Papæ oscitare lethale fuit, quare sese signo Crucis repente communire consueuerant, atque etiam hoc nunc ab oscitantibus fit, quæ verba sunt Polydori Virgilij lib. 6. cap. 11.

D Respiratione.

CAPVT VI.

1. Quid Respiratio.

RESPIRATIONEM vocamus, cum spiritus intra & extra fertur; eius partes duæ; inspiratio, qua aër attrahitur thoracis distensione, expiratio, qua emittitur eiusdem thoracis contractione. Illa prior, ista posterior, quia morientes expirant, quare necessarium est, inquit Aristo. l. quem de hoc argumento conscripsit, inspirationem vicem subire principij; comparata vero est respiratio ad cordis refrigerationem, ad spiritus vitalis nutritionem, humorumque expurgationem, qui alioqui cor opprimerent & strangularēt. Recte Auerroës in suis Colligetis anhelitum ait esse optimum cordis temperaturæ indicium.

2. Naturalis est simpliciter.

Motus respirationis partim naturalis, partim voluntarius est: Naturalis est simpliciter, voluntarius secundum quid: naturalis quidem simpliciter, quia dormientibus nobis, & nullo modo cogitantibus fit, estque simpliciter necessarius ad vitæ conseruationem, hinc Græci, per verbum ἄω compositum ex prima & vltima litera Alphabeti, respirationem designarunt, quod & ab ipsa occipiat & cum ipsa desinat vita: ac præterea vox Græca ψυχὴ, vt, ait Socrates in Cratylo, dicta videtur quasi ἀναψύχων, respirando refrigerans, quod quandiu ipsa adest corpori causa est illi viuendi, respirandi, & refrigerandi vim exhibens. Latini animam πὸπυ ἀνέμυ, dixerunt, immo animam interdum ventum nominant, & spiritum: & apud Hebræos eadem vox est, qua ventus, & spiritus, & anima designantur. Fauere videtur scriptura quæ formato Adami corpori inspiratum ait à Deo spiraculum vitæ. Id est animam, causam efficientem respirationis, à qua, tum à Græcis, tum à Latinis nominata est anima vt ab effectu, tum notissimo apud plebem, tum maxime necessario.

3. Voluntaria est aliquo modo.

Præterea motus hic voluntarius est secundum quid, quia integrum nobis est celeriorem illum, vel tardiorē facere cum libuerit, vt contingit in palpebrarum motu: ratio est quia licet instrumēta motus pulmonū non subiaceant voluntati, tamen quia cum motu pulmonum coniunctus est diaphragmatis & thoracis motus, qui à voluntate pendet, ideo & pulmonum motus respiratioque quadantenus voluntaria censentur. De hoc toto argumento videri possunt Aristoteles l. de spiritu; Conimbricenses & Petrus Alberius in eum Aristotelis librum, Andreas Laurentius l. 3. q. 20. Georgius Bertinus l. 16. c. 9.

4. Fortis, velox, & spissus anhelitus calidissimi cordis indicium est.

Fortis, velox, & spissus anhelitus maximam cordis caliditatem arguit, ex quo fortitudo & audacia nascuntur, retusior quoque audiendi facultas; ratio est, quia ad natiui caloris incendium temperandum aëris inspiratu, tanquam flabello, cor ventilatur, & quoniam inter animalia, quæ sanguinea pulmonéque prædita sunt, ea maiori calore

velut,

velut flamma, exardeſcunt, illis propterea ſolis reſpiratio conuenit, vt ait Philoſophus lib. de ſpiritu; quod ſi quæ pulmonem habent pene exanguem, nimiſque poroſum, vt ranæ, teſtudines, crocodili, delphinique, aliaque nonnulla, minore adminiculo quaſi flabello indigent, minuſque reſpirant; cæteri piſces, quia parum calidi, minime reſpirant, ſed ore, & branchiis, quæ coniunctæ ſunt arteriis cordi cohærentibus, aquam admittunt, ad nonnullam viſcerum refrigerationem; quare ſi ſenectute, aut alia de cauſa branchias mouere non poſſunt, ſuffocantur; exanguia porro inſectilia, fœtuſque, quandiu in vtero eſt, propter debilem languidúmque calorem, tranſpirant tantum, fit vero tranſpiratio per occulta cutis ſpiracula, cum reſpiratio per ſenſiles ductus, os, & narium caniculos fiat. Ex his omnibus conficitur, quibus fortis, velox, & ſpiſſus anhelitus, iis maximè cor æſtuare, vtpote quod tam copioſam ſpiritus refrigerationem poſcat.

5. *Qui vehementius ſpirant, minus auditu pollent.*

At cur qui vehementius ſpirant minus auditu pollent? Sane quoties vehementius ſpiramus, aut oſcitamus, minus audimus, quia ſenſorium auditus patitur, mouetúrque cum ſpiritus agitatur, ac propterea minus idoneum eſt aëri externo ſonóque excipiendo; immo cum ſenſorij commotione ſtrepitus quidam in eo oritur, maxime in oſcitatione; atque hæc duo commotio, & ſtrepitus vim audiendi interpellant; qui igitur forti velocique anhelitu eſt, licet ſibi interdum ab eo temperet, minus audiendi facultate pollet, quia ſenſorium habet perturbatius. Huc referendum eſt quod habet Ariſtoteles problem. 60. ſect. 11. nos melius audire cum ſpiritum retinemus, quam cum reddimus, quare minus ſpirare in venatione præcipitur, ratio eſt, quia afflatio ſpiritus commotio quædam eſt, quæ vim audiendi obtundit; contra retentio ſpiritus, quies quædam.

6. *Ex validiore expiratione quam inſpiratione copia fuliginum arguitur.*

Cum validior expiratio quam inſpiratio, copia fuliginum arguitur; ſic morientes & moribundi propter minimum cordis calorem vix inſpiratione indigent (vnde & frigidum expirant, nullúmque certius eſt proximæ mortis indicium, quam frigida expiratio) ac propter fauillacea excrementa redundantia, ad frequentem validámque expirationem prouocantur; ſic hauſto vberiori alimento, quia calor, ad cibum excoquendum collectus circa ventriculum, multos fumidos vapores excitat, maior & amplior eſſe debet expiratio, qua extrudatur, at maiorem ampliorémque expirationem maior ſequitur cordis thoraciſque compreſſio.

7. *Vnde fit vt ſpiritus diutius cõtineatur.*

Qui ſpiritum in aqua diutius continent, ampliores habent pulmones, magiſque fiſtuloſos, quibus plus aëris excipiunt, aut ſaltem minus ſanguineos, & per conſequens frigidiores habent pulmones; qui ita affecti ſunt, ſemper parum, hoc eſt minori aëris copia, frequenter tamen reſpirant, anguſtum habent thoracem; ſic nos à cibo, quia propter ventriculi dilatationem minor patet ſpiritui tranſitus, reſpirationis paruitatem aſſiduitatis ope compenſamus. ita Conimbricenſes.

Quicunque ita anhelant vt qui curſum aliquem confecerunt, imprudentes, præcipites in rebus agendis, minime ſecretorum tenaces ſunt, & conſilio carent; ita Polemon, Adamantius & Ioannes Ba-

ptiſta A Porta: Ratio eſt quia ardore exæſtuant: hinc mentis turbatio, & enumerati effectus.

8. *Frequentior ampliorque reſpiratio, iræ, amoris doloris, indicium.*

Frequenter amplitérque ſuſpirare eorum eſt, qui vel anguntur, vel iraſcuntur, vel amant. ita Alexander l. 1. problematum, rationem reddit; quoniam qui anguntur, inquit, animum totum ad rem, quæ dolori eſt, conuertunt; qui iraſcuntur rei, qua conciti fuere, intendunt; qui amant, in ea re, cuius deſiderio tenentur, toti ſunt; itaque animus conuerſus ad id quo ſollicitatur, negligit, & quaſi officij ſui obliuiſcitur, videlicet vt muſculis thoracis vim mouendi ſuppeditet; Cor igitur, cum neque per intenſionem pectoris aërem capiat, quo ventilari refrigerarique poſſit, neque per emiſſionem ſeuocet quæ ſanguinis ardor fauillacea excrementa ſuggerit, animam ad deſertum officium reuocat, & hortatur, vt plurimam muſculis præſtet motionem, inſpirationem reſpirationemque ampliorem efficiat, copiam aëris frigidi capiat, & excrementorum largam eiiciat copiam, ita vt, quod vires minutæ crebræque eſſent ſpirando facturæ, hoc vna amplior reſpiratio ſubminiſtret. Ita ille. Sic Virgilius vates ſuſpirabundus vbique obſeruatus eſt, quod in ſtudia ſua nimia vbique cogitatione incumberet, quod iam notauimus.

De fame & ſiti.

CAPVT VII.

1. *Quinque ad famem concurrũt.*

AD famem quinque concurrunt ex doctrina Galeni lib. 1. de ſymptomatũ cauſis c. 7. & Turiſani 2. l. artis paruæ Commento 60.

Concurrit 1. exinanitio omnium partium à calore profecta, humidũ alimentitium depaſcente. 2. attractio earundem partium, conantium ad ſe allicere alimentum; venarum quidem, à Iecore: Iecoris, à venis Meſaraïcis; harum, à ventre. 3. eſt diuulſio ventriculi, quæ naſcitur ex hac attractione, 4. eſt dolor ſeu ſenſus huius diuulſionis, 5. eſt appetitus cibi, nam cum phantaſia percipit diuulſionem ventriculi, ortam ex alimenti penuria, alimentum, vt ſibi conueniens, apprehendit, ac tum appetitus in ipſum fertur per actum appetitionis. Idem omnino dicendum de ſiti, niſi quod fami reſpondet alimentum, ſiti potus & humectatio.

2. *Diſputatur in quo fames conſiſtat.*

Verum dici non poteſt in quoque horum conſiſtere famem; non in exinanitione, & attractione, nam fames eſt in ſolo ventriculo, exinanitio & attractio in membris pluribus; præterea paulo poſt ſumptum cibũ expleta eſt fames, neque tamen adhuc chylus, ſanguiſque factus, qui à membris attrahatur; deinde in canina fame non ſunt membra exinanita, neque indigent alimento quare ad attrahendum ſtimulentur; Non in diuiſione ventriculi nata ex hac attractione, vt patet ex eadem ratione iam dicta; nam ſemper membra trahunt donec ſanguinem habeant, at expletur fames antequam hæc attractio facta fuerit; deinde cur acida famem excitarent an forte diuellunt ventriculum? non in ſenſu doloris huius diuiſionis, nã in fame non ſemper huiuſmodi diuiſio eſt, ſed nec qui inde naſcitur dolor; non etiam in ſenſu doloris qui ex confrictione rugarum oriri dicitur, nam ſimile tangens ſimile quem

quem dolorem creare poteſt, ſi violenta non ſit horum duorum ſimilium vnius in alterum compreſſio? denique appetitus alimenti non eſt formaliter fames, ſed eſt id ad quod data eſt à natura fames animalibus, vt videlicet, quia non habent alimentum præſens, vt plantæ, illud quærant, at non quærent niſi appetant, vnde definitio quam affert Ariſtoteles 2. de anima, fames eſt appetitus calidi & ſicci, ſitis frigidi & humidi, non eſt per cauſam formalem, ſed finalem; Et quidem hic obiter notandum per calidum & ſiccum intelligi alimentum, per frigidum & humidum intelligi potum, non quod non dentur cibi temperati, immo qui potius frigidi & humidi cenſendi, ſint quam calidi & ſicci & contra, quod non detur potus qui ſit calidus, immo non raro idem ſimul eſt cibus & potus, ſed quod alimentum, vt plurimum, calidius ſit & ſiccius quàm potus, potus cõtra frigidior & humidior cibo.

Nonnulli voluerunt famem eſſe ſenſum doloris ventriculi ortum ex frigidi humoris aſperſione; ſed cõtra eſt, quod qui frigidiſſimi ſunt deberent eſſe maxime famelici, cum tamen billoſi, ſeu calidi ſicci, plus fameant quam pituitoſi; præterea conſtat experientia, cum innatat pituita ſtomacho tunc famem & appetitum cibi eſſe maxime deiectum quare autem melancholia, quæ frigida eſt, famem proritet, poſtea videbitur.

3. Soluitur quæſtio fames eſt ſenſus doloris qui naſcitur ex conſũptione humidi chyloſi.

Soluo igitur quæſtionem ſi notauero ex doctrina Dandini Commento 29. in 2. de Anima humidum in ventriculo triplex eſſe; chyloſum corpulentius & craſſius, quod ex cibis exprimitur, alterum roridum quod ex potu accipitur, & non eſt neceſſe fieri per chylificationem, tertium innatum; hoc poſito, Certum eſt famem nihil eſſe aliud quã ſenſum in ventriculo doloris, qui naſcitur ex conſumptione chyloſi humidi, quod patet ex eo, quod vbi reparatum fuit hoc humidum, ſumptione cibi, ſtatim expletur fames; fateor vero cum hac carentia eſſe coniunctam conſtrictionem vẽtriculi, quæ etiam dolorem creare poteſt; ſimiliter ſitis erit ſenſus doloris in ventriculo, ore, œſophago (nam & in his omnibus ſitis eſſe poteſt) quæ oritur ex conſumptione humidi roridi, quod procreat potus; non vocaui autem hoc tenue & roridum humidum, chyloſum humidum, neque enim ſemper per chylificationem procreatur (licet ſæpe procreari poſſit) nam in eodem momento quo bibimus, ſitim leuatam ſentimus; ne quis tamen dicat famem poſitam in ſenſu doloris ex conſumptione innati humidi; nam ſemper conſumitur, at tantum ſentitur fames cum deeſt cibus in ſtomacho. hæc omnia recte expreſſit Auerroës, cum dixit in 2. Colligeto cap. 13. famem eſſe conſumptionem humidi craſſi in ventriculo, ſitim humidi tenuioris, & quia eadem res vtrumque humidum progignere poteſt, ideo & cibus & potus eſſe poteſt.

4. Fames & ſitis alia naturalis alia non naturalis.

Fames & ſitis, alia naturalis, alia non naturalis eſt; naturalis eſt cum actione caloris naturalis ſiccatur & priuatur hoc humido, ſiue craſſo, ſiue tenui orificium ventriculi, os, œſophagus; non naturalis, cum aliis de cauſis hoc contingit; vt in fame canina, & diabete, de quibus paulo poſt. Nunc, quæ cõiecturæ ex naturali fame & ſiti duci poſsũt, diligenter diſpiciendum eſt.

Primo

5. *Calidi & sicci ventriculi plus concoquunt quàm appetunt.*

Primo calidi & sicci ventriculi multo plus cibi concoquunt, quam appetant; ratio est, quia calor, quia est instrumentum potentissimum facultatum naturalium, concoctionem maxime iuuat, quæ tota calore potissimum perficitur. Iubent Medici biliosa corpora bis in die refici, pituitosa autē semel, & ex aphorismo 57. l. 7. corporibus humida carne præditis perferenda fames est; at vero ex alia parte calor sensum doloris minuit, qui ex carentia humidi crassioris, cum quâ & coniuncta est constrictio orificij stomachi nascitur, & sane videmus omnes alios dolores vt plurimum calore leuari.

6. *Frigidi Ventriculi contra.*

Secundo frigidi venculi plus appetunt quam concoquunt; nam, propter frigus, imbecillam habent concoctiuam facultatem, at propter idē frigus multum constringitur stomachus, & exprimitur, propter constrictionem, maxime ex orificio stomachi, humidum crassius, & defluit in fundum, vnde maior fames quæ pro ratione coctionis consequitur; omne, inquit, Aristoteles lib. 4. de partibus cap. quinto, insectorum genus minimo alimento contentum est; prope ipsa sibi sufficiunt, non tam corporis exiguitate, quam frigiditate; quod enim calidum est, cibum & desiderat, & concoquit cito, contra, quod frigidum, cibo carere facile patitur.

7. *Melāncholia famem proritat.*

Tertio, melancholia, quia frigida, acris & acida, ventrem pungit constringitque orificium stomachi, ideo famem proritat; si tamen nimia est, appetentiam deiicit, quia prauus in stomacho habitus contrahitur ex succo terreo & fœculento, sic videmus qui solitam prandij horam prætergrediuntur impransi, non famere; quia vacuus stomachus vndique ex vicinis partibus corradit & elicit copiam humorum, maxime melancholicorum & terreorum.

8. *Amplitudo stomachi famis irritamentum.*

Quarto, qui habent stomachum & intestina ampla citius fament, quam alij; quia citius egerunt cibū patentibus viis, & recte notauit Arist c. 14 l. 3. de partibus animalia, quæ continentiora sunt ad cibi desiderium, non habere laxiores sinus in intestinis, sed anfractus, orbesque plures continere, vt diutius immoretur cibus; ac, vt refert Gellius lib. 16. cap. 3. quando Scythæ præuidebant famem tolerandam, ventrem fasciis arctissime circumligabant, quo argumento vtebatur olim Erasistratus, ad probandum famem fieri propter patentes, & inanes ventriculi & intestinorum fibras. Qui liberalius cibis vtuntur magis fament propter rationem iam dictam, nā multo crebróque ingesto cibo intestina omnia, & viæ dilatantur.

9. *De iis qui longo tēpore à cibis abstinent.*

Quinto, qui longo tempore sine cibo perseuerant, vel hoc est, quia cutis adeo densa est, vt actione caloris naturalis vix quidquam per poros resoluatur, vel quod exiguus sit calor, nec externa contraria magnopere oppugnent, aut quod pleni sunt humoribus crudis, qui interim digeruntur; sic Vrsus sex menses latet, quo tempore, cum sit animal voracissimum, crudorum humorum fœnus conficit, & sapienti naturæ consilio factum est, vt totis illis mensibus latebras, quærat, & dormiat, ne maiorem copiā humorū propter voracitatem contrahat; ac primis quattuordecim diebus vix excitari potest, quia tunc crassissimi humores ascendunt ad caput; pinguescit vero post longum somnum

propter

propter optimam humorum digestionem; simile quid narrat Lælius Bisciola tomo 1. horarum lib. 16. c. 2. de boue, qui sub ingenti fœni cumulo sine alimento multos vixit menses, quem rustici credebãt amissum, at tandem inuentus est adeo pinguis & nitidus, vt se loco mouere non posset; si qui vero narrantur plures annos abstinuisse omni cibo, fabulæ sunt, aut miraculum aliquod intercessit, aut fallax Dæmonis opus, aut denique oportuit eos fuisse corporis habitudine frigidissima, pituita crassissima, nutritione incoctissima, & membrorum meatibus obstructissimis. Videri potest Franciscus de Mendoça in Viridario lib. 4. prob. 23. & 24. vbi multos refert, qui menses, atque annos plurimos sine cibo potúque exegerunt, ac de eodem argumento famis diu toleratæ agit Martinus Del-Rio in Disquisionibus Magicis l. 2. q. 21.

10. *De chamæleonte.*

Vulgo narrant Chamæleontem omni cibo abstinere, sed obseruatum est muscarum aucupio viuere, qua de re Iulius Scaliger Exercit. 196. in Cardanum *Ioannes Landius* inquit, *in vltima Syria cum esset, ait se vidisse, vnum, ex quinque quos emerat Chamæleontibus, lingua repentino momentaneoque iaculatu, muscam, quæ in eius esset pectore, legisse; præterea illius a se dissecti linguã narrabat inuentam palmi longitudine cauam, inanem, in summa tanquam acetabulum, cum muco quo prædam tolleret.*

11. *De Appetentia ciborum corruptorum.*

Sexto qui corruptos cibos appetunt, os ventriculi malis humoribus infectum habent, si pituita acida, cibos acidos; si atra bile, carbones, lateres, atque alia id genus fictilia; propter hoc mulieres quæ vterum gerunt duobus aut tribus prioribus mensibus, quibus sanguis menstruus in loco conceptionis colligitur, nec, vt postea, absumitur, adeo deprauatas habent appetentias ex humorum vaporibus, eodem iam dicto loco congregatorum, ad os ventriculi ascendentibus.

12. *Ventriculi calidi sicci siticulosi.*

Septimo maxime sitiunt calidi sicci ventriculi; ratio est, quia citissime consumunt humidũ tenuius & roridum quo asperguntur, & sitis est appetentia frigidi humidi vnde qui timent, multum sitiunt, quia sanguis & calor ad interiora se recipiunt, vnde ea maxime & calent & siccantur. Iterum ventriculi calidi sicci siccos appetunt cibos naturaliter, propter consensum & sympathiam naturalem, nam naturaliter simile appetitur à simili, at potũ, qui humidus est; appetunt quidẽ, sed tantum propter necessitatem; Ac consentaneum est credere maxime sicco calidoque ventriculo fuisse Magnum Sfortiam, qui facile torquebatur siti, vnde se armatum siti potius quam ferro confici posse diceret, atque id mortis genus maxime vereretur; qua de causa armigerum instituerat, qui semper lagenas aquæ, vini, & alia ex saccaro sitis subsidia super valido equo perferret, nec vnquam à se, vel in extremis pugnæ periculis, diuelleretur, vt refert Iouius in eius vita.

13. *Ventriculi frigidi humidi parũ siticulosi.*

Octauo contrà ventriculi frigidi humidi parum siticulosi; calidi humidi siticulosiores frigidis & humidis, quia propter calorem humidum roridum consumitur; & qui vino generoso vtuntur vix sitim sedant, quia vini calor humidum absumit, tamen hi ventriculi calidi humidi minus siticulosi sunt calidis siccis; frigidi sicci satis modice sitiunt.

14. *Amplitudo pulmonum sitim minuit.*

Nono, qui parum sitiunt sæpè amplos pulmones habent aut minimè sanguineos; obseruatur apes rapaces, alioquin calidissimas, parum sitire & bibere, propterea quod pulmonem habent amplissimum, ac perparum sanguineum, qui stomachum facile euentilet, ardorémque, qui humidum absumeret, alioqui temperet; ac cum in aquatilibus pectus, vitalium venter, breuissimum sit in pedestribus fere par est ventri naturalium, in volatilibus multo prolixius est, maximè parte antica, propter duo, quorum vnum ad rem nostram facit, scilicet vt pulmo amplior esse possit, & incubare stomacho suppleréque inopiam potus, qui sane si multus esset volatum præpediret: alterum est, vt prolixum & vnicum pectoris os firmum præstet fundamentum validis musculis qui alas mouent; vt enim gressibilia validis musculis instructa habent femora, ita volatilia alas; quod hic de auibus dixi, in quibus ampli pulmones, & minimè sanguinei, fungosi ac similes spumæ, quæ ex amplo tumore in exiguum residet, de hominibus facilè dici potest, & experientia comprobatur, viderique potest Arist. sect. 27. probl. 4.

15. *De illis qui aliquot horis post sumptum cibũ sitiũt.*

Decimo qui aliquot horis post sumptum cibum sitiunt optime digerunt, ratio est; potus, cuius quærendi causa sitis data est, quadruplici potissimum de causa nutritioni confert, vt attenuet alimentum, & hac attenuatione melius exprimatur nutritiua cibi humiditas, id quod faciunt artifices, inquit à Vega, in extrahendo oleo ab oliuis, dum sacculos oliuis tritis plenos perfundunt aqua calente, & in extrahendo succo amygdalarum, & cuiusuis alterius fructus, premitur enim dentibus alimentum, mandatur ad ventriculum, quasi sacculum, perfunditur multa aqua, vt ita integer alimenti succus exhauriatur, extracto succo, quidquid terreum est, per intestina descendit; succus vero ad vasa totius, potus ad vesicam delabitur, vt in oleo extrahendo seorsum terreum relinquitur, oleum innititur, labitur amurca; ideo autem hic aqua bibitur frigida, illic perfunditur calens, quia licet bibatur frigida, incalescit tamen à ventris calore. Secundò, vt hac attenuatione per meatuum angustias cibo viam aperiat. Tertiò, quia concoctio stomachi elixationi, quæ fit à calore humido, similis est, concoctionem hanc iuuat potus. Quartò temperat siccitatem membrorum, impeditque celerem inflammationem, & extinctionem alentis humidi à calore, quem vsum præstat, vltra potum, cordi valde calido, aër; & oleo lucernæ admixtum sal, dum enim salis humiditas liquatur, permiscetúrque oleo, facit vt magis duret oleum. His positis clarum est non male à natura prouisum, vt sumpto cibo inuadat sitis, cum potus in subsidium cibi potissimum sumatur, vt extenuetur ipse, exprimatúrque melius humiditas alimentitia, & commodius deferatur nec tam cito consumatur. At quare signum bonæ concoctionis, aliquot horis, post sumptum cibum sitire? Quia cum facultas concoctiua vegeta est & bene officio fungitur, ad ingestum cibum calidum augetur, quod tenuiorem humorem consumit initio, at in progressu concoctionis hic humor facile reparatur per chylosim.

16. *De fame canina.*

Fames canina, seu vehemens & insatiabilis ciborum appetentia, ori-

tur,

tur, vel à nimio calore, qui alimentum statim consumat, vel à nimio frigore, quod retentricem ventriculi facultatem labefactet, vel ab acidis humoribus, quos exorbuit os ventriculi, & à quibus acriter pungitur, contrahitur, & exsiccatur; de hac fame canina extat Aphorism. vigesimus primus Hippocratis lib. 2. *Famem vini potio soluit*, quem eo loco explicat Galenus. Boulimos à fame canina non distinguitur, nisi quod ex sola intemperie frigida nascitur, & est vrgentior fame canina; sæpe, qui per niuem iter faciunt, fame canina aut boulimo corripiuntur, vt contigit M. Bruto è Macedonia in Epirum properanti accipere legionem Gabinij post cædem dictatoris, boulimum pati. Ratio est, quia vel propter Antiperistasim calor augetur, vel omnino perimitur tenui & frigido niuis halitu in corpus penetrante.

17. *De diabete.*

Diabetes fami caninæ proportione respondet, dicitur dypsacus, quod sitim afferat, & diabetes ἀπὸ τοῦ διαβαίνειν, quod transire faciat; est autem proprius renum affectus, vrinæque & potionis non mutatæ continuus fluxus, fit à calida & sicca renum intemperie, immoderatius totum humidum corporis perliciente, & humore bilioso salso & tenui, qui renes ad attractionem & expulsionem velociorem stimulat. Et hæc satis de fame & siti, quæ dominos graues & difficiles vocat Philo lib. de vita Mosis.

***

De Voce.

CAPVT VIII.

1. *Quid vox, & quæ eius instrumenta.*

SONVS, vox, & sermo hoc differunt, quod sonus etiam inanimatis, vox solis animatis, quanquam non omnibus, sermo soli homini conueniat; definitur vox, percussio aëris ad asperam arteriam facta ab anima, cum intentione aliquid significandi. Effingendæ vocis instrumenta quinque potissimum enumerantur, pulmones, thoracis & intercostales musculi, aspera arteria, larinx, gargario. Pulmones constant carne rara & molli, & spongiosa ad expeditiorem motum, & aëris attractionem, vt plurimum quattuor lobis constant, figurámque vngulæ bubulæ æmulantur; thorax beneficio musculorum exceptum aërem extrudit; aspera arteria est veluti fistula, à faucibus ad pulmonem ducta intus annulorum instar distincta, propterque asperitatem cartilaginum sic nuncupatur; conflatur substantia cartilaginosa & ligamentosa. Larinx est superior asperæ arteriæ pars, tribus cartilaginibus constans, quarum duæ interiores, tertia exterior, quæ à forma scuti Thyroides vocatur; laryngis summum ostium, ne quid cibi potusque illabatur in asperam arteriam, contegit corpus cartilaginosum humidum & viscosum, quod Epiglottis vocatur à similitudine linguæ, & in spiritus reciprocatione sursum erigitur; Gargario ceu gurgulio, aut columella, est caruncula rotunda in extremo palato dependens, sub qua est epiglottis; vocatur quoque

vuula, quia aliquando ex influxu humoris ad similitudinem vuæ intumescit. his instrumentis ita formatur vox; thorax motu suo, musculorum beneficio, aërem pulmonum comprimit, extruditque per arteriam vocalem seu asperam, qui deinde impingit in laryngem epiglottide occlusam, ibi allisus sonat, ad gurgulionem præterea allisus frangitur variéque temperatur, vnde & moduli vocis consequuntur.

2. Consideratio vocis propria physiognomo.

Hactenus instrumenta simplicis vocis formandæ, articulandæ vero voci inseruiunt. Præterea lingua, palatum, dentes, labra, vt diximus supra: iam de diuersitate vocis physiognomico modo agendum est post Aristotelem, in physiognomicis, & tota sectione vndecima problematum, & multis locis de historia, de partibus, de generatione animalium & Galenum in Arte Medica. Examinabimus nonnulla genera per contrarias contracta differentias, vocem grauem, acutam, lenem, asperam, raucam, claram, stridulam, firmam, mollem, rigidam.

3. De voce graui.

Grauis vox oritur ex arteriæ amplitudine; amplitudo autem hæc ex calore, nascitur, vnde etiam cum quis erubescit, grauior est vox, quia nimirum in pudore calor superiora petit.

4. De acuta.

Acuta vox ex arteriæ angustia oritur, vnde fit vt paucus aër attrahatur, atque adeo velocius emittatur; & in vniuersum in omni sono acutum est, quod velox; tardum, quod graue; velox, quod paucum; graue, quod multum; mulieres acutioris semper sunt vocis quam viri, & natu minores fœminæ quam maiores; vt & puer, quam viri, cuius causa est angustia gutturis, nata ex humoris abundantia: cum Metuimus acuta vox est, scilicet superioribus partibus tunc frigemus, vnde fit vt vocis instrumentum contrahatur.

5. De vocis lenitate.

Lenitas vocis arteriæ moderatam sequitur temperaturam, asperitas vero siccitatem, asperitas fit ab inæqualitate duri corporis; arteriam vero duram facit similarium partium, ex quibus constat, siccitas. Inæqualem in iisdem humiditatis defectus; ita Galenus loco citato. Pubescentes adolescentuli, videlicet circa annum decimumquartum, vocalem reddere asperiorem incipiunt, (quod tragescere, seu hircire dici solet) cuius rationem sic Alexander lib. 1. problem. 125. reddit, eo tempore corpus ampliatur maximè, & inter cætera aspera arteria dilatatur, acciditque, vt partim plus, partim minus incrementi proueniat, eiusque pars interior inæquabili structura ad guttur vsque ascendat: igitur spiritus, cum per eas partes emanet, quasi per itineris inæqualitatem impingit, vocemque inæqualem & asperam agit; post pubem vero tragescere desinunt, quod iam in plenum arteria tota sit dilatata, suamque naturalem æqualitatem recepit, ita Alexander; notat vero Aristoteles hyberno tempore grauiores esse voces, quam æstiuo, quia tunc aër interior crassior est, ac per consequens tardius mouetur.

6. Rauca vox.

Rauca vox humoris effectus est in guttur faucesque defluentis, quod multis experimentis constat. nam post potum, raucior; ieiunis, sonora est. Vda corpora raucam vocem edunt, sicca claram: senes plus iuuenibus raucescunt; quia aduentitia humiditate abundant Gruum cæterarúmque auium, quæ raucè vociferantur, arteria facta est à natura.

tura omni ex parte aſpera, quoniam ita cõmodior eſt ad id, quod author & parens omnium, naturaque ſpectabant. Leproſi rauci quia, inſtrumenta vocalia humore habent vitiata; homini qui vigilauerit, inquit Ariſtoteles citata ſectione, vox aſperior redditur, quia corpus ob cruditatem humeſcit, maximeque loco ſuperiori, vnde caput graueſcit.

7. *Stridula vox & ſtrangulata.*

Stridula vox, eſt ex trementibus muſculis, firma, ex firmis. Sunt autem muſculi viginti, qui ad inſtrumenta vocalia concurrunt.

Strangulata vox, ex faucium tumore oritur, (fauces ſunt tota illa hiantis oris capacitas ab inferiori maxilla ad ceruicis vſque vertebras circumſepta) ſatis ex ſe patet hoc dictum rectè lib. 11. cap. 3. de pronuntiatione expreſſum à Quintiliano, vt tibiæ eodem ſpiritu accepto alium clauſis, alium apertis foraminibus; alium non ſatis purgatæ, alium quaſſæ ſonum edunt; ita voces tumentes fauces ſtrangulant, obtuſæ obſcurant.

8. *Flexibilis & rigida.*

Flexibilis vox inſtrumentorum vocalium mollitudinem, rigida contra eorũdem rigorem arguit; mollitudinem humiditas, rigorem ſiccitas parit; vocale autem inſtrumentum humidum, varie tractare & diſpenſare poteſt aërem vt volet; ac ſic tum magnam tum paruam, tum grauem, tum acutam vocem edere; rigidum vero inſtrumentum hoc non poteſt, qua de re videri poteſt Ariſtoteles, vt & do multis quæ hoc capite tractamus l. 5. de Gener. Animal. cap. 3.

9. *Qui velociter loquuntur pleriũque mobiles ingenio*

Qui velociter loquuntur, vt plurimum mobiles & inſtabiles ſunt; nimirum ſermo mentis interpres eſt & eo modo loquimur quo de rebus cogitamus & diſcurrimus; at qui leuiter res ponderant, nec mature perpendunt rerum momenta, in nulla re firmiter hærent, ſed ſubinde mutato conſilio rebus nouis mentẽ applicant. *Cuiuſcunque*, inquit Seneca Ep. 116. *orationem videris ſollicitam & politam, ſcito animum quoque non minus eſſe puſillis obligatum; magnus quiſque remiſſius loquitur, & ſecurius; quacunque dicit plus habent fiduciæ, quam curæ.*

Verum vt, tantillum à via decedam, tantillum dico, cum locutio ſit vocis per linguam explanatio, breuiter inſinuabo ſermonem verũ eſſe ſplendidiſſimumque mentis characterem, animique ſpeculum; Os Iuſti meditatur ſapientiam; lingua eius loquitur iudicium; os iuſti vena vitæ, ac recte Iob 14. *docuit iniquitas os tuum*, quæ verba ſic commentatur Gregorius lib. 12. cap. 14. *quod peruerſe loqueris, ex peruerſiore vita didiciſti.* vno verbo *ſapor mentis in ſermone guſtatur*, vt ait Paulinus Ep. 15. at Solon, *verba operum imago.*

De Blæſitate.

CAPVT IX.

TRIA ſunt potiſſima linguæ vitia in pronuntiatione verborum, quæ explicat Ariſtoteles ſect. 11. problemate trigeſimo, blæſitas, balbuties, hæſitantia.

1. *Quid Blæſitas.*

Blæſitas eſt literam exprimere nõ poſſe non quidem omnem, ſed certam quandam, vt R, S, T, & in aliam quandam labi, vt loco R ad L, aut T, Loco S. ad T; loco T ad L; & quidem vt conſideratio hæc

Physiognomica sit, attendi tantum debet quando hoc contingit ex linguæ vitio, non autem ex praua nationis consuetudine.

2. Praua nõ nullarum regionum pronuntiationes.

Parisini V. gratia S. pro R, & contra, pronuntiant. Vascones B. pro V. consonante, & contra; vt etiam omittunt P, dicunt enim Ise, pro Ipse.

Neustrij N. pro M, vt Nostrun pro Nostrum.

Britanni l l pro g l, vt llaber, pro glaber.

Britones R simplex pro duplici R R, curit pro currit.

Lotharingi contra duplex R pro simplici R, vt.

Marria pro Maria

Romani priscis temporibus S pro R, vnde Valesius, Fusius; pro Valerius, Furius; arboz, labos, pro Arbor, Labor. Maiosibus, Meliosibus, pro Maioribus Melioribus, ex Festo.

Germani, F. pro V. vt Fulnus pro Vulnus, fates pro Vates. Tc pro C. vt fatcio pro facio, Me pro M, Somenus, pro somnus, P pro B; & contra.

Hollandi Dz pro Z, vt Dzeugma pro Zeugma.

Bæoti pro σίγμα aspirationem, vt Muha, pro Musa. ac nos contra Græcam aspirationem in S. vertimus, vt apparet in sex, septem, sal, pro vocibus ἕξ ἑπ7α, ἅλς.

Prouinciales & Vascones addunt S, literæ, E, dicunt enim Estudium pro studium, Iam ad Coniecturas veniendum.

3. Prima Blæsitatis causa, linguæ breuitas, & dẽtium defectus.

Blæsus quis esse potest, si linguã breuiorem habeat quam par sit, quod rarissimum est; contingit tamen aliquando, & hac nostra ætate non nemo fuit, mihi probe notus, qui cũ in pueritia & adolescentia præ nimia linguæ breuitate vix commode loqui posset, tandem pene continua linguæ exercitatione id consecutus est, vt expeditissime loqueretur, adeo vt qui iuuenem nouerant virum admiraretur in pulpitis Ecclesiasticis tonantem & fulminantem; sed is erat, qui licet multa difficilia esse sciret, indefesso tamen hominis studio nihil pene impossibile duceret; potest etiam quis esse Blæsus quod aliqui dentes desint.

4. Ad quarum litterarum pronuntiationem linguæ longitudo & anteriores dentes requirãtur.

Videndum iam ad quas literas potissimum linguæ longitudo aut interiores dentes, aut vtraque requirãtur idque ex Martiano Capella; Requiruntur ad C, quod vtcunque extremo linguæ molaribus appulso pronuntiatur.

Ad D, quod à pulsu linguæ circa superiores dentes nascitur.

Ad I. quod pronuntiatur prope dentibus pressis.

Ad N. quod lingua dentibus appulsa colliditur.

Ad R, quod lingua crispante corraditur, si autem lingua breuior est; crispari non poterit.

Ad S, quod sibilum facit dentibus verberatis, vnde & σίγμα dicitur ἀπὸ τοῦ σίζειν, id est, stridere, vt stridet ferrum in frigidam iniectum.

Ad T, quod pulsu linguæ dentibus impulsis extruditur At vero ad sequentes literas non requiruntur; nimirum ad A quod sub hiatu oris congruo, solo spiritu profertur; ad B; quod labiis per vim spiritus reclusis pronuntiatur; Ad E, quod fit à spiritu, dum lingua pressior manet; ad F quod labrum depressius, & linguam palato leniter adhærescentem deposcit; ad G, cuius pronuntiatio est spiritus cũ palato. Ad H, quæ litera nihil habet, nisi quod, vt litera scribitur, & fit sola vehementiori

aspiratione;

aſpiratione; ad L, quod linguæ palatoque dulceſcit; ad M, quod labiis imprimitur, lingua prope quieſcente; ad O, quod rotundi oris ſpiritu comparatur; ad P, vbi labris ſpiritus erumpit: ad Q, quod appulſu palati ore reſtricto pronuntiatur: ad V, quod ore conſtricto labriſque prominulis exhibetur: de X, Y, Z, nihil dico, nam y eodem modo quo I. pronuntiatur; X, & Z, ſunt literæ duplices, ſeu æquipollentes duabus conſonatibus; ex quibus de vtraque ferendum eſt iudicium; nam X, æquipollet tum C, & S, vt patit in voce Alexander, tum G & S, vt patet in voce, Rex, quæ idem eſt ac, Regs: Z æquiualet duobus S. ſeu duobus ſibilis, vnde patrizo, & patriſſo idem ſunt; aut S, D, vnde Gaſda, pro Gaza dicitur; K, idem eſt ac C.

5. *Secunda cauſa balbutiei nimia ſiccitas.*

Secundo blæſus eſt cui lingua vehementer eſt ſiccata, ſiue quod ſermocinando nimis laborauerit, ſiue quod tibiam diutulè animauerit, ſiue quod longa ægritudine fuerit afflictatus, vireſque debilitatæ, tunc enim quia lingua firmiter ſtabiliri nequit, blæſitare continget; verum ſi quis naturâ blæſus eſt hoc ſiccitatis nimiæ ſymptoma non erit, cum nunquam ita eſſe poſſit à natura, quin linqua habitum ſeruet naturalem, ſed potius aut breuitati, aut humiditati linguæ erit adſcribendum, de quo iam agetur.

6. *Tertia cauſa humiditas.*

Tertiò humida temperies blæſitatem inducit, nam quod humidius eſt firmiter ſtabiliri nequit, certarum autem literarum pronuntiatio firmam linguæ ſtabilitionem depoſcit, & vero videmus pueros quia molliora, tenuioraque habent crura, ob firmari obnitique valide non poſſe, & ebrios aliquando turbide & obeſe loqui, quia nimia humiditate prægrauatur, & dilatatur lingua. Recte Hippocrates l. 6. Aphoriſ. 32. *Trauli ſeu blæſi ab alui profluuio maxime capiũtur:* cuius ratio eſt, quia his, ſi natura tales ſunt, alterum horum contingit, aut cerebrum habere humidum, aut linguam, vel vtrumque; è cerebro quidem talem ſortito temperaturam defluere par eſt humidas ſuperfluitates, atque inde fluentes in ventrem ſuſcipi; vnde & longis profluuiis homo capitur; lingua vero admodum humida naturaliter exiſtente, & ventriculum talem eſſe par eſt, vt qui alteram tunicam communem habeat cum lingua, imbecillemque eſſe ex humiditate; ventriculi autem propria paſſio eſt diuturnum profluuium; hæc Galenus commentario in citatum Aphoriſmum, vbi vox Hippocratis, *trauli*, male à nonnullis verſa eſt, *balbi*, blæſi autem verti debuiſſet.

7. *Quarta cauſa nimia craſſities.*

Quartò ex nimia craſſitie oritur hoc vitium, at craſſities vel ex nimis craſſis humoribus, vel nimio humoris curſu è cerebro progignitur, quod vero craſſum eſt, ægre mouetur, tractatur, flectitur, criſpatur, quod tamen neceſſarium eſt ad ſermonem.

8. *Quinta cauſa linguæ conſtrictio.*

Quintò ex linguæ conſtrictione, & ſi poſterius ligata eſt, non bene pronuntiatur R, ſi anterius, non bene effertur S, atque huiuſmodi blæſos videre eſt in libro Iudicum. Ancylogloſſum vocat Paulus Ægineta hoc vitium linguæ aſtrictioris: Baptiſta Codrõchius Medicus Imolenſis duos libros ſcripſit de vitiis vocis.

De

De Balbutie & hæsitantia

CAPVT X.

1. *Quid balbuties, & hæsitãtia.*

BALBVTIES est syllabam prætermittere vel literã; hæsitantia est, syllabã syllabæ non posse iungere propere: atque his duobus vitiis, vt & blæsitati iam dictæ, obnoxius est solus homo, quia solus inter animantes articulata vtitur voce, in qua sola hi næui labesque sermonis insidunt.

2. *Vnde hoc vitiũ balbutiei oriatur.*

Balbuties quę ex linguæ vitio oritur, tum ex breuitate, constrictione, tum ex siccitate, aut humiditate, crassitieque nimia linguæ potest nasci, quare idem de ea, quod de blæsitate hactenus diximus, sentiendum est; addendum præterea sæpe manare ex nimia melancholia, aut frigore, adeo vt lingua prægrauetur & torpescat, & ad motum ineptior reddatur, vnde qui literariæ quieti se dediderunt, nisi frequenti exercitatione linguam deonerent, ex melancholico succo, quem facile contrahunt, in proximo sunt balbutiei periculo, ætque adeo hæsitantiæ; deinde balbutit sæpe, qui ingenio est promptiori, vnde illud *Balbi ingeniosi*, & vero quod ingenij portentum in Aristotele molita est natura? eum in loquendo balbutiisse refert Timotheus Athen. l. de viris. Ratio dicti est, quia citatissimam cogitationum vicissitudinem impetumque imaginandi lingua sequi vix potest, vnde turpiter impingit, & nonnullis, quæ pronuntianda fuissent, omissis, quæ recentius proposita sunt animo, voce formare conatur.

3. *Nonnulli balbi.*

Inter balbos princeps forte censeri posset Milchaël Balbus, Imperator adeo in literis componendis impeditus, vt librum alius facilius perlegeret, quam ipse sui nominis elemẽta recenseret, vt ait Cedrenus; Ludouicus etiam Caroli Calui filius, quod impeditoris esset linguæ, Balbus est cognominatus, Metellus Pontifex apud Romanos multum laborasse fertur vt verbum (opiferæ) rite, & sine offensione exprimeret, in ædis dedicatione, nam apud Romanos in consecrando templo, ne syllabam quidem cadere oportebat, ita Plinius l. 11. c. 37.

4. *Vnde oriatur hæsitantia.*

Hæsitantia ex siccitate & humiditate nimia, ex nimio, onerosoque melancholiæ fœnore, sæpe etiam ex nimia imaginationis celeritate nascitur; & quidem recte notat Aristoteles sec. 11. prob. 36. trepidantes magisquam vinolentos lingua hæsitare, *nam hic affectus*, inquit, *similis generi stuporis est, quod lingua expedite moueri nequeat; id autem à frigore oriri potest, quod vinum tollit, trepidatio facit*: porro *qui lingua hæsitant* inquit idem prob. 35. *loqui nequeunt voce submissa, nam in ipsis quodam offensaculo vox sistitur, retineturque, quare conatus ad loquendum adhibendus est; vbi vero adhibetur, altiorem esse vocem necesse est.*

5. *De balbutie deliriũ Astrologorũ & noua causa balbutiei.*

Nolo hic addere quod deblaterant Astrologi, delirant enim, vt in aliis plerisque, balbutiem oriri ex eo, quod quis euerso, aut retrogrado nascatur Mercurio; sed vnum addam, quod verissimum est, sæpius contrahi balbutiem ex consuetudine nimis celeriter loquendi, quæ quandiu non deponitur, fit vt nimia celeritate voces syllabęque præteruolent, aut cum non satis attenta cogitatione in voces incurrimus,

subito,

ſubito, quaſi attoniti, hæremus: ſed hæc ſatis de vitiis.

De Saliua.

CAPVT XI.

1. *Quid & vnde ſaliua.*

HVMESCIT lingua multiplici humore, ac primum quidem eo, qui in ſtomacho conceptus, ex tenuiſſima quaque chyli parte in os corriuatur; deinde eo, qui ex cerebro defluit per eius oſſis meatus, quod colatorium vocant, atque hinc fit vt ſaliuoſum ſit illis os, quibus rheumate abundat cerebrum, quibuſve humet ſtomachus; vt fit cum nimia eſt potus ingurgitatio, aut copioſior victus ex humidioribus cibis comparatus; Refert Gyraldus in 3. dialogo hiſtoriæ Poëtarum ex Suida, Antimachum quendam Poëtam Melicum (non Colophonium illum) Pſecam cognominatum, quod ſputo eos, cum quibus colloqueretur, perfunderet, eſt enim Græcis leuis illa aſperſio, ψέκας. Inter Poloniæ Duces VVadiſlaus filius Mickriſlai propter crebræ ſputationis vitium, Pluuachs, id eſt, ſputator, dictus eſt. Denique os humectatur ſaliua, quæ è duobus glandulis carneis, tonſillas vocant, perpetuo ſubminiſtratur, per infundibulum ſeu peluim quæ membranula eſt, infundibuli formam referens, & à tertio ventriculo oritur.

2. *Varij vſus.*

Subminiſtratur, inquam, tum ad saporum perceptionem, tum ad locutionem, neque enim quidquam, niſi in humido, guſtatur, nec voces arida lingua pronuntiare poteſt; multum etiam confert ad concoctionem cibi, qui, dum atteritur & præmanditur dentibus, multa ſaliua affici & præparari poteſt; de quo egregie philoſophatur Hieron. Dandinus lib. 2. de anima digreſſ. 26. nimirum, ex Galeno lib. 3. de facultat. naturalibus, triticum ore præmanſum, & ſaliua permixtum maturandi vim & facultatem habet, nec vero haberet, ſi aqua, aut alio modo attritum eſſet. Notum etiam eſt ex eod. Galeno lib. de inæquali temperie, ieiuni hominis ſaliuam viperæ mortiferam, viperæ verò ſaliuam homini valde perniciosam, experientia quoque exploratum eſt, hominis vnius ſaliuam alteri obeſſe, vnde forte inter excultioris politiæ viros vſu receptum eſt, vt alter alterius ſcypho non vtatur ad bibendum; quod ſi tanta ſaliuæ facultas eſt, multo maior erit in alterando afficiendóque cibo dum commolitur dentibus, atque in ore verſatur, vt facilius in ventriculum digerendus demittatur.

3. *Signum ad internoſcẽdam ſaliuam à reliquis humoribus.*

Indicium hic reuelandum, quo ſaliua à reliquis pituitoſis humoribus internoſcatur: ſaliua ſemper ſalſa eſt, atque hinc ſaliuæ nomen, alba, ex multo aëre intercepto, omne enim humidum aëri permixtum albeſcit, vt contingit in niue, & ſpuma, quanquam nix ſpuma eſt. Porro ſaliua ore agitata multum poteſt aëris intercipere, quia craſſior eſt; at craſſior eſt, quia multum ſalſedinis continet.

4. *Quæ coniectura ex ſaliua.*

Ex ſaliua non video quas coniecturas ducere poſſimus, niſi quod quibus affatim, intra modum tamen, ſuppetit, & exquiſitioris guſtus, & expeditioris linguæ, & ad digerendum cibum aptiores cenſendi ſunt, atque adeo firmioris ſanitatis; paucissimæ ſaliuæ cerebrique: ſiccioris fuiſſe oportet Antoniam Druſi;

quæ nunquam in vita expuit ex Plinio lib. 7. cap. 19. Constantius Cæsar, nunquam quoad vixit in publico spuisse visus est ex Marcellino lib. 21. de saliua fusè scribit Hieronymus Mercurialis lib. 3. de excrementis: aliique Medici passim.

De Risu.

CAPVT XII.

1. *Quid risus, quod eius obiectum.*

VOLVPTATIS primus, & maximè proprius effectus est dilatatio cordis, sanguine & spiritu ad exteriores partes copiosè effuso, vnde & nonnullos gaudio, propter nimiam spirituum iacturam, mortuos esse legimus; affectum hunc voluptatis, risus consequitur; vt tristitiam, fletus; eius obiectum est, inquit Fracastorius lib. de sympathia, cap. 20. res noua, iucunda, repentina, leuis, ac ludicra, vt facetiæ, quæ argutias habent; & extranea quædam, subito quodam ac concinno modo facta, vt si quis politiarum studiosus, eleganti ac quasi numeroso gressu incedens, in lutum cadat, dum res noua ac repentina admirationem facit, ludicra verò ac iucunda suspensionem animi tollit, repentinâ fit dilatatio cordis, ac magna vitalium spirituum effusio, quæ confestim musculos thoracis & diaphragmatis concutiunt, & titillant; ad motum harum partium sequitur motus musculorum, qui à lateribus buccæ sunt, fitque illa oris diductio, quam risum vocamus; idque ad exprimendum animi gaudium; de his, qui plura volet, legat præclarum tractatum Elpidij Berretarij Prisciensis de risu. Licet vero de moribus authore Ecclesiastico Physiognomicas ducere coniecturas.

2. *Sanguinei cholerici ad risum procliues.*

Ad risum procliues, maximè sanguinei, & cholerici; quia calidiores sunt, & apud Græcos risus dicitur γέλως, ab ἕλη, id est, calor; Grammaticis nimirum innotuit à calore oriri risum; ratio propositionis est; quia spiritus defæcatiores habent ac fluidos, magis quam melancholici, ac phlegmatici, ac cum lienis primus ac præcipuus sit vsus iecur purgare, fæculentum, crassum, ac tetrum sanguinem ad se trahere, quamobrem reliquum sanguinem puriorem & agiliorem facit, nonnullis occasionem dedit æstimandi lienem risus esse causam:

Cor sapit, & pulmo loquitur, fel commouet iram,
Splen ridere facit, cogit amare iecur;

Ad quod facit illud Poëtæ:

Quid faciam? Sed sum petulanti splene cachinno

Accedit alia ratio, quia obiectum risus est res iucunda, ad risum igitur maximè ducuntur, qui suopte ingenio hilares sunt.

3. *Pueri, mulieres, omnes inexperti ad risum procliues: cõtra sapiẽtes, & cogitabundi.*

Pueri, mulieres, fatui, ac quilibet inexperti facile rident, quia illis omnia noua, at nouitas risum facit, Tyrinthij, cum φιλογέλωτες essent, & hoc nomine à vicinis male audirent, Delphicum oraculum consuluerunt, respondit Pythia, ita tandem eos hoc malo liberandos, si Neptuno Taurum immolarent, & eum ἀγέλαστοι in mare proiicerent; illi, re deliberata, pueros omnes ab hoc sacrificio abegerunt, ne quod esset ridendi periculum, ita Eustathius Odyssea 6. ex Athenæo; at sapientes, & viri maturi Iudicij haud facile rident, non modo quia

ratione

ratione risum continere possunt, sed etiam quia pauca illis noua & insueta, Anaxagoras Clazomenius ex Athenæo lib. 8. Phocion Atheniensis ex Plutarcho in Apophthegmatibus, Marcus Crassus Licinius, auus eius quem rapuerunt bella Parthica ex Plinio lib. 7. cap. 27.. nunquam risisse feruntur; quanquam alij; vt Marcus Tullius lib. 5. de finibus, hunc Marcum Crassum semel risisse tradunt, dum vidisset Asinum carduos edentem, tuncque erupit in hæc verba. *Similes habent labra lactucas*. Ex his omnibus patet, quam vere dicatur frequentem risum stultitiæ leuitatisque signum esse, & vulgare adagium est. Risus abundat in ore stultorum. Michaël Scotus homines ad risum procliues ait esse simplices, varios, instabiles; cito credentes, non secretos, & crassæ Mineruæ. Cogitabundi præterea, laboriosi, pauci sunt risus, nam in rem aliquam intenta cogitatio risus frequentiam impedit, animum alio auocando. Plato etiam iuuenis, quia maximè studiosus, nunquam, nisi modice, risisse visus fuit vt refert Laërtius lib. 3.

4. *Altus risus inuerecundi, leuisque hominis signũ est.*

Altus risus & cachinnus est hominis inuerecundi valde leuis, contra, modicus sapientis, ita Rhasis A Porta, Cocles, Conciliator, adeo inhoneste ridebat Heliogabalus, vt solus in Theatro audiretur, vt refert Lampridius. Claudius Cæsar ex Suetonio ad cachinnos maxime procliuis; sanè vt habet Ecclesiasticus 21. *Fatuus in risu exaltat vocem suam, sapiens autem vix tacite ridebit*, cuius loco Clemens Alexandrinus Pædagogi lib. 2. cap. 5. de risu, legit *vir autem astutus vix tacitè ridebit*, at per astutum, sapientem, & prudentem intelligendum ait. Seneca his præceptis ad sapientiam muniuit viam, *Sales tui sint sine dente, ioci siue vilitate, risus sine cachinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu, quies sine desidia, & cum ab aliis luditur, tu sancti aliquid, honestique tractabis; interdum requiem animo tuo dato, at requies illa, plena sit sapientiæ, studij & cogitationis bonæ. Si ridere concessum sit*, inquit Tullius Tusculan. lib. 4. *vituperetur tamen cachinnatio*: Clemens vero Alexandrinus loco iam citato de hac tota re egregie disputat, *Risus*, inquit, *si quo modo oportet, proferatur, præsefert decorem & honestatem: sin aliter prodeat, indicat intemperantiam; nam, vt semel dicam, quæcunque sunt naturalia hominibus, ea ab illis minime tollenda sunt, sed eis potius modus, & conueniens tempus adhibendum, non enim, quia homo est animal vi ridendi præditum, ideo perpetuò ridendum est, quandoquidem nec equus, cuius propriùs hinnitus est, semper hinnit*: vltimum producam Basilium ad q. 17. fusius disputatam: *Sed quod à multis*, inquit, *contemnitur, non modica custodia, his, qui exercitantur*, (ceu ad pietatem instituuntur, *) dignum est: Nam intemperanti ac immodico risu teneri intemperantiæ signum est, & non sedatorum motuum, & quod animæ laxitas, non exacte ratione comprimatur; etenim vsque ad hilarem risum animæ lætitiam detegere non indecorum est, vt indicetur solum id quod scriptum est, cor gaudens exhilarat faciem: verum cachinnari voce, & ebullire corpore, non est eius qui animam sedatam habet, neque probati, neque eius qui sui potens est; confirmat autem hunc sermonem sapientissimus Salomon, dum ait stultus in risu exaltat vocem suam, vir*

autem sapiens vix tacite ridebit. Hanc risus speciem etiam Ecclesiastes reprobans, velut animæ stabilitatem maximè euertentem, ait risum dixi errorem, & Prouerbiorum scriptor, sicut sonitus spinarum sub olla, sic risus stultorum; scilicet vterque vehemens est, & eminus auditur, & ad nihilum valet nisi ad onerandas aures, & Dominus necessarios affectus carnis sustinuisse videtur, & quicunque virtutis testimonium habent, velut laborem, & lassitudinem, & ob afflictos misericordiam, risum vero nunquam admisisse quantum ex Euangeliorum historia constat.

De motu & quiete.

CAPVT XIII.

1. Quid motus nomine intelligatur.

INTER non naturalia, quæ corpus immutant, iam recensuimus motum & quietem. Motus nomine omnia exercitiorum genera comprehenduntur, inter quæ, alia sunt tantum exercitia, vt cursus, lucta, palæstra, pilæ exercitatio, digladiatio, pancratium; ad quæ reuocanda sunt equitatio, gestatio, frictio, quæ extrinsecus corpori adueniunt: alia sunt & exercitia & opera, quia opus post se aliquod relinquunt, vt est venatio, piscatio, agricultura, omnesque artificum operationes. Bertinus lib. 8. cap. 21. alio modo motus & exercitationes diuidit; motus, inquit, alius est celer, in quo inest mouendi celeritas, cui contrarius est tardus; alius vehemens, in quo celeritas & violentia simul adsunt, cui contrarius est lenis; alius est valens, qui citra celeritatem robuste fit, cui contrarius est imbecillus; ad celerem motum reuocatur pilæ exercitatio, digladiatio, saltatio; ad vehementem teli iaculatio, disci missio; ad valentem nonnullæ bracchiorum, aut totius corporis adhibita contentione motiones; ad imbecillum vectiones multæ.

2. Motus, nisi ad crebrũ cogat anhelitum, nõ est exercitium.

Porro, motus, qui non cogit ad crebrum anhelitum, nullo modo censendus est exercitium, ne mediocre quidem idque ex doctrina Galeni & Auicennæ, & reliquorum omnium Medicorum; atque illi duo Medicinæ principes exercitium definierunt, motum laboriosum qui respirationem mutet, deridentque eos, qui tenues deambulationes exercitia vocant: legi potest Galenus lib. 2. de sanitate tuenda vbi hoc sæpius repetit. Atque vt de motu seu exercitatione primum agamus, tum de quiete, habitudinem corporis, ex motu & exercitationis facile poterit Physiognomus augurari, vt palam sequentibus Canonibus facturi sumus.

3. Ad sanitatẽ diuturnãque vitam valet motus, probatur authoritate.

Primus est, ad valetudinem, commodamque corporis habitudinem diuturnamque vitam multum valet exercitatio, quod authoritate, experientia & ratione conficiendum est. Authoritas multiplex est, Hippocrates 6. Epidemiorum sect. 4. duos ait esse longe præstantissimos sanitatis tuendæ modos, ad labores impigrum, ad cibos insaturum esse; Galenus, qui ante cibum exercitio vtatur, & inter vescendum à cibis prauis abstineat, ei vegetam, florentem, perpetuamque sanitatem spondet; confertque hos duos tuendæ sanitatis cardines, abstinentiam & exercitium, atque exercitium abstinentiæ longe anteponit, licet enim quis parcimoniam

cimoniam colat, vix tamen integram valetudinem tueri poterit, nisi exercitationem adhibeat; contra vero si hanc adhibeat, etiamsi paulo liberalius cibis vtatur, facile sanitatem tuebitur. Auicenna summus inter Arabes, *Si quis*, inquit, *labori parcit, nunquam integra sanitate fruetur.* Aristoteles sect. 1. probl. 47. quærit cur cibum imminuere, laborem augere salubre est, respondet *Quia causam ægrotandi ciborum habet nimietas, quæ tunc certe exultat, cum aut cibus superest, aut labor deest.* Idem Aristoteles 2. Eudemiorũ c. 6. ait *in laborando excedere quam deficere, edendo vero deficere, quam excedere, salubrius esse.*

4. *Probatur experientia.*

Ad hæc experientia compertum est, animum quidem sedendo sapientiorem, corpus vero laborando fieri sanum, vegetumque: & vero rusticani homines, etiamsi pessimo victu vtantur, sani tamen & incolumes in longissimum tempus vitam prorogant; opulentiores, etiamsi delicatioribus cibis vtantur, quia otiosi sunt, morbis afflictantur plurimis; Aues in auiariis, pisces in viuariis insalubres & gustui sunt insuaues. Ioannes Aragonum Rex 18. vsque ad octogesimum annum prospera semper vsus valetudine, propter munditiam, cuius studiosissimus semper fuit; abstinentiam cibi & potus, laborisque vsum assiduum, vt refert Marinæus lib. 12. nimirum illi vt de bonis viris apud Poëtam dicitur, labores obsonij loco erant.

5. *Ratione probatur.*

Ratio autem huiusce Canonis, est, quam attulit Rodericus à Veiga; corporis alendi tuendique in sanitate vis omnis in alimenti posita est appetentia, coctione, distributione, purgatione, (siquidem alimenti excrementa per moram in calido humido loco putrient,) quæ omnia exercitium appositissime pręstat, appetẽtiam augens resolutione; coctionem, calore; distributionem motu ipso; expurgans, dilatatione, & meatuum seratione; per motum spiritus agitantur, & eorum impetu cutis spiracula magis dehiscunt & excrementa expelluntur; quare in vniuersum tenendum est, motum tria commoda afferre, calorem auget, membra indurat, humiditatem soluendo, spiritus agitat, qui, quod diximus efficiunt; Galenus librum de exercitio paruæ pilæ scripsit, vbi ipsum omnibus corporis exercitationibus longe præfert, propterea quod omnes corporis partes ęqualiter mouentur; porro quæ hactenus dicta sunt, de modica & tempestiua exercitatione intelligenda sunt, nam immodica & intempestiua calorem natiuum dissipat, facultates & functiones infringit, concoctionem impedit; ea autem exercitatio modica est, quæ, eo vsque suscipitur, cum corpus lassari & grauate moueri incipit, ita Galenus. aut, si vis plenius ex Auicenna, cum sudor effluit copiosus; qua in re notandum est initio exercitij sæpe madorem quendam leuiusculum contingere qui oritur à sero vasorum ad cutem euocato, at nondum est mediocritas exercitij, sed tantum cum postea sudor copiosior manat; tempestiua autem est ea exercitatio, quæ toto mane vsque ad prandium suscipitur cum scilicet alimentum in cœna sumptum iam concoctum ab hepate membris distribuitur, tunc enim distributio iuuatur, & acceleratur, vt M. Aurelium Imperatorem fecisse legimus, qui semper mane ante prandium sese exercebat; post sum-

ptum vero cibum, si largius sumatur exercitatio, alimentum nondum concoctum rapitur ad membra, futurum magnorum morborum seminarium. Fateor Auicennam & Haly commendare deambulationes à cœna, quas etiam Hippocrates l. de diæta valde commendat, sed sunt potius leues motus, quibus scilicet motibus cibus recenter ingestus ad fundum ventriculi detrudatur, quo melius de nocte concoquatur, quàm exercitia, quæ sane noxia essent, quia ad partes exteriores spiritus caloremque euocarent, quo concoctio retardaretur, imo & cibus, citius quam par esset, è stomacho per pylorum cederet.

6. *Pituitosi indigent magno exercitio.*

Secundò pituitosi indigent exercitio, quod mediocritatem superet, abundant enim excrementis quibus purgandis, calor per motum excitatus, necessarius est; biliosis vero exercitium aliquando salubre est, aliquando insalubre est; insalubre quidem, immo otio opus omnino est, si calor immodicus est, ne fuligines acres magis incendantur; salubre vero est, sed & parcum & tardum esse oportet, si calor moderatus est; nonnullis autem, vt ætate aut morbo fractis, famescentibus, inanitione laborantibus, omnino prohibendum est.

7. *Quies labore parcior esse debet.*

Tertiò quies labore multo parcior esse debet; & vero Deus sex quidem dies labori, septimum vero tantum quieti destinauit; tempestiua quies & moderata, ciborum concoctionem iuuat, corporis lassitudini leuandæ confert, curisque animi mitigandis; immodica corpus debilitat, ignauumque reddit, natiuum calorem cõsopit, senectutem accelerat, excrementorum prouentum accumulat, accochymiam & obstructionem ingerit, ac propterea animi torporem inuehit, & illius aciem retundit.

8. *Qualitas cutis mensurã exercitij docet.*

Cæterum hic maxime obseruandum est, quo cutis rarior, eo minori exercitio opus esse ad sanitatem tuendam, quia citius exhalant purganturque excrementa; qui crassiorem, multo majori; atque hæc cutis habitudo multis morbis obnoxia est: quare Galenus l. 1. de sanitate tuenda, morem illum Scytharum recens natos infantes in frigidam immergendi, vt cutis solidior euaderet, penitus damnat; propterea quod ad vitæ cõseruationem necessarium sit cutem non penitus indurari, ne meatus ad excrementorum euaporationem à natura destinati penitus occludantur, consulitque modicam salis aspersionem ad infantilis cutis mediocrem indurationem.

9. *Varia ex Hippocrate.*

Claudet hunc Articulum Hippocrates, ex cuius libro de Salubri diæta pauca delibo. Ambulandum est hyeme velociter, æstate autem leniter. Exercitiis qui vtuntur hyeme, currere ac luctari debent; æstate vero, luctari quidem parum, currere autem minimè, sed multum deambulare ad ventum & frigus; carnosos ambulare citius oportet, graciles vero tardius; pingues, & qui graciles fieri volunt, omnes labores ieiuni facere debent, ac cibos assumere adhuc anhelantes ex fatigatione.

De

De somno.

CAPVT XIV.

1. Quid somnus.

SOMNVS Græce ὕπνος dicitur ἀπὸ τοῦ ὑπονωσεῖν φρένας, quod animi secessum explicare licet: opponitur autem vigiliæ, vt habitui priuatio: vigilia est sensuum externorum functio, somnus eorumdem omnium sensuum externorum ligatio, ad animantium quietem & salutem instituta; dictum est, omnium sensuum externorum, quia si vel vnus sensus libere suo munere defungatur, iam somnus non est; ac propterea à Tertulliano lib. de anima vocatur *mortis speculum*; à Virgilio 6. Æneidos, *lethi consanguineus*; à Seneca in Hercule furente, *frater diræ mortis*. Ibraimum ad summos honores euectum, & præcipuum Turcici Imperij Ministrum, dormientem necari iussit Solymanus Turcarum Imperator; nec fidem quam dederat nunquam se ei viuo mortem illaturum fregisse credidit, cum à Mulismane, seu Sacerdote Turcici Iuris Interprete didicisset, qui dormiunt inter viuos non esse numerandos: Notandum autem est quod dixi, liberè, nam fieri potest vt imperfectè aliquis etiam sensus in somno operetur, vt nonnullis contingit audire, & ad dicta respondere; additum est, ad animantium quietem & salutem, vt excluderemus torpores quosdam, qui vi morborum contingunt, vt Apoplexiæ, Epilepsiæ, Cataphoræ, & similium quæ perniciem non salutem moliuntur: somno autem spirituum animalium dispendia resarciuntur, spiritus vitales perfectius elaborantur, melior fit concoctio; *somnus est recreator corporum*, inquit Tertullianus, *redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, Medicus laborum* Prudentius hymno 6. vocat *Medicinalem voluptatem*, Synesius l. de insomniis *Medicum*; in somno cerebrum quiescit, in vigiliis exercetur, inquit Galenus l. de symptom. causis c. vlt.

2. Quomodo ligantur sensus externi.

At quomodo ligantur sensus externi? scilicet ex eo quod spiritibus, sine quibus nullum fit naturę opus, inhibetur via ne commeent ad sensus; inhibetur autem via cum sensus communis, seu primum sensorium ligatur, atque impeditur, ne per ipsum spiritus animales sensitiuarum actionum administri in sensus externos illabantur: porro occupantur, sensus communis ostia & meatus cum vapores è ventriculo in caput ascendunt, & eius loci frigore refrigerati, descendunt in venas & neruos, per quos spiritus ad sensuum domicilia effunduntur, eodem modo quo vapores à sole in altum sublati frigore aëris concrescunt, & in pluuiam concreti descendunt; vapores igitur ibi refrigerati, & ad venas neruosque delati repellunt calorem, & spiritus eo à corde missos, qui statim ad partes internas suumque fontem sese recipiunt, hæc somni causa & origo, ac cum primum quis se quieti dat, mox refrigeratur cerebrum, otium namque frigiditas comitatur, tum infrigidantur & addensantur vapores, & cætera, quæ iam diximus, consequuntur. Initio somni superiora frigidiora; inferiora, calidiora; spiritu scilicet ad inferiora sese recipiente: potest etiam

etiam fieri vt ſine vaporibus ex cibo potentia retentrix ad naturæ debilitatæ reſtaurationem ſpiritus ſuſpendat, ne ad ſenſus effluant, quod ita intelligendum eſt vt non omnes inhibeantur; nam ſemper aliqui quaſi furtim eò delabuntur, quod patet ex eo quod vehemens ſenſibile excitet dormientem, ſenſuque percipiatur, quod fieri non poſſet niſi aliqui ſpiritus ibi eſſent; ac ſpiritus iſti voluptatem illam efficiunt quam percipit qui dormire incipit, tunc enim ſubſilientes, quaſi per anguſtas vias, in ſenſus irrepunt.

3. *Qui ſint ſomniculoſi.*

Porrò ſomniculoſi ſunt primo qui temperaturæ ſunt calidæ & humidæ; nam humor vaporem ſuppeditat, calor excitat; hinc pueris, quia calidi & humidi, ſomni abundantia valde ſecundum naturam eſt, inquit Galenus lib. 3. Aphoriſm. Comm. 3. Præterea pituitoſi, quia vaporibus abundant, ac maximè ſi adſit pituita dulcis, quæ dulcedo contrahitur ex admixtione ſanguinis, leniter enim adblanditur naturæ; ac rectè Medici ex affluentia pituitæ dulcis ſomnum abundantiorem, ex acetoſis famem, ex ſalſis ſitim, ex crudis ſitis interpellationem oriri aiunt. Tertiò, quibus tenues anguſtæque venę ac nerui, quia meatus anguſti facile clauduntur, ac per eos humor è cerebro manans non niſi ægre poteſt effluere, ideóque in ipſis diu inſiſtit, non ſecus ac per anguſtiores fiſtulas aqua guttatim ac lentè decurrit. His adde pumiliones & quicunque magna habent capita aut ſuperiora inferioribus multo maiora, carnem mollem, oculum humidum, ad clauſuram decliuem, quia in omnibus id genus hominibus multum exhalationis ad caput aſcendit, quæ ſomni cauſa eſt, vnde veteres Romani, cum temperatiſſime viuerent, ad ſomnum conciliandum lactucis, quæ vaporoſæ ſunt, ad finem cœnæ vtebantur, cum contra iam à longo tempore ad excitandam appetentiam initio cœnæ eſitari ſoleant vnde Martialis lib. 13.

Claudere quæ menſas lactuca ſolebat auorum,
Dic mihi cur noſtras inchoet illa dapes.

Tacitus Imperator lactucas frequenter edebat, identidem prædicans ſe ſomnum lactucarum eſu mercari, vt refert Sabellicus lib. 7. Enneade 7. porro quod Epimenidem Cretenſem adeo ſomniculoſum nobis referunt antiqui, vt 77. annos, quod ait Pauſanias, vel 47. vt affirmat Eudæmus, dormiendo tranſegerit, inter fabulas recenſendum, aut meras dæmonis præſtigias; ſed ille ſomnus 7. Dormientium adeo in Eccleſia celebrium, ſicut & aliorum quinque apud Paulum Diaconum Deo ſoli tribuendus eſt.

4. *Quomodo affecti qui plurimum dormiunt.*

Qui plurimum dormiunt, primo humorum magnum fœnus contrahunt; nam calor vapores ad cerebrum delatos non abſumit, vnde incraſſantur, ac deinde in totum corpus diſſipantur, calor in ſomno ad interiora ſe contrahit, ſuperfluitates multas gignit, & vero experimur, ſi fortè ſiticuloſi nos quieti tradamus, cum euigilamus, ſedatam ſitim, hinc tritum illud, qui dormit, bibit.

Hic ſatur irriguo mauult turgeſcere ſomno.

Præterea expuimus plurimum & excreamus mane dum à ſomno ſurgimus, quod ſignum eſt contractarum per ſomnum humiditatum; ſecundo grauiorem vocem habent, nam pulmonibus humefactis

factis humescit aër, humectus crassior fit, crassior difficilius extruditur, & in hoc grauitas vocis posita est. Tertio in vigilia spirituum laborant inopia, nam propter vaporem crassum diutius in meatibus contentum, plus equo laxantur spirituum viæ, vnde postea in vigilia celerius quam par sit elabuntur. Quarto hebetioribus sunt sensibus, ac maxime oculis, tum propter nimium humoris affluxum, tum propter nimias ferias ac desuetudinem sentiendi atque adeo propter nimiã spiritus, quo fouebantur, absentiam eo namque absente siccantur, rigent, contrahuntur, corrugantur, & postea ægre ad operandum redeunt. Itaque si nimio somno indulgemus vix lucem postea contueri possumus velut si ex tenebricoso loco vbi diutius morati essemus, foras prodiremus. Tradunt naturalis historiæ authores leporẽ minus acuta oculorum acie, tum quia oculi exporrecti, tum quia præcisæ palpebræ pupillis munimenta non præbent, vnde hebetem atque diffusum esse visum necesse est, maxime vero, quia somno deditissimum est animal. Quinto color naturalis minuitur, de quo præclare Basilius hom. 10. Hexaëmeron. *Vigilanti color est alius, alius dormienti, in illo quidem flos coloris enitescit, seque exerit rubicundior*, (nimirum calore ad externas prodeunte partes) *in hoc contra extimarum partium caliditas refrixit, vt quæ se proripuit in intimos recessus corporis*. atque hinc fit vt dormientium corpora pallore liuescant. recte Galenus Cõmento primo lib. 2. Aphoris. *vigilans calidior est extrinsece, dormiens intrinsece*. Sexto minuuntur vires, nam ad interiora secedit calor, & in ventriculo optime coquit, at cum exteriora deserat debilitantur nerui musculi & reliqua omnia exteriora; vt somnus visceribus conducit, ita exercitatio articulis & carnibus.

5. *Somniculosi qui nõ sint.*

Somniculosi non sunt præferuidi & melancholici temperamenti homines; illi, quia deficiunt frigiditate, quæ somnum aut antecedit aut comitatur; isti, quia propter prægelidam naturam non habent satis multam euaporationem somni conciliatricem; senes, vt sunt icciores, minime somniculosæ naturæ sunt quia paucissimos fumos educunt; Hippocrates lib. 1. Aphoris. vltimo senibus inter alia vigilias adscribit, quia, vt ait Galenus eo loco, senectus plena curarum est, & præterea quia corpus habet exsiccatum, *vnde tunc magis vigilare contingit, quando senes integra sanitate fruuntur*; *In senectute corporis partes fiunt sicciores, sed multitudo superfluitatum pituitosarum aceruatur, ob quam causam notatur senectus frigida & humida*; *in quo autem tempore hæ in cerebro abundantius congregantur, fiunt senes magis somnolenti, in quo vero bene excernuntur peruigilant*; Contingit autẽ & pauciores superfluitates generari & citius multo excerni eo tempore quo salubriter degunt, vnde & maxime propria passio senilis ætatis videtur esse vigilia. hæc Galenus: addendum tamen quia somnus humectat, senibus & biliosis opportuniorem esse quam pituitosis, nam illi sicci, isti humidi.

6. *Sõnus diurnus quando noxius; & quãdo nõ noxius.*

Somnus diurnus temperiem vitiat mirum in modum, cuius ratio paulo altius repetenda: humores modo à superficie ad centrum, modo à centro ad superficiem mouentur & eru-

ptionem faciunt ad obeundas functiones naturales, vitales, animales, in somno spiritus & humores intro circa viscera ad concoctionem alimentorum & ad spiritus reparandos sese colligunt in vigilia à partibus internis ad externas vicissim confugiũt functionibusque obeundis, alimentorum distributioni & excrementorum depulsioni non parum opitulantur, inde accidit vt motus diurnus ob contrarium humorum motum maioremque eorum partem in cute sparsam & relictam crudos humores procreet, & frequentes distillationes concitet; Contra vigiliæ quę in nocte contingunt functiones animales infringunt, facultatem animalem labefactant, spiritus exhauriunt, cruditates pariunt, & calorem naturalem depopulantur. Cæterum singuli humores singulis diei partibus ob temperiem & consentientem naturam impelluntur, sãguis mane, bilis flaua meridie, humor melancholicus vespertino tempore, pituita noctu, quod minimo negotio obseruare licet in morbis, qui ob quandam naturæ similitudinem tunc temporis motu exagitantur, quo etiam humor mouetur, vt Tertiana intermittẽs magis exardescit magisque inuadit mane & meridie, quotidiana vt plurimum noctu inualescit, quia vnunquodque à suo simili expeditius & facilius impellitur. Ita philosophatur Bertinus lib. 3. cap. 11. de motu humorum, atque omnes alij communiter; Verum vt ad propositionem redeam, licet interdiu vigilandum sit, & noctu dormiendum, & si contra commutatur, pessimum sit, tamen vbi inquieta & insomnis nox præcessit, aut vires multũ debilitatæ senio, aut labore, aut morbo, noxiũ non est sõno diurno tantisper indulgere. Laudatur Celsi dictum *Meridiari longis diebus ante cibum, sin minus post cibum conuenit.*

7. *Qui inter dormiendum vigilantium opera faciunt, valida sunt imaginationis.*

Qui inter dormiendum mouentur, gradiuntur, arma capiunt, tecta conscendunt, atque alia agunt similia, validæ sunt tenacisque imaginationis, ratio est, quia in musculis est vis ad mouendum, vt in sensoriis ad sensum, & vt obiecta sensus ad sensationem stimulant, ita imaginatio musculos ad motum; Iterũ, vt insignia obiecta sensũ facilè mouẽt, contra ad mediocria obiecta torpet sensus, ita vis motoria musculorum à valida imaginatione facile excitatur, torpet vero si debilis imaginatio. Galenũ summũ illum Medicum validę fuisse imaginationis facile est opinari, vtpote qui semel stadiũ dormiẽdo confecerit eâ nocte quæ pręcessit diẽ quo magnum iter erat aggressurus, vt narrat ipse lib. de motu musculorum c. 2. & cõmode hoc cecidit tanto viro, fabulas enim sibi narrari aiebat, cum quid ipsi simile de aliis narrabatur. Marianus Iurisperitus in caput ad audientiam testatur se habuisse puellam viginti annorum, quæ dormiens surgebat, panemque conficiebat æque bene ac si vigilasset. Pisanus quidam vt refert Bartolus in l. vt vim ff. de Institia & Iure, inter dormiẽdum noctu se armabat, atque per vrbem cantando vagabatur.

8. *In somno facultas motiua perfecte agit, non autem sensitiua.*

Hic soluẽdæ quæstiones duæ. Vna est cur in somno actus quidẽ partis motricis perfecte exerceatur, sẽsatio non item. Respondeo viam, quâ spiritus motorij, è cerebro fluunt, laxiorem esse eâ, qua sensorij spiritus emanant, quo fit vt non similiter facultas mototia & sensoria in somno impediatur, maxime cum accedit

accedit valida & fortis imaginatio, quæ in huiuſmodi hominibus, qui dormientes obambulant, reperitur; adde quod inter dormiendum in omnibus validior eſt & potentior imaginatio, quam in vigilantibus; argumento eſt quod qui ex vermibus laborat, inter vigilandum licet ſentiat eorum morſus, non maſticabit tamen, maſticant vero pueri inter dormiendum dum lumbricos patiuntur; deinde tunc ratio imaginationi non obſiſtit, quare fortior redditur, imaginationique brutorum accedit.

9. *Qui ſomniat ſomnij recordatur non autē eius quod fecit.*

Altera eſt cur, quando dormientes hæc vigilantium opera faciunt, ſomnij quidem, quo permoti ſunt, recordantur, non autem quod ſurrexerint, ambularint, arma tractarint. Reſpondeo cum ſomnium in imaginatione ſit, relinquit ſui memoriam, exterior autem motus, niſi exterioribus ſenſibus percipiatur, memoriam ſui facere non poteſt, ſunt vero hi ſenſus ligati.

De Somniis.

CAPVT XV.

1. *Quid ſomnium.*

SOMNIVM eſt apparitio exhibita per internum ſenſum iis qui ſomno consopiti ſunt; vt ad quem ſenſum pertineat, ſi tamen plures ſunt, & quomodo in ſomno imagines rerum ſeſe exerant, non eſt hic diſputandi locus, paucis dico, exerere ſe ex commotione ſpirituum, qui vehicula ſunt ſpecierum.

2. *Varia ſōniorū genera.*

Tria ſunt ſomniorum genera, diuina, dæmoniaca, humana, diuina ſunt quæ à Deo immittuntur, ſiue id fiat immediatè à Deo, ſiue Angelorum miniſterio & interuentu; vt contigit Iacob, Ioſeph, Patriarchis Pharaoni, Nabuchodonoſor & ſimilibus. Dæmoniaca à Dæmonibus immittuntur, vt illud quod Claudiæ Proculæ (ita vocat Claudius Dexter in Chronico) Pontij Pilati vxori tempore paſſionis Chriſti contigit vt cenſent Bernardus, Cyprianus, atque alij multi.

3. *Sōnia animalia.*

Humana alia ſunt animalia alia naturalia, animalia contingunt quādo imagines rerum, quas per vigiliam percepimus, aut erga quas valde affecti ſumus in ſomno occurrunt vt enim ait Claudianus.

Omnia quæ ſenſu voluuntur vota diurno.
Tempore nocturno reddit amica quies.

Philoſophus inter dormiendum libros, miles pugnas, auarus pecunias cogitat; *Multas curas*, inquit Eccleſiaſtes cap. 5. *ſequuntur ſomnia*, ac rectè Ariſtoteles 1. Ethicor. c. 13. & 2. Eudæmiorum cap. 1. *Somnus eſt otium animæ, tam bonæ quam malæ, quare boni prauos media parte vitæ nihil antecellunt.* hoc tamen diſcrimen eſt inter vtrorumque ſomnia, quod bonorum multo meliora ſunt quam prauorum; vt meliores ſunt eorum diurnæ cogitationes. D. Gregorius Nyſſenus lib. de hominis opificio huiuſcemodi ſomnia comparat cytharæ, cuius fides etiam ceſſante manus impulſu adhuc trepidant, tinniuntque.

4. *Alia naturalia.*

Naturalia, ſunt ea quæ corporis temperaturam, conſtitutionem, humorumque naturā oſtendunt; quippe qualis eſt corporis habitus, ſeu quales humores; talia ſpectra & ſomnia familiari quodam ſymbolo & conſenſu exhibent. hinc Hippo-

crates l. de insomniis, & 6.Epidemiorum docet Medico valde attendenda ægrotantium somnia, quo morbi humorisque abundantis naturam coniectet; & Galenus de hoc ipso argumento librum scripsit, cui titulus est de præsagio ex insomniis sumendo, vbi narrat, cum quidam inter dormiendum crus sibi alterum lapideum esse somniasset, paulo post crus ei paralysi obtorpuisse.

5. Cõiectura ex somniis.

Ergo Melancholiæ abundantiam sequuntur somnia mortis, tenebrarum, caliginis, rerum tristium, terræ, cui Melancholia respondet; pituitæ abundantiam somnia aquarum, portuum, natationis, pluuiæ niuis, aquæ, denique cui pituita cõgruit; sanguinis copiam rerum rubrarum, hæmorragiæ & nonnullarum rerum quæ ad aërem spectant: bilis exuperantiam sequuntur noxia rixarum, iugiorum, incendiorum, ignis denique, cui bilis naturæ symbolo accommodatur. Qui vitiosis humoribus scatent & prægrauantur, somniant se in locis sordidis & fœtentibus versari, onera gestare; contra qui humoribus non præpediuntur, ocyssime currere, volare sibi videntur; qui somniorum non recordantur, sæpe crassis humoribus sordescunt, qui impedimento sunt ne somniorum vestigia menti imprimantur, imo sæpe vt qui huiusmodi sunt, nihil omnino somnient, quod propter sordidorum humorum copiam communis sensus omnino consopiatur; sic etiam statim sero sub vesperam, maxime à cibo, quia copiosis vaporibus obsidetur cerebrum, minime somniamus, sicut nec in infantili ætate cum nuperrime in lucem editi sumus.

6. Quomodo fiant hæc somnia.

At quomodo tales corporis effectus vel sui, vel cognatarum rerum insomnia excitant? Respondeo humor abundans in corpore, v. c. Melancholia apprehensa aliquo sensu externo vt tactu, vel gustatu, qui in somno potest, licet impefecte, operari, immittit sui speciem in sensum communem; quanquam sine vlla speciei immissione potest sensus communis determinari per solam actionem sensus externi, ita sentiunt Ochamus, Durandus & alij quemadmodum ex omnium sententia volũtas ex sola intellectus actione determinatur ad volendum: hinc autem fit, vt ex specie humoris melancholiæ, quæ tota terrea est, apprehensio cadauerum, mortis, tenebrarum, vno verbo rerum consimilium seu tristium consequatur; idem de cæteris humoribus dicendũ. Videri potest de vniuersa somniorum ratione Cæsar Marlius libro integro sermone Italo conscripto cui titulus est lumen Nocturnum, vel practica.

Variæ figuræ & Characteres qui varias animi dispositiones & inclinationes comitari solent.

CAPVT XVI.

1. Quid obseruandũ in sequẽtibus figuris.

CORONIDIS loco ex variis huius operulę partibus nõnulla in vnum signa colligemus, exemplo Aristotelis, quibus varios affectus liceat augurari: Atque ex his, quæ paucissima referemus: de reliquis erit ducenda coniectura. Iam quidem l. primo cap. vndecimo variorum temperamentorum indicia recensuimus nunc nonnullorum affectuum, seu

potius

potius inclinationum dispositionumque naturalium, modo, quo initio explicatum est, persequemur; rationes vero è suis quæque locis erunt petendæ. Est autem hic maximopere obseruandum, vt, quæ pro quoque affectu & inclinatione asserentur, sufficiant ad perfectam characteris indicationem, omnia concurrere debere, quare, vt præcipitem hominem credamus non satis erit frons parua & rotunda, nisi cætera omnia aut saltem præcipua conspirent; & quoniam, vt diximus l. 3. c. 3. multa quæ nobis naturalia sunt, vsu, studio, disciplina, consuetudine mutari possunt & emendari, licet omnia signa concurrant, non potest physiognomus vt sæpius monuimus, nisi de sola inclinatione & dispositione in similibus rebus cõiectare; vt olim illi philosopho Socratem ad libidinem propensum, non tamen libidini & incontinentiæ deditum coniicere licuit.

Præcipitis viri figura.

Caput paruum, fastigiatum in mucronem desinens, frons parua, rotunda; supercilia coniuncta; velox incessus; sublimis inter incedendum vultus, lingua velox, color carnis rutilus, corpus paruum, siccæ carnes.

Hebetis viri figura.

Carnosum collum, carnosa brachia, sicut & facies, lumbi, costæ, pectus, mamillæ, occiput cauum, aut rotundum, nec extans vllo modo; frons magna, carnosa; oculus pallidus, caprini aut aquili caloris, aspectus hebes; articuli pusilli, colligati complexique, nares obstructæ; aures magnæ, paruæ, arrectæ; risus multus; manus breues, latæ oculorum pupillæ; caput nimiæ magnitudinis; nasi imum crassum, spatium ab vmbilico ad Metaphrenum longius quam quod à Metaphreno ad clauem colli; labia crassa; genua rotunda præ nimia carne; digiti manuum & pedum breues.

Ingeniosi viri figura.

Caro mollis; cutis subtilis; statura mediocris; oculi cærulei, fului; color candidus; capilli plani, molliores; longæ manus; digiti longi; mitis aspectus; supercilia coniuncta; modicus risus, frons exporrecta; tempora modice concaua; caput in figuram mallei conformatum, & hoc vltimum præstantissimum signum est.

Robusti viri figura.

Robur ad corpus refertur, vt fortitudo ad animum; hic tantum robusti viri figura describenda est, pili duri, ossa & costæ magnæ; extrema corporis magna, dura, robusta; collum breue, carnosum; ceruix erecta, dura; pars capitis posterior, vnde incipit spinalis medulla, alta, eleuata, magna, tumens, cute dura & crassa prædita; frons dura, breuior, acuta & crassis capillis cooperta: ita Aristoteles; Addunt recentiores apud Camillum Baldum, frontem neque læuem neque asperam, sed potius ad asperitatem inclinantem; pedes pedumque & manuum articulos robustos, magnos, sed crassos potius quam longos; crura multa carne & dura vestita, musculosa: carnosum mediocriter pectus & corpus, non tamen pingue; vox durior & inæqualis, & clangorem referens; motus æqualis, non celer neque tardus.

Fortis viri figura.

Facies virilis, & ad Leonem accedens; mentum acutum; os maguum; vox canora, magna, gra-

uis & lenta, æqualis tamen; figura erecta, armi lati; oculus cæsius, mediocris, non nimis apertus, neque clausus, concauus, immotis intuens palpebris, se parum mouens, parum ridens, rarissime lacrymans, aut doloris signum monstrans; Capillus supra frontem naturaliter eleuatus; caput mediocriter compressum; frons quadrata; nasus ad magnitudinem inclinans, latus, in fine rotundus; tenuia labia, superiusque cooperiens inferioris partem; incessus stabilis, mediocris, potius tardus quàm celer. ita Camillus desiscribit.

Audacis viri figura.

Os exertum; vultus horridus; aspera frons; supercilia arcuata, oblonga; nasus longior; dentes longi; breue collum; brachia longiora, quæ genua attingant; pectus latum; humeri eleuati; oculi cæsij, rubei, salientes; Toruus aspectus.

Timidi viri figura.

Ad mulieres, Ceruos, Cuniculos, Lepores, Damas, & temperiem frigidam refertur. occiput cauum; color pallidus, subliuidus, Citrinus, vel niger; oculi imbecilles, & qui frequenter nictant, pallidi, stupidi; pilus mollis; extrema parua; lumbi imbecilles; collum longum, gracile, pingue; pectus depile, carnosum; vox acuta, remissa, tremula; os paruum; mentum rotundum; labia parua; Tibiæ, Crura carnosa, sed minime ossea; manus longæ & subtiles; pedes parui, inarticulati; mos qui est in facie mœstus.

Pertinacis viri figura.

Frons alta; collum firmum, immobile, crassum, breue; loquela velox; risus immodicus; oculi sanguinei, manus breues, carnosæ; mutili digiti.

Loquacis viri figura.

Mentum oblongum; digiti longi; lingua acuta in mucronem desinens; superiora maiora; oculi subrubei, superius labrum & gingiuæ prominentia; nasus in acutum desinens; venter pilosus.

Iracundi viri figura.

Omnia ad temperiem calidam referuntur; figura erecta; color rutilus, subruffus; nares patulæ; tempora tumentia, venosa; vox grauis, collum crassum, venis apparentibus refertum; ambidexter, scapulæ magnæ, latæ, atque aliquo interuallo distinctæ; extremæ corporis partes magnæ, atque robustæ; multa barba, cursus contentus, oculi sanguinei, dentes longi, lati, inæquales, inordinati.

Irati vero hominis figuram sic describit Seneca l. 1. de ira; vt furentium certa indicia sunt, audax & minax vultus, tristis frons, torua facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra & vehementius acta suspiria, ita irascentium eadem signa sunt; flagrant & nutant oculi, multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent & surriguntur capilli; spiritus coactus, ac stridens; articulorum seipsos torquentium sonus; gemitus, mugitusque parum explanatis vocibus; sermo præruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & totum cōcitum corpus, magnasque minas agens fœda visu & horrenda facies: denique Iracundia iracūdi hominis oratio est, inquit idem Seneca.

Mansueti viri figura.

Humida mollisque caro; commensu

mēſurata corporis magnitudo;oculi ad clauſionem procliues; tardior motus,vox tarda;capilli molles,flaui plani;denique omnia ſigna naturalis diſpoſitionis ad manſuetudinē,temperiem calidā & humidā oſtendunt.

Libidinoſi viri figura.

Subpallidus aut rubeus color;hirſuta tempora; caluities; oculi pingues, limi; Collum groſſum; facies magna; Naſus magnus; nares amplæ; Venter pinguis; Crura ſubtiliora; pili palpebrarum decidentes; mamillæ dependentes; manus piloſæ,digiti pedum parum fiſſi.

Intemperati in cibo figura.

Os Magnum, venter magnus; ſpatium ab vmbilico ad Metaphrenum longius quam quod à Metaphreno ad clauem colli; Collum pingue, nares patulæ; digiti longi; oculorum palpebræ prominentes; loquela grauis, debilis.

Temperantis in cibo figura.

Anhelitus temperatus; quod à, ventre eſt ad ſummum pectoris æquale ei, quod eſt à ſummo pectoris ad clauem colli; ſeu, quod idem eſt,ſpatium illud quod eſt ab vmbilico ad Metaphrenum æquale ei, quod eſt à Metaphreno ad clauem colli. Os neque extenſum, neque planum,depilia Tempora, concaua, oculi caſtigatæ magnitudinis; Manus commenſuratæ, ſicut & digiti, oculi cærulæi, flaui; venter ſuccinctus.

Triſtis viri figura.

Facies rugoſa;oculi deorſum verſi; ſupercilia coniuncta: caduca, tardus inceſſus, intentus obtutus reſpiratio non adeo frequens.

Cogitabundi viri figura.

Frons caperata, vel in medio ſui eleuata;reſpiratio non adeo frequēs Collum incuruū; Intentus obtutus.

Prudentis viri figura.

Caput ad latera compreſſum, in occiput ſynciputque protensū, mediocre & menſuratum;longa frons, quadrata, in medio ſubconcaua;lenis vox,media inter grauem& acutā, pectus latum; pili tenuiores; Naſus aquilinus;aures caſtigatæ magnitudinis,vel potius maiores mediocribus; oculi magni, cærulei, fului, nigri.

Superbi viri figura.

Supercilia arcuata & quæ frequēter eleuentur; os magnum; palpebræ valde apertæ;pectus latum;Metaphrenum erectum;tardus greſſus; collum erectum; Humeri vibrati; oculi ſplendentes,magni,ſalientes.

Verecundi viri figura.

Oculi humidi, non valde aperti, conniuentes,caſtigatę magnitudinis ſuffuſæ rubore genæ;motus moderati;tarda loquela;corpus inclinatū, Aures decenti rubore purpuratæ; Verecundia potiſſimum in oculis & fronte ſpectanda eſt: ita Ioan Bap. A porta.

Inuerecundi viri figura.

Oculi aperti,ſplendidi,ignei, acute intuentes,rubri. Palpebræ rubræ, ſanguineæ;facies rotunda,rufa, frōs circularis;ſcapulæ frequenter erectæ pectus ſurſum erectum;Thorax gibboſus; Motus feſtinus;Capilli rufi, riſus altus,naſus craſſus.

Memoris viri figura.

Superiora minora inferioribus. Addit Ariſtoteles, pulchra, id eſt, bene formata, præterea non pinguia, ſed carne veſtita; nam pinguedo memoriæ hebetudinem comitatur; caro tenuis & mollis ea mollitie, quæ ex ſpumoſo aereo & contemperato calido oriatur; extans occipitium; Naſus incuruus, aduncus, dentes

minime

minime rari, aures magnæ, sed copia cartilaginis.

Obliuiosi viri figura.

Superiora maiora inferioribus, carnosa, tunc enim vis sensus primatis onere premitur inutili, propterea in tam obesa & crassa natura designari, aut exprimi rerum formæ non possunt, hinc fit vt Nani omnes desultoria & fragili memoria sint; caro præsicca, caluities, magnam enim impendio siccitatem arguunt; vt plurimum qui corpore minores sunt memoria minus valent, quod sicciores sint.

Diuturnæ vitæ signa.

Dentes solidi, multi, hoc est minimum duo & triginta; sanguinea temperies; lineæ profundæ, rubicundæ per totam manum productæ; corpus magnum; incurui humeri, pectus latum; caro solida; nitens color; non festina, sed tarda accretio; pars vmbilico subiecta non minor ea quæ ad pectus pertinet, hoc est, quæ vsque ad septum transuersum, pertingit, palpebræ bonæ magnitudinis, aures amplæ.

Breuis vitæ signa.

Inferior palpebra retracta, ita vt oculum non cooperiat; lingua crassa; molares ante pubertatem orti; dentes rariores, debiliores, non concinno ordine digesti; manus male lineis distinctæ, festina & pauca accretio, pars vmbilico subiecta maior ea, quæ est ab vmbilico ad septum transuersum seu diaphragma.

Optimi visus signa.

Cilia nigra, densa, recta, magnæ, crassæ palpebræ; pupillæ paruæ; concaui oculi, & in orbitam retracti, maximè si parui sunt.

Hebetioris visus signa.

Cilia reuulsa, procidentia, obliquata; tenuiores & breuiores palpebræ, magnæ pupillæ, prosilientes oculi, multus somnus.

Optimi auditus signa.

Auriculæ magnæ & bene imbricatæ, pilosæ, spiritus sensorij auditus valde puri, quod colligitur ex bonitate temperiei; auris sonans, velut cornu.

Plura ex superioribus colligi potuissent: vna cum rationibus, quas suis quasque locis digessimus: sed hæc ad rem nostram sufficiunt; cum hoc capite nihil aliud nobis propositum sit, quam ad similes in vnum cogendas coniecturas lectoris industriam excitare.

Ad Maiorem Dei, & B. V. Gloriam.

INDEX

INDEX RERVM QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

n, numerum marginalem : p. paginam indicat.

D

Dæmon.

Dentes

E

F

Rufus

Generatio.

Varia

Mentum.

O

Obedientia.

Pectus.

Pilus,

Talus.

T

Talus.

Cur

FINIS.

Errata.

pagin.5.col.1.ακουδτικοὶ;lege ἀκουστικοὶ.p.10.c.1.post medium in dubium, l.*indubium*.p.15.c.1 decem lineis ante finem,primi nominis,adde,*authores* ibid.c.2.limitata;l.*limata*.p.22.c.2.l.1.& l.*vt*.p.23.c.2.l.2. Ciconico l.*Ciconia*.p.27.c.1. artic.1.3.l cultu,l.*vultu*.p.28.c.2.l.14 ante finem, notandũ l.*mirandum*,p.32.c.2.l.6 pardalia, l.*pardalim* p.50.c.2.post Cap.2 ponatur Art I.*De passionibus in vniuersum* p.52.c.2.art. XI.l.2.p.53.art.3.c.l.8.*hinc*,ponatur post *tristãtur*.p.56.c.1.l.14.1.l.2.p.61.c.1.l.3.pretij,l.*pr*æ*mij*.ibid c.2.art.10.l.2.facultatẽ,l.*difficultatem*.p.63.art.12.l.5.eum,l.*cum*. p.65.c.1.in medio ex atro hic more;l.*in atro humore*.p.74.c.1.in medio disceptatur.l *discerpatur*.ibid.c.2.l.7.talem.l.*tabem*.p.79.c.2 ante med.c.13.l.12.p.81.c.2.paulò ante med. amitus l.*Amictus*.p.91.c.1.l.17 propendimus.l *propendemus*.p.97.c.2.l.40.l.*Adianton*. p.98.c.2.ad fin.l *sanguificatio*.p.99.c.1.l.5.l.*cerebri*.p.108.c.1.l.9.l.*dexter*.ibid.l.28.l.*sit*. ibid.ad fin.l.*sinistro*.p.109.c.2.l.15.l *occidentalis*. p.100.c.1.l.*certum*.114.c.2.l.5.l ima. p.119.c.1.l.11.l.*defectu*. ibid.c.2.l.14.l.*humidam*. p.120 c.2.num.13.l.30.*si*,deleatur. p.125.c.1.l.13.*l.More*. p.135.c.1.l.4.l.*superficie* p.137.c.2.l.17.l.*subsidit*,ibid.n.27.l *lapides*.p.141.c.1.ad fin.l.*quasi* p.143.c.1.l.23.l.*abunde*. ibid.l.32.l.*Antoninus*. p.147.c.1.l.5.*in nutritionem*.l.*formationem animalis*. p.149.c.1.l.1.l.*quid*.p.150.c.1.l.5.l.*tonderẽt*. p.152.c.2.l.25 post Eunuchi, adde,& pueri,quia nihil emittunt.ibid.l.26. l *libro* 13. *histor*.c.11 p.160.c.2 l.7.l.*paruitas*,p.166.c.1.l.37 l.*solo*.p.169 art.2.l.13. post,*imbecillitate*.adde (& quidem sola) p.171.c.1.l.13.post calui adde. *vt inquit*. p.174.c.1.ad fin. væ miseræ,l.*vemisera* p.175.c.l.26.l *color*.p.184.c.2.in med. l.*torulum*. p.190. l.3.ante fin.post possunt adde,*nisi*.p.191.c.1.l.8.l.*qua*.p.193.c.2.l.4.ante fin: *At* deleatur.p.194. c.2.in medio l.*effundunt*,p.199.c.2.ingenium &c. nõ sunt verba Ioan.A porta,p.202. n.4.l.*Plinius Farnesios ; Turnebus Panotios*. p.204.l.1.& 2.l.*conuexa*, p.205.c.1.in med. l.*lapidosam duritiem in podagra*.p.210.ad fin.n.15.*aut vt alij n.6*. deleatur.p.211.n.5. l.7.l.*rauca*,p.219.ad fin.*vt in terra Caria mulieribus* Et,deleatur,p.222.c.1.l.6.beneficio l.*raptu*,ibid l.7.lenta l *luculẽta*,p.227,c.1.l.vlt.l.*peruertat*, p.230. n.2.3. l *foraminosa*, p.239 c.1.l.33.l.*prauertente*,p.245 n.1.l.3.l.*Carpus*,p.246.n.1.l.2.l *alia Astrologica est*, p.248.c.1.l.2.l *pleraque artes,& inter has Chiromãtia Astrologica*.p.253.c.1.l.3.l.*nota*, ibid l.1.l.*exaltationes varias habent Saturnus in gradu* & p.255.c.2.l.2.l.*conceptio*.ibid. l.23.*scilicet*,deleatur & l.sequẽti loco,*in* l.*a* p.263.c.1.l.15.l.*de principe*,p.269.n.1.l.11. l.ἀριστερὰν.p.283.n.5.l.9.l.*Et*,p.286.n.1.l.2. l *vna externa qua* δέρμα. p.289. n.2.l.1. l.*crassa*, ibid l.4 l. *vngues*. p.290. ante n.6.l.4. l.*minime valeat* p.298 n.14 l.3.l.*aues*. p.300.n.5.l.11.l.*vocem*.p.310.c.1.vlt.lin.l *cacochymiam* p.315 n.1.l.4.l *sensum internũ*. p.316.n.5.l.11.l.*somnia*.ibid.l.24 post *sæpe*,adde *fit*,n.6.ad fin.adde,*somniorum*.

346

Die p.a Ianuarij 1666

fris ferny.s de Vernaculo Mr.i Pitay.

347

1-7-356

348

350

CB